10. Exc.mus D.nus Ioannes Bucko, Archiep. tit. Leucaden.	896
11. Exc.mus D.nus Andreas Sapelak, Episc. tit. Sebastopolitan. in Thracia	837
12. Em.mus D.nus Fernandus Quiroga y Palacios, Archiep. Compostellan.	818
13. Exc.mus D.nus Gregorius Thangalathil, Archiep. Trivandren. Syrorum Malankarensium	810

	Suffragia
14. Exc.mus D.nus Iosephus McEntegart, Archiep. Bruklynien.	754
15. Exc.mus D.nus Martinus Jansen, Episc. Roterodamen.	753
16. Exc.mus D.nus Matthaeus Kavukatt, Archiep. Changanacherren.	724

Pro Commissione « De Sacramentorum disciplina »

1. Exc.mus D.nus Iosephus Garcia y Goldaraz, Archiep. Vallisoletan.	1.737
2. Exc.mus D.nus Iosephus Schneider, Archiep. Bambergen.	1.673
3. Exc.mus D.nus Iosephus McGucken, Archiep. S. Francisci in Cal.	1.602
4. Exc.mus D.nus Franciscus von Streng, Episc. Basileen. et Lugan.	1.407
5. Exc.mus D.nus Armandus Fares, Archiep. Catacensis	1.400
6. Exc.mus D.nus Valerianus Bélanger, Episc. tit. Cyrenensis	1.345
7. Exc.mus D.nus Antonius Alves de Siqueira, Archiep. tit. Chalciden. in Syria	1.210
8. Exc.mus D.nus Crispulus Benítez Fontúrvel, Episc. Barquisimeten.	1.030
9. Exc.mus D.nus Ioannes van Cauwelaert, Episc. Inongoënsis	973
10. Exc.mus D.nus Alexander Renard, Episc. Versaliensis	963
11. Exc.mus D.nus Annibal Maricevich Fleitas, Episc. tit. Diocletianopolitanus in Palaestina	946
12. Exc.mus D.nus Petrus M. Puech, Episc. Carcassonen.	931
13. Exc.mus D.nus Franciscus Reh, Episc. Carolopolitanus	890
14. Exc.mus D.nus Lucas Arai, Episc. Yokohamaënsis	854
15. Exc.mus D.nus Thomas Muldoon, Episc. tit. Fesseitanus	846
16. Exc.mus D.nus Marcus Lallier, Archiep. Massiliensis	788

Pro Commissione « De disciplina cleri et populi christiani »

1. Exc.mus D.nus Henricus Mazerat, Episc. Andegavensis	1.493
2. Exc.mus D.nus Alfredus Bengsch Episc. Berolinensis	1.368
3. Exc.mus D.nus Henricus M. Janssen, Episc. Hildesiensis	1.315
4. Exc.mus D.nus Michaël Raspanti, Episc. Moronensis	1.240

	Suffragia
5. Exc.mus D.nus Leo Lommel, Episc. Luxemburgensis	1.174
6. Em.mus D.nus Iosephus Ritter, Archiep. S. Ludovici	1.165
7. Exc.mus D.nus Philippus Pocock, Episc. tit. Isauronopolit.	1.160
8. Exc.mus D.nus Laurentius J. Sehan, Archiep. Baltimoren.	1.135
9. Exc.mus D.nus Aloisius Baccino, Episc. S. Iosephi in Uraquaria	1.129
10. Exc.mus D.nus Villelmus M. van Zuylen, Episc. Leodien.	1.107
11. Exc.mus D.nus Norbertus Perini, Archiep. Firmanus	1.076
12. Exc.mus D.nus Henricus Nicodemo, Archiep. Barensis	1.066
13. Exc.mus D.nus Agnellus Rossi, Archiep. Rivi Nigri	1.045
14. Exc.mus D.nus Vincentius Enrique y Tarancón, Episc. Celsonen.	929
15. Exc.mus D.nus Franciscus Marty, Archiep. Remensis	869
16. Exc.mus D.nus Emmanuel Trindade Salgueiro, Archiep. Eboren.	851

Pro Commissione « De religiosis »

1. Exc.mus D.nus Gerardus Huyghe, Episc. Atrebatensis	1.804
2. Exc.mus D.nus Carolus Josephus Leiprecht, Episc. Rottenburgen.	1.736
3. Exc.mus D.nus Arcturus Tabera Araoz, Episc. Albasiten.	1.587
4. Exc.mus D.nus Hieronymus Bortignon, Episc. Patavinus	1.321
5. Em.mus D.nus Ioannes Landázuri Ricketts, Archiep. Limanus	1.145
6. Exc.mus D.nus Georgius A. Beck, Episc. Salforden.	1.099
7. Rev.mus P. Benedictus Reetz, Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.	1.089
8. Exc.mus D.nus Bernardinus Echeverria Ruiz, Episc. Ambaten.	1.053
9. Exc.mus D.nus Georgius Flahiff, Archiep. Vinnipegensis	1.045
10. Exc.mus D.nus Eduardus C. Daly, Episc. Desmoinensis	1.040
11. Exc.mus D.nus Benedictus Tomizawa, Episc. Sapporensis	1.019
12. Exc.mus D.nus Iosephus Urtasun, Archiep. Avenionensis	1.000
13. Rev.mus P. Augustinus Sépinski, Minister Gen.lis O.F.M.	934
14. Exc.mus D.nus Thomas V. Cahill, Episc. Cairnensis	919
15. Exc.mus D.nus Iosephus McShea, Episc. Alanopolitanus	907
16. Exc.mus D.nus Paulus Botto, Archiep. Calaritanus	884

Pro Commissione « De Missionibus »

		Suffragia
1.	Exc.mus D.nus Ioannes B. Zoa, Archiep. Yaundensis	1.403
2.	Em.mus D.nus Laurentius Rugambwa, Episc. Bukobaën.	1.347
3.	Exc.mus D.nus Guius Riobé, Episc. tit. Muliensis	1.229
4.	Exc.mus D.nus Fulton J. Sheen, Episc. tit. Caesarien.	1.216
5.	Exc.mus D.nus Aurelius Signora, Archiep. tit. Nicosiensis	1.110
6.	Exc.mus D.nus Alfonsus Emmanuel Escalante, Episc. tit. Soranus	1.062
7.	Em.mus D.nus Thomas Tienchensin, Archiep. Pechimen.	1.042
8.	Exc.mus D.nus Mauritius Perrin, Archiep. Carthaginensis	954
9.	Exc.mus D.nus Alfonsus M. Ungarelli, Episc. tit. Azuren.	930
10.	Exc.mus D.nus Caietanus Pollio, Archiep. Hydruntinus	871
11.	Exc.mus D.nus Marianus Rossell y Arellano, Archiep. Guatimalen.	860
12.	Exc.mus D.nus Ioannes Sison, Archiep. tit. Nicopsitanus	801
13.	Exc.mus D.nus Pius Kerketta, Archiep. Ranchiensis	784
14.	Exc.mus D.nus Iosephus Lecuona Labandibar, Episc. tit. Vagaden.	766
15.	Exc.mus D.nus Lucianus Pérez Platero, Archiep. Burgen.	744
16.	Exc.mus D.nus Oscar Sevrin, Episc. tit. Mossinen.	706

Pro Commissione « De Sacra Liturgia »

1.	Exc.mus D.nus Franciscus Zauner, Episc. Linciensis	2.231
2.	Exc.mus D.nus Carolus Rossi, Episc. Bugellensis	1.954
3.	Exc.mus D.nus Carolus Justinus Calewaert, Episc. Gandaven.	1.919
4.	Exc.mus D.nus Henricus Jenny, Episc. tit. Lycaonen.	1.972
5.	Exc.mus D.nus Octo Spülbeck, Episc. Misnensis	1.553
6.	Exc.mus D.nus Franciscus J. Grimshaw, Archiep. Birminghamien.	1.515
7.	Exc.mus D.nus Paulus Hallinan, Episc. Atlantensis	1.347
8.	Exc.mus D.nus Villelmus van Bekkum, Episc. Rutengen.	1.338
9.	Exc.mus D.nus Iosephus Malula, Episc. tit. Attanasen.	1.083
10.	Em.mus D.nus Iacobus Lercaro, Archiep. Bononiensis	1.082
11.	Exc.mus D.nus Alfredus Pichler, Episc. Banialucensis	1.023
12.	Exc.mus D.nus Henricus Rau, Episc. Maris Platensis	1.018
13.	Exc.mus D.nus Franciscus Jop, Episc. tit. Daulien.	872
14.	Exc.mus D.nus Iesus Enciso Viana, Episc. Majoricen.	835

		Suffragia
15.	Exc.mus D.nus Iosephus A. Martin Episc. Nicoletanus	804
16.	Exc.mus D.nus Caesarius D'Amato, Episc. tit. Sebasten. in Cilicia	795

PRO COMMISSIONE
« DE SEMINARIIS, DE STUDIIS ET DE EDUCATIONE CATHOLICA »

1.	Exc.mus D.nus Patricius A. O'Boyle, Archiep. Vashingtonen.	2.059
2.	Exc.mus D.nus Alfredus Silva Santiago, Archiep. Conceptionis	1.750
3.	Exc.mus D.nus Marcellinus Olaechea Loizaga, Archiep. Valentinus	1.495
4.	Exc.mus D.nus Iosephus Höffner, Episc. Monasteriensis	1.462
5.	Exc.mus D.nus Iulius Daem, Episc. Antverpiensis	1.177
6.	Exc.mus D.nus Michaël Klepacz, Episc. Lodzen.	1.152
7.	Exc.mus D.nus Ioannes Patricius Cody, Archiep. tit. Bostren.	1.123
8.	Exc.mus D.nus Ioannes Colombo, Episc. tit. Philippopolitanus in Arabia	1.090
9.	Exc.mus D.nus Raymundus Bogarín Argaña, Episc. Sancti Ioannis Baptistae a Missionibus	947
10.	Exc.mus D.nus Dionysius Hurley, Archiep. Durbanian.	930
11.	Exc.mus D.nus Antonius M. Cazaux, Episc. Lucionen.	927
12.	Exc.mus D.nus Aemilius A. Blanchet, Archiep. tit. Philippopolitanus in Thracia	914
13.	Exc.mus D.nus Octavianus Márquez Tóriz, Archiep. Angelorum	899
14.	Exc.mus D.nus Vincentius Marchetti Zioni, Episc. tit. Lauzaden.	804
15.	Exc.mus D.nus Arrigus Pintonello, Archiep. tit. Theodopolitan. in Arcadia	802
16.	Exc.mus D.nus Marius Paré, Episc. Chicoutimien.	781

Pro Commissione « De fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis »

		Suffragia
1.	Exc.mus D.nus Franciscus Hengsbach, Episc. Essendiensis	1.849
2.	Exc.mus D.nus Iacobus Ménager, Episc. Meldensis	1.530
3.	Exc.mus D.nus Iosephus A. Gutierrez Granier, Episc. tit. Pionitanus	1.509
4.	Exc.mus D.nus Angelus Herrera y Oria, Episc. Malacitan.	1.362
5.	Exc.mus D.nus Stephanus László, Episc. Sideropolitanus	1.246
6.	Exc.mus D.nus Evasius Colli, Archiep. Ep. Parmensis	1.223
7.	Exc.mus D.nus Villelmus Cousins, Archiep. Milwaukiensis	1.169
8.	Exc.mus D.nus Ioannes E. Petit, Episc. Meneven.	956
9.	Exc.mus. D.nus Martinus J. O'Connor, Archiep. tit. Laodicen. in Syria	890
10.	Exc.mus D.nus Emmanuel Larraín Errázuriz, Episc. Talcen.	871
11.	Exc.mus D.nus Gerardus De Vet, Episc. Bredanus	866
12.	Exc.mus D.nus Eugenius de Araújo Sales, Episc. tit. Thibicen.	831
13.	Exc.mus D.nus Iosephus Blomjous, Episc. Mvanzaën.	810
14.	Exc.mus D.nus Paulus Yü Pin, Archiep. Nanchimen.	783
15.	Em.mus D.nus Raul Silva Henriquez, Archiep. S. Iacobi in Chile	780
16.	Exc.mus D.nus Thomas Morris, Archiep. Cassilien.	672

Em.mi, Exc.mi vel Rev.mi Patres, quos supra recensuimus, proclamati sunt electi ab Exc.mo P. D. Secretario Generali, iussu Consilii Praesidentiae, in Congregationibus Generalibus III et IV, habitis diebus XX et XXII octobris mensis a. MCMLXII. In prima electi pro septem Commissionibus, in altera pro ceteris.

Post proclamationem electorum, Secretarius Generalis nota fecit nomina membrorum, quae Summus Pontifex ex Concilii Patribus pro unaquaque Commissione delegerat.

Initio Summus Pontifex octoginta delegerat membra, seu tertiam omnium partem, uti in art. 6 § 2, commate altero Ordinis statuerat, dein decem alia adiecit, ne in unaquaque Commissione omnia (electa ac delecta) pari essent numero.

Horum nomina in hoc instrumento non exscribuntur, quia id ad negotium electionis non spectat. Sed index delectorum Patrum cum decretis nominationum in archivo Secretariae Generalis diligenter asservatur.

Schedae suffragationis, iussu Secretarii Generalis, per triduum asservatae sunt, postea omnes combustae.

In confirmationem praemissorum Scrutatores huic instrumento proprium praenomen ac nomen subscribunt.

Romae, IV Kalendas Novembres anno MCMLXII.

ARCTURUS DE JORIO
GERARDUS M. ROGERS
IOSEPHUS CASORIA
ERNESTUS CIVARDI

Ita est.

✠ PERICLES FELICI
Archiepiscopus tit. Samosatensis
Secretarius Gen. S. Concilii

9

SCHEMATA
CONSTITUTIONUM ET DECRETORUM

EX QUIBUS ARGUMENTA IN CONCILIO DISCEPTANDA SELIGENTUR *

Opusculum, Typis Polyglottis Vaticanis editum, Patribus distributum est in tricesima quarta congregatione generali, die 5 decembris 1962.

I

SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE

DE DIVINA REVELATIONE
(*a Commissione mixta conficiendum*)

II

SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE

DE ECCLESIA
(*iam typis impressum*)

1) De Ecclesiae militantis natura. – 2) De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem. – 3) De Episcopatu ut supremo gradu Sacramenti Ordinis et de Sacerdotio. – 4) De Episcopis. – 5) De statibus evangelicae acquirendae perfectionis. – 6) De Laicis. – 7) De Ecclesiae Magisterio. – 8) De auctoritate et oboedientia in Ecclesia. – 9) De relationibus inter Ecclesiam et Statum. – 10) De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum. – 11) De oecumenismo.

---

* Exhibentur summatim schemata a Commissionibus Praeparatoriis confecta, quae tamen studio subiicientur Commissionum S. Concilii, ut ad principia generalia, si oporteat, reducantur et, ubi materiae similes vel mixtae id exigere videantur, ad maiorem redigantur unitatem.

III

Schema Constitutionis Dogmaticae

DE B. MARIA VIRGINE MATRE DEI ET MATRE HOMINUM

(*iam typis impressum*)

IV

Schema Constitutionis Dogmaticae

DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO

(*iam typis impressum*)

1) Prooemium. – 2) De veritate. – 3) De Deo. – 4) De creatione et evolutione mundi. – 5) De Revelatione publica et fide catholica. – 6) De progressu doctrinae. – 7) De ordine naturali et supernaturali. – 8) De peccato originali in filiis Adae. – 9) De novissimis. – 10) De satisfactione Christi.

V

Schema Constitutionis Dogmaticae

DE ORDINE MORALI

(*iam typis impressum*)

1) De fundamento ordinis moralis christiani. – 2) De conscientia christiana. – 3) De subiectivismo et relativismo ethico. – 4) De peccato. – 5) De naturali et supernaturali dignitate personae humanae.

VI

Schema Constitutionis Dogmaticae

DE CASTITATE, VIRGINITATE, MATRIMONIO, FAMILIA

(*iam typis impressum*)

1) Prooemium. – 2) Praemittenda de sexibus. – 3) De castitate solutorum et de virginitate. – 4) De ordine matrimonii christiani divinitus constituto. – 5) De iuribus, obligationibus, virtutibus matrimonio chri-

stiano propriis. – 6) De ordine familiae christianae divinitus constituto. – 7) De iuribus, obligationibus, virtutibus familiae christianae propriis. – 8) Epilogus.

VII

SCHEMA CONSTITUTIONIS DOCTRINALIS

DE ORDINE SOCIALI ET DE COMMUNITATE GENTIUM

Principia moralia

VIII

SCHEMA DECRETI

DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

1) De ritibus in Ecclesia. – 2) De Patriarchis. – 3) De officio divino clericorum. – 4) De disciplina Sacramentorum. – 5) De cultu divino.

IX

SCHEMA DECRETI

DE CLERICIS

Generalia principia: *a*) De clericorum vitae sanctitate. – *b*) De distributione cleri. – *c*) De officiis et beneficiis clericorum.

X

SCHEMA DECRETI

DE EPISCOPIS ET DIOECESEON REGIMINE

1) *De rationibus inter Episcopos et Sacras Romanae Curiae Congregationes* (De Episcoporum facultatibus. – De praxi Sacrarum Congregationum relate ad Episcopos). – 2) De Episcoporum Coadiutoribus et Auxiliaribus deque Episcoporum cessatione a munere pastorali. – 3) *De nationali Episcoporum Coetu seu Conferentia* (De constitutione et natura. – De Coetus moderamine. – De vi decisionum. – De relationibus inter conferentias Episcopales diversarum nationum). – 4) De Dioeceseon partitione. – 5) De paroeciarum erectione deque earumdem congrua circumscriptione.

XI

Schema Decreti

DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE
(seu de Religiosis)

Generalia principia: *a*) De statibus perfectionis. – *b*) De vocatione religiosa. – *c*) De accommodata renovatione vitae religiosae. – *d*) De institutione alumnorum religiosorum et eorumque admissione ad Professionem et Ordines.

XII

Schema Decreti

DE LAICIS

Generalia principia: *a*) De apostolatu laicorum in actione ad regnum Christi directe provehendum. – *b*) De apostolatu laicorum in actione caritativa et sociali. – *c*) De fidelium associationibus.

XIII

Schema Decreti

DE MATRIMONII SACRAMENTO

Principia generalia: *a*) De praeparatione ad matrimonium. – *b*) De impedimentis ad matrimonium. – *c*) De consensu matrimoniali. – *d*) De forma celebrationis matrimonii. – *e*) De matrimoniis mixtis. – *f*) De processu matrimoniali.

XIV

Schema Constitutionis

DE SACRA LITURGIA
(*iam typis impressum*)

1) De principiis generalibus ad sacram Liturgiam instaurandam atque fovendam. – 2) De sacrosancto Eucharistiae Mysterio. – 3) De Sacramentis et Sacramentalibus. – 4) De Officio Divino. – 5) De Anno Liturgico. – 6) De sacra supellectile. – 7) De Musica sacra. – 8) De Arte sacra.

XV

SCHEMA DECRETI

DE CURA ANIMARUM

Principia generalia: 1) De Episcoporum officiis (De Episcopo Magistro et doctore fidei. – De Episcopo Pontifice. – De Episcopo Patre et Pastore. – De Episcopo collaboratore Romani Pontificis in regimine Ecclesiae Universalis). – 2) De rationibus inter Episcopos et parochos deque obligationibus ac muneribus parochorum. – 3) De parochorum nominatione seu paroeciarum provisione deque parochorum stabilitate amotione et translatione. – 4) *De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera exercenda* (Principia fundamentalia. – Normae practicae de subiectione Religiosorum Ordinariis locorum in operibus externis explendis. – Dedicatio Religiosorum externis operibus apostolatus. – De ministerio paroeciali a Religiosis participando. – De quibusdam casibus particularibus dependentiae Religiosorum ab Ordinariis locorum. – De operibus apostolatus rite explendis et coordinandis. – De privilegiis Religiosorum). – 5) *De peculiaribus animarum curae quaestionibus* (*De catechetica populi christiani institutione. – De catechismo et de libris catecheticis. – De institutionis catecheticae coordinatione*: A) De officiis constituendis quorum sit institutionem catecheticam moderari; B) De magistris religiosis et catechistis formandis. – De methodo institutionis catecheticae tradendae). – 6) De pastorali cura fidelium migrantium (Principia generalia. – Normae practicae). – 7) De pastorali cura fidelium maritimorum. – 8) De pastorali cura fidelium aëronavigantium. – 9) De pastorali cura fidelium nomadum. – 10) De pastorali cura fidelium ne materialismi erroribus inficiantur.

XVI

SCHEMA CONSTITUTIONIS

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

Generalia principia: *a*) De vocationibus ecclesiasticis fovendis. – *b*) De sacrorum alumnis formandis.

XVII

Schema Constitutionis

DE STUDIIS ACADEMICIS ET DE SCHOLIS CATHOLICIS

Generalia principia: *a*) De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis. – *b*) De scholis catholicis. – *c*) De obsequio erga Ecclesiae Magisterium in tradendis disciplinis sacris.

XVIII

Schema Decreti

DE MISSIONIBUS

1) De regimine missionum. – 2) De cooperatione missionali.

XIX

Schema Constitutionis

DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS

(*iam typis impressum*)

1) Prooemium. – 2) De Ecclesiae doctrina. – 3) De Ecclesiae actione seu apostolatu. – 4) De disciplina et ordinatione ecclesiastica. – 5) De prelo periodico. – De cinematographeo. – De radiophonia, televisione et reliquis instrumentis.

XX

Schema Decreti

DE UNIONE FOVENDA INTER CHRISTIANOS

1) De necessitate orationis pro unitate christianorum maxime temporibus nostris. – 2) De verbo Dei. – 3) De libertate religiosa.[1] – 4) De oecumenismo catholico.

---

[1] Hoc schema a speciali Commissione in eo est ut concordetur cum schemate « De tolerantia religiosa ».

10

ORDO AGENDORUM TEMPORE QUOD INTER CONCLUSIONEM PRIMAE PERIODI CONCILII OECUMENICI ET INITIUM SECUNDAE INTERCEDIT

A secretario generali lectus est in congregatione tricesima quinta, die 6 decembris 1962, et Patribus distributus est typis impressus, die sequenti, in congregatione tricesima sexta.

1. Longo temporis intervallo, quod intercedit inter conclusionem primae Periodi et initium secundae die 8 Septembris 1963, curandum erit ut schemata rursus examini subiciantur et perficiantur, debita habita ratione laboris iam antea peracti. Hoc munus demandatur Commissionibus Conciliaribus, quibus suam operam praestabunt *Subcommissiones speciales ac mixtae,* ut labores expeditius procedant.

2. Finis Concilii Oecumenici Vaticani secundi proprius, quem Augustus Pontifex saepe declaravit ac peculiari modo revocavit in allocutione habita die 11 Octobris proxime elapsi, normas impertire debet laborum peragendorum, eosque dirigere et confirmare. Permulti etiam Patres in coetibus conciliaribus eandem de hac re sententiam significaverunt, scilicet ut varia argumenta pertractarentur iuxta praedictum finem.

Iamvero Beatissimus Pater in memorata allocutione haec habuit: « Neque opus nostrum, quasi ad finem primarium, eo spectat, ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt, et quae a vobis non ignorari sed in mentibus vestris inhaerere putamus.

« Etenim ad huiusmodi tantum disputationes habendas non opus erat, ut Concilium Oecumenicum indiceretur. Verumtamen in praesenti oportet ut universa doctrina christiana, nulla parte inde detracta, his temporibus nostris ab omnibus accipiatur novo studio, mentibus serenis atque pacatis, tradita accurata illa ratione verba concipiendi et in formam redigendi, quae ex actis Concilii Tridentini et Vaticani Primi praesertim elucet; oportet ut, quemadmodum cuncti sinceri rei christianae, catholicae, apostolicae fautores vehementer exoptant, eadem doctrina

amplius et altius cognoscatur eaque plenius animi imbuantur atque formentur; oportet ut haec doctrina certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra. Est enim aliud ipsum depositum Fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eaedem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia. Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum; scilicet eae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, *cuius indoles praesertim pastoralis est,* magis congruant ».

« ... Catholica Ecclesia, dum per Oecumenicum hoc Concilium religiosae veritatis facem attollit, amantissimam omnium matrem se vult praebere, benignam, patientem, atque erga filios a se seiunctos misericordia ac bonitate permotam. Humano generi, tot difficultatibus laboranti, ipsa, ut olim Petrus misero illi qui ab eo stipem rogaverat, dicit: " Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo hoc tibi do; in nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula " (Act. 3, 6) ».

3. In primis opus est ut ex pluribus argumentis pertractatis — quae in recenti schematum fasciculo continentur — quaedam et praecipua seligantur, atque examini subiciantur ea quae Ecclesiam universalem, christifideles atque universam hominum familiam respiciunt.

Schemata hac ratione conficienda sunt, ut potissimum pertractent generaliora principia, omissis particularibus quaestionibus quae ad rem non pertineant; nam prae oculis semper habendum est, Concilium Oecumenicum spectare ad universam Ecclesiam, eiusque Acta in perpetuum vim suam retentura esse. Quare vitentur etiam nimia verba atque repetitiones. Quae autem pertinere videntur ad futuram Codicis Iuris Canonici recognitionem, remittantur ad competentem Commissionem. Pariter oportet ut Commissionibus, quae post Concilium constituendae erunt, nonnulla specialia argumenta demandentur.

4. Interea nova Commissio constituitur laboribus Concilii coordinandis atque dirigendis, cuius membra sunt quidam Patres Cardinales et nonnulli Episcopi, eique praeest Secretarius Status, qui Augustum Pontificem certiorem facere debet de iis, quae in Concilio aguntur (cf. Can. 222, § 2). Proprium huius novae Commissionis munus, quod concorditer cum Em.mis Praesidibus Commissionum Conciliarium expleri debebit, hoc erit: coordinare labores Commissionum, eosque sequi, atque agere cum earundem Commissionum Em.mis Praesidibus non tantum de quaestionibus ad competentiam spectantibus, verum etiam de iis, quae pertinent ad urgendam et in tuto ponendam conformitatem schematum cum fine Concilii.

Em.mis Praesidibus adiutricem operam praestabunt Vicepraesiden-

tes, Secretarii, atque etiam Membra singularum Commissionum; ex circumstantiis vero patebit quaenam sint agendi normae opportune sequendae. Utiliter etiam consuli atque interrogari poterunt (non ratione officii sed observantiae et humanitatis causa), alii qui experientia praestant in variis navitatis campis, ac praesertim in externis apostolatus operibus; si enim eorum exquiratur sententia, iisdem opportunitas praebetur latius circa se disponendi animos ad recte aestimandam Concilii causam. Huiusmodi tamen opinionum investigatio ea ratione peragenda est, ut quam plurimi mentem suam commode ac libere aperire possint, quamquam necesse est ut debita prudentia et cautela serventur.

5. Singula schemata, postquam hoc modo recognita fuerint, atque Augusti Pontificis approbationem generice factam obtinuerint, ad Episcopos mittentur, per Praesides Conferentiarum Episcopalium, ubi haec via expeditior videbitur; iidem autem Episcopi rogantur, ut schemata examinent ac deinde ad Secretariam Generalem Concilii remittant intra certum temporis spatium, singulis vicibus statuendum, quod utcumque breve erit.

6. Commissiones Conciliares, postquam animadversiones ab Episcopis factas receperint, procedent ad emendationes in schemata inserendas, ratione habita animadversionum receptarum atque bene perpensis rationibus quae singulis emendationibus favent vel non, ita ut schemata, congrua praeparatione instructa, Congregationi Generali proponi possint.

Has normas SS.mus Dominus Ioannes XXIII probavit.

Die 5 decembris 1962.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

CONGREGATIO PRAESYNODALIS

1

PROCESSUS VERBALIS

Die 8 octobris 1962, feria II, hora decimaseptima, in Sacellum Paulinum, ad Aedes Vaticanas, Patrum procuratores, periti conciliares necnon Concilii officiales et ministri [1] convenerunt ad fidei professionem emittendam et iuramentum praestandum de munere fideliter adimplendo et de secreto servando iuxta normam *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi.*[2]

Formulae professionis fidei et iuramenti eaedem adhibitae sunt ac in Concilio Vaticano I.

Congregationi praefuit exc.mus D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, a Summo Pontifice Ioanne XXIII delegatus. Adsistebat exc.mus D. Henricus Dante, arch. tit. Carpasiensis, praefectus caeremoniarum.

Antea iis, qui advenerant, formulae professionis fidei et iuramenti, typis editae, distributae sunt.

Prece a secretario generali recitata, D. Vincentius Carbone fidei professionem legit, qua absoluta, omnes dixerunt: « Ego N.N. spondeo, voveo et iuro iuxta formulam praelectam. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia ».

Post fidei professionem omnes adstantes iuramentum de munere fideliter adimplendo et de secreto servando emiserunt.

---

[1] Elenchus integer procuratorum, peritorum et officialium editur in volumine ad hoc parato.

[2] Cf. artt. 25 § 3, 27 § 1.

2

FORMULA PROFESSIONIS FIDEI PRAESTITAE A PROCURATORIBUS, PERITIS, OFFICIALIBUS [1]

3

FORMULA IURAMENTI PRAESTITI A PROCURATORIBUS

Nos electi Procuratores Patrum ad Concilium Oecumenicum Vaticanum II, tactis per nos sacrosanctis Dei Evangeliis, promittimus et iuramus munus nobis demandatum fideliter impleturos et super iis omnibus quae nobis specialiter committentur inviolabilem secreti fidem servaturos.

Ego N.N. electus Procurator

....

promitto et iuro iuxta formulam praelectam.

Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

(Subsignatio) ....

....

---

[1] Cf. pp. 157-158.

4

FORMULA IURAMENTI PRAESTITI A PERITIS [1]

Nos a Summo Pontifice electi Periti Concilii Oecumenici Vaticani II, tactis per nos sacrosanctis Dei Evangeliis, promittimus et iuramus munus unicuique nostrum respective demandatum fideliter impleturos, nec insuper evulgaturos vel alicui extra gremium praedicti Concilii pandituros quaecumque in eodem Concilio examinanda proponentur, itemque discussiones et singulorum sententias, sed super iis omnibus quemadmodum et super aliis rebus quae nobis specialiter committentur inviolabilem secreti fidem servaturos.

Ego N.N. electus ad munus Periti

....

promitto et iuro iuxta formulam praelectam.

Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

(Subsignatio) ....

....

---

[1] Eadem formula iuramenti adhibita est ab Auditoribus.

5

FORMULA IURAMENTI PRAESTITI AB OFFICIALIBUS

Nos a Summo Pontifice electi Officiales Concilii Oecumenici Vaticani II, tactis per nos sacrosanctis Dei Evangeliis, promittimus et iuramus officium unicuique nostrum respective demandatum fideliter impleturos, nec insuper evulgaturos vel alicui extra gremium praedicti Concilii pandituros quaecumque in eodem Concilio examinanda proponentur, itemque discussiones et singulorum sententias, sed super iis omnibus quemadmodum et super aliis rebus quae nobis specialiter committentur inviolabilem secreti fidem servaturos.

Ego N.N. electus ad Officium

....

promitto et iuro iuxta formulam praelectam.

Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

(Subsignatio) ....

....

PROCESSUS VERBALES
CONGREGATIONUM GENERALIUM
I-XXXVI

PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

I

Congregatio generalis prima habita est sabbato, die 13 mensis octobris 1962, hora 9 ante meridiem, in conciliari aula Vaticanae Patriarchalis Basilicae S. Petri.

Patrum, qui primae congregationi generali interfuerunt, elenchus exarari non potuit, quia impossibile fuit praesentiae schedulas distribuere.

P. D. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Missam lectam de Spiritu Sancto celebravit, qua absoluta, omnibus surgentibus, secretarius generalis, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, ad altare S. Evangelii codicem detulit, quem super paratum thronum statuit.

Card. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, omnibus stantibus, precem *Adsumus...* recitavit.

Deinde, cum sedissent omnes, secretarius generalis, de mandato Praesidis, ex ambone Patres monuit de prima suffragatione facienda ad commissionum Concilii sodales eligendos.

Card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, animadvertit Patres se invicem insufficienter cognoscere, ideoque opportunum esse suffragationes ad aliam diem remittere ut notitia de Patribus acquiri posset. Quidam ex Patribus plauserunt.

Card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, nomine suo necnon card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et card. Francisci König, arch. Vindobonensis, ad ea, quae card. Liénart dixerat, accessit. Quidam ex Patribus iterum plauserunt.

Post aliquod intervallum, secretarius generalis ex ambone monuit consilium praesidentiae petitionem accepisse, et rogavit ut intra proximam feriam II Patrum eligendorum elenchi, a conferentiis episcoporum confecti, ad secretariam generalem Concilii mitterentur.

Proximam congregationem generalem indixit pro feria III, die 16 octobris, hora 9.

Post breve intervallum, idem secretarius generalis monuit inter so-

dales commissionum eligi posse etiam Patres cardinales, partem non habentes in aliis commissionibus et in consilio praesidentiae.

Hora 10,30 congregatio finem habuit prece *Agimus...* a praeside recitata.

II

Congregatio generalis secunda habita est feria III, die 16 octobris, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.358 Patres, nempe 79 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 426 archiepiscopi, 1.726 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 88 superiores generales.

P. D. Casimirus Morcillo González, arch. Caesaraugustanus, Missam lectam de Spiritu Sancto celebravit.

Post Missam, Concilii secretarius generalis, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, S. Evangelii codicem ad altare detulit et super paratum thronum statuit.

Card. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, omnibus stantibus, orationem *Adsumus...* recitavit.

Ab assignatoribus locorum Patribus opusculum distributum est, cui titulus: *Patrum Conciliarium indices sicut a conferentiis episcopalibus exhibiti sunt ad commissiones S. Concilii eligendas.*

Card. Alfredus Ottaviani, loquendi licentia a praeside obtenta, ad electiones citius concludendas, proposuit ut maioritas, etsi relativa tantum, sufficeret.

Card. Franciscus Roberti animadvertit Codicem Iuris Canonici sapienter admittere maioritatem relativam tantum post duas suffragationes inefficaces.

Card. Ernestus Ruffini, nomine consilii praesidentiae, monuit non posse a Patribus mutari quod iam statutum erat a Summo Pontifice. Propterea suffragatio facienda erat, et eius exitus approbationi Summi Pontificis submitti posset.

Card. Tisserant eandem sententiam expressit.

Tandem Concilii secretarius generalis annuntiavit suffragationem faciendam esse iuxta normas statutas; postea, si necesse esset, postulatum card. Ottaviani ad Summum Pontificem deferri posse.

Item communicavit Summum Pontificem elegisse quattuor subsecretarios Concilii: Casimirum Morcillo González, arch. Caesaraugustanum, Ioannem Villot, arch. tit. Bosporanum, coadiutorem c.i.s. Lugdunensem, Ioannem Krol, arch. Philadelphiensem Latinorum, Villelmum Kempf, ep. Limburgensem.

Deinde monuit Patres schedas in aula vel domi conficere posse,

dummodo secretariae generali, manu, ante horam 18 illius diei eas traderent; subsignationem autem non esse necessariam.

Nomine consilii praesidentiae Patres rogavit ut in suffragiis exprimendis a plausu se abstinerent.

Denique nuntiavit proxima hebdomada disceptationem inceptum iri a schemate *de sacra Liturgia.*

Card. Ottaviani notavit necessitatem subscribendi schedas eo vel magis quod ipsae poterant extra aulam confici.

Deinde lectae sunt moniti secretarii generalis translationes in linguas vernaculas hispanicam, gallicam, anglicam, germanicam, italicam.

Indicta tertia congregatione generali, habenda die 20 octobris, hora 9, plures Patres abierunt, reliqui vero in aula manserunt ut schedulas conficerent.

III

Congregatio generalis tertia habita est sabbato, die 20 octobris, hora 9 antemeridiana. Interfuerunt 2.340 Patres, nempe 77 cardinales, 7 patriarchae, 7 primates, 415 archiepiscopi, 1.727 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 84 superiores generales.

P. D. Martinus Jansen, ep. Roterodamensis, Missam lectam celebravit, qua absoluta, Concilii secretarius generalis, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, intimavit: *Exeant omnes.*

P. D. Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, S. Evangelii codicem ad altare detulit et super paratum thronum statuit.

Coetui praefuit card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, qui precem *Adsumus...* recitavit, omnibus Patribus stantibus.

Secretarius generalis ex ambone proclamavit nomen praesidis congregationis. Dein communicavit Summum Pontificem, audita relatione de suffragatione et scrutatione peractis pro eligendis sodalibus commissionum conciliarium, dispensare a praescripto art. 39 *Ordinis Concilii celebrandi,* atque, sanationes concedendo quatenus opus esset, electos habere primos sexdecim praesules qui in unaquaque commissione maiorem suffragiorum numerum retulerint. Huiusmodi nuntium diversis linguis lectus est: lingua hispanica a P. D. Morcillo, lingua gallica a P. D. Villot, lingua anglica a P. D. Krol, lingua germanica a P. D. Kempf, lingua arabica a P. D. Nabaa.

Deinde secretarius generalis electorum nomina publicavit pro commissionibus de doctrina fidei et morum, de episcopis et dioecesium regimine, de ecclesiis orientalibus, de disciplina cleri et populi christiani,

de missionibus, de fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis, de sacra liturgia. Pro hac commissione annuntiavit etiam nomina sodalium, qui a Summo Pontifice electi fuerant, ita ut commissio suos labores incipere posset.

Post breve intervallum idem secretarius generalis legit ex ambone *Nuntium* ad universos homines mittendum, cuius textus, typis impressus, Patribus distributus fuerat.

Huiusmodi moniti translationes in linguas hispanicam, gallicam, anglicam, germanicam, arabicam a subsecretariis lectae sunt.

Data est Patribus, ad cogitandum, meditandum, orandum, quarta horae pars.

Hora 10,55 *Nuntii* disceptatio initium sumpsit et locuti sunt: cardd. Franciscus Bacci, Stephanus Wyszyński, arch. Varsaviensis et Gnesnensis, Ioseph Ferretto, tit. Sabinensis et Mandelensis, Amletus I. Cicognani, tit. Tusculanus; Petrus Fiordelli, ep. Pratensis, card. Paulus Léger, arch. Marianopolitanus, Carolus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus, Ioannes Heenan, arch. Liverpolitanus, Henricus Compagnone, ep. Anagninus, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus, Ioannes Peruzzo, ep. Agrigentinus, Victorius M. Costantini, ep. Suessanus, Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide, Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia, Alfonsus Toriz Cobián, ep. Queretarensis, Ioannes van Cauwelaert, ep. Inongoënsis, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum, Ioseph Alba Palacios, ep. Tehuantepecensis, Ioseph Malula, ep. tit. Attanasiensis, aux. Leopoldpolitanus, Henricus Hamvas, ep. Csanadiensis, Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis, Ioseph Maalouf, ep. Heliopolitanus Melchitarum, Emmanuel Pereira da Costa, ep. Campinensis Grandis, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania, Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis, Villelmus Kupfer, ep. Taichungensis, Ioseph Carraro, ep. Veronensis, Iulius Kandela, arch. tit. Seleuciensis pierius, aux. Antiochenus Syrorum, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis, vicarius patr. Antiochenus Melchitarum, Aloisius La Ravoire Morrow, ep. Krishnagarensis, Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum, Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus, Paschalis Venezia, ep. Arianensis, Raphaël Rabban, ep. Cherchensis, Aemilius Guano, ep. Liburnensis, Georgius Béjot, ep. tit. Cassandrensis, aux. Remensis, Emmanuel Trindade Salgueiro, ep. Eborensis, Romanus Arrieta, ep. Pluviensis.

Post disceptationem, de mandato praesidis, secretarius generalis petiit a Patribus utrum schema propositum, cum mutationibus indicatis, placeret necne.

Moniti translationibus in vernaculas linguas lectis a subsecretariis, rogati sunt Patres, ut illi, quibus *Nuntius* cum propositis mutationibus placeret, surgerent; illi autem, quibus non placeret, sedentes manerent. Deinde qui surrexerant, sederunt, qui vero sedentes manserant, surrexerunt. Ex 2.344 Patribus praesentibus tantum 72 *Nuntium* non probaverunt.

Ideo secretarius generalis de mandato praesidis communicavit *Nuntium* cum mutationibus probatum esse fere unanimiter a Patribus Concilii.

Tandem monuit disceptationem *de sacra Liturgia* inceptum iri in proxima congregatione generali, die 22 octobris.

Praeses prece *Agimus...* coetui finem imposuit hora 12,45.

IV

Congregatio generalis quarta habita est feria II, die 22 octobris, hora 9 antemeridiana. Interfuerunt 2.355 Patres, nempe 77 cardinales, 8 patriarchae, 8 primates, 418 archiepiscopi, 1.732 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 89 superiores generales.

Ante Missam secretarius generalis Patribus ex ambone significavit ab initio Concilii duos Patres iam supremum diem obiisse: P. D. Ioseph Burke, ep. Buffalensem, et P. D. Aemilium Facchini, ep. Alatrensem.

Card. Normannus Thomas Gilroy, arch. Sydneyensis, primi praesidis munere fungens, omnibus Patribus surgentibus, *De profundis...* recitavit.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu latino a P. D. Laurentio Jäger, arch. Paderbornensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: ad offertorium *Beati eritis* (Croce); ad Sanctus *O salutaris hostia* (Bartolucci); ad Agnus Dei *Panis angelicus* (Bartolucci).

Missa celebrata, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes.*

Facta S. Evangelii inthronizatione a P. D. Casimiro Morcillo González, arch. Caesaraugustano, praeses precem *Adsumus...* recitavit, omnibus Patribus stantibus.

Postea secretarius generalis ex ambone annuntiavit in itinere versus Romam Concilii celebrandi causa, mortem obiisse P. D. Ioannem Hogan, ep. Bellaryensem, et communicavit exsequias P. D. Facchini celebratum iri die sequenti, in ecclesia S. Iacobi in Augusta, hora 8.

Deinde proclamavit nomina electorum pro commissionibus de sacramentorum disciplina, de religiosis, de seminariis, de studiis et de educatione catholica.

Postea legit rescriptum ex audientia a Summo Pontifice concessa card. a Secretis Status. Secretariatus ad unitatem christianorum fovendam ceteris commissionibus conciliaribus aequiparatus est.

Post breve intervallum, secretarius generalis annuntiavit initium examinis schematis *de sacra Liturgia.*

Card. Arcadius Larraona, praeses commissionis, incepit relationem, quam P. Ferdinandus Antonelli O.F.M., ipsius commissionis secretarius, ex ambone perlegit.

Relatione expleta, disceptatio de schemate in genere incepta est.

Praeses ex ordine ad loquendum vocavit cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensem, Ernestum Ruffini, arch. Panormitanum, Iacobum Lercaro, arch. Bononiensem, Ioannem B. Montini, arch. Mediolanensem, Franciscum Spellman, arch. Neo-Eboracensem, Iulium Döpfner, arch. Monacensem et Frisingensem, Petrum Tatsuo Doi, arch. Tokiensem, Radulfum Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile; Paulum II Cheikho, patr. Babylonensem Chaldaeorum, Aegidium Vagnozzi, arch. tit. Myrensem, delegatum ap. in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Dionysium Eugenium Hurley, arch. Durbanianum, Guilford Young, arch. Horbatensem, Aloisium Del Rosario, arch. Zamboangensem, Ioannem B. Scapinelli di Leguigno, arch. tit. Laodicensem ad Libanum, Henricum Dante, arch. tit. Carpasiensem, Fidelem García Martinez, ep. tit. Sululitanum, Villelmum Kempf, ep. Limburgensem, Laureanum card. Rugambwa, ep. Bukobaensem, Carolum Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmensem, Alfonsum M. Ungarelli, ep. tit. Azurensem, prael. nullius Pinerensem, Ioannem Hervás y Benet, ep. tit. Doritanum, prael. nullius Cluniensem.

Hora 12 S. Evangelium repositum est et praeses recitavit preces *Angelus Domini... Agimus...* Indicata per secretarium generalem proxima congregatione in diem 23 octobris, coetus dimissus est.

V

Congregatio generalis quinta habita est die 23 octobris, feria III, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.363 Patres, nempe 76 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 426 archiepiscopi, 1.732 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 89 superiores generales.

P. D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, ritu romano Missam votivam de Spiritu Sancto celebravit.

Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Da pacem* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Crux fidelis.*

Missa absoluta, secretarius generalis, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, monuit: *Exeant omnes.*

P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coadiutor c.i.s. Lugdunensis, sollemniter S. Evangelii codicem ad altare detulit et super paratum thronum statuit.

Card. Franciscus Spellman, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* legit.

Dein secretarius generalis ex ambone proclamavit nomina illorum, qui suffecerunt sodales in aliis commissionibus iam partem habentes, scil. in commissione de Ecclesiis Orientalibus, P. D. Matthaeus Kavukatt, arch. Changanacherrensis, loco P. Theodori Minisci; in commissione de fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis, P. D. Thomas Morris, arch. Casheliensis, loco card. Stephani Wyszyński.

Dein explicationes dedit de ratione procedendi in schematum examine. Huiusmodi explicationum translationes in linguas vernaculas (hispanicam, gallicam, anglicam, germanicam et arabicam) a subsecretariis lectae sunt.

Idem secretarius generalis communicavit schematum exemplaria dari posse tantum Patribus, qui illa forte nondum accepissent.

Inde disceptatio prosecuta est circa schema *de sacra Liturgia* in genere. Ex ordine locuti sunt cardd. Alfredus Ottaviani et Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici; Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis, Hyacinthus Argaya Goicoechea, ep. Mindoniensis-Ferrolensis, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis, Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis, Garabed Amadouni, ep. tit. Amathusius in Cypro, exarcha ap. Armenorum in Gallia.

Iuri loquendi renuntiarunt Villelmus Bekkers, ep. Buscoducensis, Angelus Jelmini, ep. tit. Thermensis, adm. ap. Luganensis, Bernardinus Echeverria, ep. Ambatensis.

Hora 10,55 disceptatio generalis circa schema *de sacra Liturgia* finita est et secretarius generalis communicavit Summum Pontificem concedere ut Patres, qui a Concilio ob grave motivum, praesertim pastorale, abesse deberent, posse id secretariae generali significare et abire.

Dein incepit disceptatio circa prooemium et caput I schematis *de sacra Liturgia,* quorum initia secretarius generalis legit. Rogavit etiam Patres ut orationes in materiae limitibus continere vellent.

Praeses ad loquendum ex ordine vocavit cardd. Ernestum Ruffini, arch. Panormitanum, Iacobum de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Mauritium Feltin, arch. Parisiensem, Iacobum Franciscum McIntyre, arch. Angelorum in California, Paulum Aemilium Lé-

ger, arch. Marianopolitanum, Villelmum Godfrey, arch. Westmonasteriensem, Ioannem Landázuri Ricketts, arch. Limanum, Michaëlem Browne; Maximum IV Saigh, patr. Antiochenum Melchitarum.

Veniae loquendi renuntiarunt cardd. Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis, Ioannes d'Alton, arch. Armachanus, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis.

Hora 12,30 S. Evangelii codice reposito, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit. Intimata proxima congregatione generali die 24 octobris habenda, Patres dimissi sunt.

VI

Congregatio generalis sexta habita est die 24 octobris, feria IV, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.337 Patres, nempe 77 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 421 archiepiscopi, 1.714 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 85 superiores generales.

Missam celebravit ritu byzantino-melchita P. D. Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, una cum duobus superioribus generalibus, ministrante diacono graeco. Patribus distributum est opusculum: *La divina Liturgia di S. Giovanni Crisostomo.*

Chorus Pontificii Collegii Graeci in Urbe exsecutus est cantus.

Sacrum ritum P. D. Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus in Osrhoëne Melchitarum, interim elata voce significabat.

Missa expleta, secretarius generalis, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, intimavit: *Exeant omnes.*

S. Evangelii codicis inthronizatio facta est a P. D. Ioanne Krol, arch. Philadelphiensi Latinorum.

Card. Henricus Pla y Deniel, arch. Toletanus, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Deinde secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, nuntium dedit mortis P. D. Aston Chichester S. I., arch. tit. Valebusdiensis, qui, ad aulam S. Concilii pergens, improviso morbo correptus, dum ad nosocomium vehitur, supremum diem obiit. Praeses recitavit *De profundis...* Dein prosecuta est disceptatio de prooemio et cap. I schematis *de sacra Liturgia.*

Successive ad loquendum vocati sunt cardd. Eugenius Tisserant, ep. Portuensis et S. Rufinae, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Augustinus Bea, Antonius Bacci, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis; Petrus Van Lierde, ep. tit. Porphyriensis, Ioannes McQuaid, arch. Primas Dublinensis, Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis, Alexander Gonçalves

do Amaral, arch. Uberabensis, Gilbertus Ramanantoanina, arch. Fianarantsoaensis, Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis, Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide, Dinus Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina, Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon, Ioseph Gawlina, arch. tit. Madytensis, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis.

Patribus calendarium congregationum generalium mensis novembris distributum est.

Hora 12,20 S. Evangelii codex repositus est et a praeside preces *Angelus... Agimus...* recitatae sunt. Deinde Patres, intimata proxima congregatione die 26 octobris habenda, dimissi sunt.

VII

Congregatio generalis septima habita est feria VI, die 26 octobris, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.326 Patres, nempe 76 cardinales, 7 patriarchae, 8 primates, 419 archiepiscopi, 1.705 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 88 superiores generales.

P. D. Deodatus Yougbare, ep. Kupelaënsis, Missam de Spiritu Sancto celebravit ritu romano. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Confirma hoc Deus* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Panis angelicus.*

Missa expleta, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, elata voce, intimavit: *Exeant omnes.*

S. Evangelii codicem P. D. Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, super paratum thronum statuit.

Card. Ioseph Frings, munere primi praesidis fungens, recitata prece *Adsumus...,* spem expressit in illa congregatione disceptationem de prooemio et de cap. I finitum iri, si omnes oratores intra limites materiae et temporis manerent; et licentiam loquendi concessit card. Siri.

Prius vero secretarius generalis, proclamato praesidis nomine, communicavit exsequias P. D. Chichester celebratum iri vespere, hora 16,30 in ecclesia SS. Nominis Iesu (del Gesù). Deinde legit nomina eorum, qui sermonem habere petierant.

A praeside ad loquendum ex ordine vocati sunt PP. DD. card. Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Villelmus Bekkers, ep. Buscoducensis, Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis, Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis aux. Lugdunensis, Ioannes Hervás y Benet, ep. tit. Doritanus, prael. nullius Cluniensis, Aloisius Carli, ep. Signinus, Christophorus Butler, abbas

Congregationis Anglicae O.S.B., Simon Hoa Nguyen-van-Hien, ep. Dalatensis, Demetrius Mansilla Reoyo, ep. tit. Reythraeus, aux. Burgensis, Victorius M. Costantini, ep. Suessanus, Ludovicus La Ravoire Morrow, ep. Krishnagarensis, D. Benedictus Reetz, praeses Congregationis Beuronensis O.S.B., Antonius Añoveros Ataún, ep. tit. Tabudensis, coad. c.i.s. Gadicensis et Septensis, Carolus Calewaert, ep. Gandavensis, Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, D. Ioannes Prou, abbas generalis Congregationis Gallicae O.S.B., Iesus Enciso Viana, ep. Maioricensis, Henricus Rau, ep. Maris Platensis, Abilius del Campo y de la Bárcena, ep. Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis.

Praeses, cum iam proxima esset meridies, oratores admonuit ut brevissime loquerentur et iam dicta ne repeterent.

Adhuc locuti sunt PP. DD. Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis, Clemens Isnard, ep. Neo-Friburgensis, Aloisius Borromeo, ep. Pisaurensis.

Veniae loquendi renuntiarunt Benno Gut, abbas primas Benedictinorum confederatorum, Gabriel Sortais, abbas generalis Congregationis Cisterciensium reformatorum, Marcellus Olaechea, arch. Valentinus, Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia, Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Aloisius Gonzaga da Cunha Marelim, ep. Caxiensis.

Hora 12,20 S. Evangelii codex repositus est et, precibus dictis *Angelus... Agimus...*, coetui finis impositus est. Intimata a secretario generali proxima congregatione generali habenda die 27 octobris, Patres dimissi sunt.

VIII

Congregatio generalis octava habita est sabbato die 27 octobris, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.302 Patres, nempe 74 cardinales, 6 patriarchae, 8 primates, 412 archiepiscopi, 1.692 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 88 superiores generales.

P. D. Michaël Darius Miranda y Gómez, arch. primas mexicanus, ritu romano, Missam de Spiritu Sancto celebravit. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O sacrum convivium* (Bartolucci), *O memoriale* (Bartolucci), *Ave verum* (Bartolucci).

Missa expleta, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, intimavit: *Exeant omnes,* et S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis, nomine praesidis proclamato, legit nomina eorum, qui loqui petierant.

Praeses iterum ad brevitatem Patres hortatus est, et multi plauserunt. Deinde disceptatio de prooemio et cap. I schematis *de sacra Liturgia* prosecuta est.

Ex ordine ad loquendum a praeside vocati sunt Marcellinus Olaechea Loizaga, arch. Valentinus, Aloisius da Cunha Marelim, ep. Caixensis in Maragnano, Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis, Secundus Garcia de Sierra y Méndez, arch. tit. Parianus, coad. c.i.s. Ovetensis, Franciscus Marty, arch. Remensis, Cyrillus Zohrabian, ep. tit. Acilisenus, P. Anicetus Fernandez, magister generalis O. P., Henricus Jenny, ep. tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis, Marcus McGrath, ep. tit. Ceciritanus, aux. Panamensis, Zacharias Rolin de Moura, ep. Cajazeirasensis, Georgius Kemerer, ep. Posadensis, Albertus Devoto, ep. Goyanensis, Petrus Kobayashi, ep. Sendaiensis, Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis, Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis, Ioseph Melas, ep. Nuorensis, Albertus De Vito, ep. Lucknovensis, Ioseph Schoiswohl, ep. Secoviensis, Carolus Weber, ep. Iceuvensis, Carolus Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmensis, Thomas Muldoon, ep. tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis, Ioseph Carraro, ep. Veronensis, Carolus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus, Gerardus Vielmo, ep. tit. Ariassensis, vic. ap. Aysénensis.

Praeses Patres admonuit ut a plausu semper sese abstinerent. P. D. Thomas Muldoon proposuit ut disceptationi de prooemio et cap. I schematis *de sacra Liturgia* finis imponeretur. Sed praeses censuit se non posse privare Patres facultate loquendi, ac proinde disceptatio continuata est.

Facultati loquendi renuntiaverunt PP. DD. Ioannes Przyklenk, ep. Ianuariensis, Ioannes Adam, arch. Liberopolitanus, Sanctes Portalupi, arch. tit. Christopolitanus, Ioseph Alí Lebrun Moratinos, ep. Valentinus in Venetiola, Antonius Fustella, ep. Tudertinus, Paulus Gouyon, ep. Baionensis, Stephanus László, ep. Sideropolitanus, Gerardus de Morais Penido, arch. Iudiciforensis, Oscar Sevrin, ep. tit. Mossinensis, Franciscus Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis de Ingazeira, Ioseph López Ortiz, ep. Tudensis-Vicensis.

Cum adhuc plures quam triginta Patres loquendi facultatem petiissent, praeses illos hortatus est ut, quantum fieri posset, renuntiarent, ita ut proxima feria II disceptatio de cap. II inciperetur.

Hora 12,20 repositus est S. Evangelii codex et praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit.

Secretarius generalis intimavit proximam congregationem habendam feria II, die 29 octobris, et Patres dimissi sunt.

IX

Congregatio generalis nona habita est die 29 octobris, feria II, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.278 Patres, nempe 73 cardinales, 5 patriarchae, 9 primates, 409 archiepiscopi, 1.672 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 88 superiores generales.

P. D. Paulus Aijiro Yamaguchi, arch. Nagasakiensis, ritu romano Missam de Spiritu Sancto celebravit. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Crux fidelis* (Bartolucci), *O salutaris* (Bartolucci), *Caelestis Ierusalem* (Bartolucci). Missa expleta, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes.*

S. Evangelii codicem P. D. Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, super paratum thronum statuit.

Card. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis, proclamato praesidis nomine, legit nuntium, qui sabbato elapso, ex communi voto, missus erat ad Summum Pontificem iamiam quartum anniversarium suae electionis in Romanum Pontificem celebrantem.

Deinde communicavit nomina Patrum, quos Summus Pontifex commissionibus conciliaribus adscivit; legit quoque nomina eorum, qui de prooemio et cap. I schematis *de sacra Liturgia* loqui postulaverant. Tandem hortatus est omnes ne, quod spectat linguam latinam, repeterent ab aliis iam dicta.

Ex ordine ad loquendum a praeside vocati sunt Antonius Santin, ep. Tergestinus et Iustinopolitanus, Ioseph Battaglia, ep. Faventinus, Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis, Henricus Nicodemo, arch. Barensis, Otto Spülbeck, ep. Misnensis, Philippus Benitez Avalos, ep. tit. Chersonesitanus in Europa, aux. SS. Assumptionis, Fidelis García Martinez, ep. tit. Sululitanus, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus, Salomon Ferraz, ep. aux. S. Pauli, Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus, Franciscus Simons, ep. Indorensis, Iulius Kandela, arch. tit. Seleuciensis pierius, aux. Antiochiae Syrorum, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania, Tarcisius Benedetti, ep. Laudensis, Ioannes B. Peruzzo, ep. Agrigentinus.

Hora 11,47 disceptatio interrupta est et secretarius generalis ex ambone communicavit responsionem, quam Summus Pontifex dignatus erat dare nuntio a Concilio ad ipsum misso. Omnes Patres stantes plauserunt.

Deinde secretarius generalis annuntiavit initium disceptationis de cap. II, et rogavit Patres locuturos ut ipsi summam rerum dicendarum tempore opportuno secretariae generali traderent.

Ex ordine ad loquendum de cap. II vocati sunt cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Paulus Léger, arch. Marianopolitanus.

Hora 12,10 S. Evangelii codex repositus est. Praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit. Intimata a secretario generali proxima congregatione generali habenda die 30 octobris, coetui finis impositus est.

X

Congregatio generalis decima habita est die 30 octobris, feria III, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.257 Patres, nempe 75 cardinales, 5 patriarchae, 9 primates, 405 archiepiscopi, 1.662 episcopi, 9 abbates nullius, 12 praelati nullius, 80 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Iacobo Mangers, ep. Osloensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O sacrum convivium* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Dulce lignum* (Bartolucci).

Post Missam secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Casimirus Morcillo González, arch. Caesaraugustanus, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Post precem *Adsumus...* a praeside card. Bernardo Alfrink recitatam, secretarius generalis, proclamato primi praesidis nomine, legit nomina Patrum, qui loqui petierant de cap. II schematis *de sacra Liturgia.* Dein nuntiavit novam seriem pictaciorum vehicularium (francobolli) fore Patribus distributam.

Ad loquendum de cap. II schematis *de sacra Liturgia* ex ordine vocati sunt: cardd. Villelmus Godfrey, arch. Vestmonasteriensis, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Ioseph Bueno y Monreal, arch. Hispalensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Alfredus Ottaviani, Augustinus Bea, Michaël Browne; Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis, Custodius Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques, Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis, Paulus Rusch, ep. tit. Meloensis in Isauria, adm. ap. Oenipontinus, Georgius Dwyer, ep. Loidensis, Emmanuel Trindade Salgueiro, arch. Eborensis, Carmelus Zazinović, ep. tit. Lebessenus, aux. Veglensis, Michaël Arattukulam, ep. Aleppeyensis, Ioannes Carolus McQuaid, arch. prim. Dublinensis, Angelus Fernandes, arch. tit. Neopatrassensis, coad. c.i.s.

Delhiensis, Carolus H. Helmsing, ep. Kansanopolitanus S. Ioseph, Hadrianus Ddungu, ep. Masakaensis, P. Sighardus Kleiner, abb. gen. S. Ord. Cist., Bernardus Stein, ep. tit. Dagnensis, aux. Trevirensis, Ioseph Hildefonsus Sansierra, ep. tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo.

Hora 12,15 S. Evangelii codex repositus est et praeses precem *Angelus...* recitavit pro pace in India. Secretarius generalis intimavit proximam congregationem habendam die 31 octobris, hora 9, et Patres dimissi sunt.

XI

Congregatio generalis undecima habita est feria IV, die 31 octobris, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.230 Patres, nempe 74 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 396 archiepiscopi, 1.640 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 83 superiores generales.

P. D. Ioseph Lemieux, arch. Ottaviensis, Missam de Spiritu Sancto celebravit ritu dominicano. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O sacrum convivium* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Ave verum* (Bartolucci).

Missa expleta, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c.i.s. Lugdunensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Card. Eugenius Tisserant, primus praeses, precem *Adsumus...* recitavit. Secretarius generalis, proclamato nomine primi praesidis, nomina retulit Patrum, qui loqui postulaverant, et nuntiavit distributionem numismatum argenteorum, quae ob initum Concilium Oecumenicum cusa sunt. Dein monuit Patres cardinales, qui secum cappas non detulissent, Cappellae Papali die 4 novembris interesse posse cum mantelletta et mozetta. Tandem rogavit omnes Patres ne in aula conciliari distribuerent circulares privatas nisi de consensu consilii praesidentiae.

Ex ordine ad loquendum de cap. II schematis *de sacra Liturgia* vocati sunt: cardd. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, Franciscus König, arch. Vindobonensis; Placidus Cambiaghi, ep. Cremensis, Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis, Raimundus Iglesias Navarri, ep. Urgellensis, Ioannes Nuer, ep. tit. Phatanensis, aux. Thebanus, Narcissus Jubany Arnau, ep. tit. Orthosiensis in Phaenicia, aux. Barcinonensis, Ioannes B. Przyklenk, ep. Ianuariensis, Albertus Devoto, ep. Goyanensis, Laurentius Satoshi Nagae, ep. Urawaensis, Paulus Hallinan, arch. Atlantensis, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Aloisius da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Maragnano, Ioannes Weber, arch. Argentinensis, Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Argentinensis,

Ioseph Khoury, ep. Tyrensis Maronitarum, Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus in Osrhoëne, Ioannes Aramburu, arch. Tucumanensis, Petrus Pao-Zin Tou, ep. Hsinchuensis, Carolus Himmer, ep. Tornacensis, Ioannes van Cauwelaert, ep. Inongoensis, Cyrillus Zohrabian, ep. tit. Acilisensis, Petrus Boillon, ep. tit. Mainensis, coad. Virodunensis, Albertus De Vito, ep. Lucknowensis, Ioseph Melas, ep. Nuorensis.

Iuri loquendi renuntiarunt D. Ioannes Prou, sup. gen. Congregationis Gallicae O.S.B., Benedictus Tomizawa, ep. Sapporensis.

Hora 12,20 S. Evangelii codex repositus est et praeses, intimata proxima congregatione generali habenda feria II, die 5 novembris, hora 9, preces *Angelus... Agimus...* recitavit, quibus finis coetui impositus est.

XII

Congregatio generalis duodecima habita est die 5 novembris, feria II, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.196 Patres, nempe 70 cardinales, 6 patriarchae, 8 primates, 396 archiepiscopi, 1.609 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 86 superiores generales.

Missam in ritu antiocheno Maronitarum celebravit P. D. Ioseph Khoury, ep. Tyrensis Maronitarum. Quidam monachi maronitae in Urbe, ex Ordine S. Isaiae et S. Antonii, exsecuti sunt cantus. Antea Patribus distributum fuerat folium typis impressum, cui titulus *Ordo Missae antiochenae Maronitarum.*

Post Missam secretarius generalis Concilii intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, precem *Adsumus...* recitavit. Deinde secretarius generalis, proclamato nomine primi praesidis, nomina Patrum communicavit, quos Summus Pontifex cooptare dignatus erat in sodales tribunalis administrativi: cardd. Carolum Chiarlo, Franciscum Morano, Villelmum Theodorum Heard; Andream Rohracher, arch. primatem Salisburgensem, Laurentium Floyd Begin, ep. Quercopolitanum, Edmundum Nowicki, ep. tit. Tuggensem, coad. Gedanensem, Ioannem Pohlschneider, ep. Aquisgranensem, Eugenium Beitia Aldazábal, ep. Santanderiensem, Ioannem Vonderach, ep. Churiensem, Franciscum Furey, ep. tit. Temnitanum, aux. Philadelphiensem Latinorum.

Dein secretarius generalis legit nomina Patrum qui loqui petierant. Ipsi rogati sunt ne repeterent quod iam dictum erat.

Praeses ex ordine ad loquendum de cap. II schematis *de sacra Li-*

turgia vocavit: cardd. Carolum Confalonieri (qui ordinem laborum subcommissionis de schematibus emendandis illustravit), Iacobum Franciscum McIntyre, arch. Angelorum in California; Villelmum Duschak, ep. tit. Abiddenum, vic. ap. Calapanensem, Stephanum László, ep. Sideropolitanum, Carolum Ferrari, ep. Monopolitanum, Armandum Fares, arch. Catacensem-ep. Squillacensem, Carolum Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmensem, Albertum Cousineau, ep. Capitis Haitiani, Henricum Jenny, ep. tit. Lycaonensem, aux. Cameracensem, Andream Perraudin, arch. Kabgayensem, Paulum Barrachina Estevan, ep. Oriolensem-Lucentinum, Augustinum Lopez De Moura, ep. Portalegrensem-Castri Albi, Bennonem Gut, abb. prim. Ord. S. Benedicti, Paulum Yü-pin, arch. Nanchimensem, Villelmum Bekkers, ep. Buscoducensem, Eladium Vicuña Aránguiz, ep. Chillanensem, Paulum Seitz, ep. Kontumensem, Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensem-Castellionensem, Thomam Muldoon, ep. tit. Fesseitanum, aux. Sydneyensem, Georgium Xenopulos, ep. Syrensem et Sanctoriensem, Petrum Théas, ep. Tarbiensem et Lourdensem, Caesarem Mosquera Corral, arch. Guayaquilensem, Gregorium Modrego y Casáus, arch. Barcinonensem, Ioseph D'Avack, arch. Camerinensem.

Iuri loquendi renuntiaverunt PP. DD. Ludovicus Rastouil, ep. Lemovicensis, Ioannes B. da Mota Albuquerque, ep. Victoriensis Spiritus Sancti, Andreas Charue, ep. Namurcensis, Patricius Kelly, ep. Urbis Beninensis, Carolus Parteli, ep. Fructuosensis, Simon Landersdorfer, ep. Passaviensis, Marcellus Dubois, arch. Bisuntinus.

Hora 12,15 S. Evangelii codex repositus est et praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit.

Intimata a secretario generali proxima congregatione generali habenda die 6 novembris, hora 9, Patres dimissi sunt.

XIII

Congregatio generalis decima tertia habita est die 6 novembris, feria III, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.211 Patres, nempe 67 cardinales, 5 patriarchae, 8 primates, 398 archiepiscopi, 1.626 episcopi, 11 abbates nullius, 11 praelati nullius, 85 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Andrea Hamvas, ep. Csanadiensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Ave verum* (Bartolucci), *O salutaris* (Bartolucci), *Panis angelicus* (Bartolucci).

Post Missam secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et

P. D. Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum collocavit.

Card. Ignatius Gabriel Tappouni, patriarcha Antiochenus Syrorum, precem *Adsumus...* recitavit. Deinde secretarius generalis, proclamato nomine primi praesidis, Patrum nomina legit, qui circa cap. II schematis *de sacra Liturgia* loqui petierant, et rogavit ut quisque de suo sermone duo exemplaria scripto traderet una cum brevi summario.

Dein ad loquendum ex ordine vocati sunt Franciscus Zak, ep. S. Hippolyti, Franciscus Zauner, ep. Linciensis, Iulius Kandela, arch. tit. Seleuciensis pierius, aux. Antiochenus Syrorum, Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis.

Tunc secretarius generalis ex ambone nuntiavit Summum Pontificem consilio praesidentiae facultatem concessisse proponendi congregationi generali cessationem a disceptatione, cum materia satis illustrata et enucleata eidem consilio videretur. Huiusmodi nuntius a subsecretariis in lingua hispanica, gallica, anglica, germanica et arabica lectus est.

Inde card. Eugenius Tisserant postulavit a congregatione generali utrum a disceptatione circa cap. II schematis *de sacra Liturgia* cessari posset. Post suffragationem favorabilem, factus est transitus ad cap. III eiusdem schematis, cuius initium legit secretarius generalis.

Ex ordine ad loquendum vocati sunt: cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Ferdinandus Cento, Michaël Browne; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, Ioseph Arnerić, ep. Sibenicensis, Dominicus Capozi, arch. Taeiüenensis, Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis, Petrus Pham-ngoc-Chi, ep. Quinhonensis, Marius Maziers, ep. tit. Augustopolitanus in Phrygia, aux. Lugdunensis, Antonius Plaza, arch. Platensis, Ioseph Lebrun Moratinos, ep. Valentinus in Venetiola, Tullius Botero Salazar, ep. Medellensis.

Hora 11,28 secretarius generalis communicavit Summum Pontificem statuisse finem imponere primae Ss. Concilii periodo die 8 decembris.

Dein adhuc ad loquendum de cap. III vocati sunt Alfonsus de Carvalho, ep. Angrensis, Aloisius Cabrera Cruz, ep. S. Ludovici Potosiensis, Benedictus Tomizawa, ep. Sapporensis, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis, Matthaeus Garković, arch. Iadrensis, Benedictus Reetz, archiabbas Congr. Beuronensis O.S.B., Aloisius Barbero, ep. Viglevanensis, Renatus Pailloux, ep. Arcis Rosebery.

Hora 12,10 praeses coetui finem imposuit precibus *Angelus... Agimus...* Secretarius generalis proximam congregationem generalem die 7 novembris habendam intimavit.

XIV

Congregatio generalis decima quarta habita est die 7 novembris, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.214 Patres, nempe 68 cardinales, 5 patriarchae, 9 primates, 401 archiepiscopi, 1.625 episcopi, 11 abbates nullius, 11 praelati nullius, 84 superiores generales.

Missam celebravit iuxta ritum romanum P. D. Paulus Nguyen Van Binh, arch. Saigonensis. Cantores Cappellae Sixtinae exsecuti sunt cantus: *Da pacem* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Crux fidelis* (Bartolucci).

Missa expleta, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Robertus Dosseh, arch. Lomensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Card. Normannus Gilroy, arch. Sydneyensis, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis, proclamato nomine primi praesidis, annuntiavit post cap. III fieri disceptationem circa cap. IV, et deinde circa capp. V, VI, VII, VIII una simul. Post schema *de sacra Liturgia* incipiet disceptatio de constitutione dogmatica *de fontibus revelationis.*

Ex ordine ad loquendum de cap. III vocati sunt Petrus Rougé, ep. tit. Gisipensis, coad. c.i.s. Nemausensis, Florentius Angelini, ep. tit. Messeniensis, Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, Clemens Isnard, ep. Neo-Friburgensis, Ioseph Hildefonsus Sansierra, ep. tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo, Aloisius Faveri, ep. Tiburtinus, Antonius Mistrorigo, ep. Tarvisinus, Aurelius Del Pino Gómez, ep. Illerdensis.

Hora 10,35 secretarius generalis Patres invitavit ad exsequias, sequenti die, hora 10, habendas, in suffragium cardinalium necnon ceterorum Patrum, qui elapso anno vita functi erant.

Dein continuata est disceptatio de cap. III et ex ordine ad loquendum vocati sunt Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis, Franciscus Peralta y Ballabriga, ep. Victoriensis, Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus, Villelmus Bekkers, ep. Buscoducensis, Carolus Wojtyla, ep. tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis, Villelmus van Bekkum, ep. Rutengensis, Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis, Alcides Mendoza Castro, ep. tit. Metrensis, aux. Abancaiensis, Andreas Wronka, ep. tit. Vatarbensis, aux. Gnesnensis, Ioseph Malula, ep. tit. Attanasensis, aux. Leopoldpolitanus, Ferdinandus Romo Gutierrez, ep. Torreonensis, Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus, Aemilius Tagle Covarrubias, ep. Vallis Paradisi.

Facultati loquendi de cap. III renuntiarunt Ioseph Arnerić, ep. Sibenicensis, Ioannes McQuaid, arch. primas Dublinensis, Villelmus Con-

nare, ep. Greensburgensis, Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis, Ioannes Iulianus Weber, arch. Argentinensis, Vincentius A. González y Robleto, arch. Managuensis.

Hora 11,45 secretarius generalis ex ambone transitum ad disceptationem de cap. IV schematis *de sacra Liturgia* Patribus significavit, cuius initium legit.

Ex ordine ad loquendum vocati sunt cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Valerius Valeri, Ferdinandus Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus, Paulus Léger, arch. Marianopolitanus.

Hora 12,20 S. Evangelii codex repositus est et, precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 9 novembris habendam, hora 9.

XV

Congregatio generalis decima quinta habita est die 9 novembris, feria VI, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.216 Patres, nempe 71 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 401 archiepiscopi, 1.623 episcopi, 11 abbates nullius, 11 praelati nullius, 83 superiores generales.

P. D. Hector Cunial, arch. tit. Soteropolitanus, Urbis vices gerens, Missam in anniversario dedicationis Basilicae Lateranensis celebravit iuxta ritum romanum.

Cantores Cappellae Sixtinae cantus exsecuti sunt: *Caelestis Urbs Ierusalem* (Bartolucci), *O memoriale, O sacrum convivium.*

Post Missam secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes.* S. Evangelii codicis inthronizatio peracta est a P. D. Mauritio Perrin, arch. Carthaginensi.

Card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, precem recitavit *Adsumus...*, et secretarius generalis, ex ambone, proclamato nomine primi praesidis, nomina Patrum legit, qui de cap. IV schematis *de sacra Liturgia* loqui postulaverant.

Ad loquendum ex ordine vocati sunt: cardd. Emmanuel Gonçalves Cerejeira, patriarcha Lisbonensis, Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis, Villelmus Godfrey, arch. Westmonasteriensis, Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, Rufinus Santos, arch. Manilensis, Ioannes Landázuri Ricketts, arch. Limanus, Antonius Bacci, Augustinus Bea, Anselmus Albareda; Villelmus Connare, ep. Greensburgensis, Sergius

Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis, Ioannes Weber, arch. Argentinensis, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis, Iacobus Corboy, ep. Mozenensis.

Hora 11,55 praeses, disceptatione interrupta, Patrum suffragium petiit de nuntio mittendo ad P. D. Alfonsum Carinci, arch. tit. Seleuciensem in Isauria, qui centesimum vitae annum compleverat. Omnes Patres surrexerunt.

Deinde disceptatio continuata est et locuti sunt Franciscus Reh, ep. Carlopolitanus, Antonius Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina.

Post quindecim fere momenta, secretarius generalis ex ambone legit paratum telegramma, mittendum ad P. D. Alfonsum Carinci. Omnes Patres plauserunt.

Ultimus locutus est P. D. Fredericus Melendro, arch. Nganchimensis.

Hora 12,20 S. Evangelii codex repositus est et, precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, Patres dimissi sunt, postquam a secretario generali intimata fuit proxima congregatio generalis die 10 novembris habenda.

XVI

Congregatio generalis decima sexta habita est sabbato, die 10 novembris, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.172 Patres, nempe 69 cardinales, 5 patriarchae, 9 primates, 385 archiepiscopi. 1.598 episcopi, 11 abbates nullius, 11 praelati nullius, 84 superiores generales.

Missam ritu bracarensi P. D. Franciscus da Silva, ep. tit. Telmissensis, aux. Bracarensis, celebravit. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Salve regina, O salutaris hostia, Ave verum.* Antea Patribus opusculum distributum fuerat, cui titulus: *Ordo Missae Almae Bracarensis Ecclesiae.*

Missa expleta, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Caesarius Alexander Minali, ep. tit. Achyraënsis, praelatus nullius Carolinensis in Brasilia, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, precem *Adsumus...* recitavit. Secretarius generalis ex ambone, proclamato nomine primi praesidis, nomina Patrum legit, qui circa cap. IV schematis *de sacra Liturgia* loqui petierant.

Dein praeses Observatores salutavit et Patres iterum monuit de plausu vitando necnon de reverentia erga omnes exhibenda, praesertim erga illos, qui in Curia Romana officiis funguntur.

Ad loquendum de cap. IV schematis *de sacra Liturgia* ex ordine vocati sunt: Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis, Fidelis García Martinez, ep. tit. Sululitanus, Caesar Vielmo, ep. tit. Ariassensis, vic. ap. Aysénensis, Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B., Ioseph Reuss, ep. tit. Sinopenus, aux. Moguntinus, Renatus Piérard, ep. Catalaunensis, Raphaël García y García de Castro, arch. Granatensis, Michaël Gonzi, arch. Melitensis, Stephanus Leven, ep. tit. Buritanus, aux. S. Antonii, Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis, Aemilius Guano, ep. Liburnensis, Anicetus Fernandez, sup. gen. O.P., Aloisius Carli, ep. Signinus, Bernardus Yago, arch. Abidjanensis, Ioseph Souto Vizoso, ep. Palentinus, Villelmus Van Hees, magister gen. Ordinis S. Crucis, Victorius Costantini, ep. Suessanus.

Hora 11,40 praeses disceptationem circa cap. IV interrupit et suffragationi subiecit propositionem de transitu ad capp. V-VIII. Fere omnes Patres surgendo consenserunt.

Secretarius generalis proinde, ex ambone, annuntiavit initium disceptationis circa capp. V, VI, VII, VIII, et Patrum nomina legit, qui loqui postulaverant.

Ex ordine ad loquendum de his capitibus vocati sunt: card. Spellman, arch. Neo-Eboracensis; Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, Antonius Plaza, arch. Platensis, Petrus Čule, ep. Mandetriensis, Antonius Tedde, ep. Uxellensis et Terralbensis, Raphaël González Moralejo, ep. tit. Dardanius, aux. Valentinus.

Iuri loquendi renuntiavit Ioseph Fenocchio, ep. Apuanus.

Hora 12,20 S. Evangelii codex repositus est et, precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 12 novembris habendam.

XVII

Congregatio generalis decima septima habita est die 12 novembris, feria II, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.186 Patres, nempe 71 cardinales, 5 patriarchae, 9 primates, 392 archiepiscopi, 1.601 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 87 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto ritu romano, sed slavonico idiomate, celebrata est a P. D. Ioseph Arnerić, ep. Sebenicensi. Chorus Pontificii Collegii Russici exsecutus est quosdam cantus lingua paleoslavica, inter quos *Ave Maria, Pange lingua.* Antea Patribus distributum fuerat folium continens exemplar sacri textus Missalis paleoslavici et notam historicam de liturgia paleoslavica ritus romani.

Missa expleta, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Octavius Antonius Beras, arch. S. Dominici, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Card. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis, proclamato primi praesidis nomine, communicavit Summum Pontificem statuisse primam Concilii periodum finem habere die 8 decembris; alteram vero haberi a die 12 maii proximi usque ad diem 29 iunii.

Deinde ad loquendum de capp. V-VIII ex ordine vocati sunt: cardd. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Mauritius Feltin, arch. Parisiensis, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobäensis; Conradus Bafile, arch. tit. Antiochenus in Pisidia, Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis, Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis, Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis, Ioseph Khoury, arch. Tyrensis Maronitarum, Victor Reed, ep. Oklahomensis et Tulsensis, Cyrillus Zohrabian, ep. tit. Acilisenus, Antonius Jannucci, ep. Pinnensis-Piscariensis, Russell McVinney, ep. Providentiensis, Laurentius Bereciartua Balerdi, ep. Seguntinus-Guadalajarensis, Simon Hoa Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis, Leonardus Raymond, ep. Allahabadensis, Marius Castellano, arch. Senensis, Petrus Ngô-dinh-Thuc, arch. Hueensis, Emmanuel Larrain Errázuriz, ep. Talcensis, Primus Gasbarri, ep. tit. Thennesiensis, aux. Veliternus, Paulus Gouyon, ep. Baionensis.

Iuri loquendi renuntiarunt Aemilius Guano, ep. Liburnensis, Ioannes Nuer, ep. tit. Phatanensis, aux. Thebanus, Iacobus Flores, ep. Barbastrensis.

Hora 12,20 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit. Secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem, die 13 novembris habendam, et Patres dimissi sunt.

XVIII

Congregatio generalis decima octava habita est die 13 novembris, feria III, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.209 Patres, nempe 71 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 396 archiepiscopi, 1.620 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 86 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto, ritu romano, a P. D. Emmanuele Serrano Abad, arch. Conchensi in Aequatore, celebrata est. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Aurora lumen provehit* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Ecce panis angelorum* (Bartolucci).

Post Missam secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Antonius Corso, ep. tit. Maglaenensis, aux. Montisvidei, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres et chorus cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Card. Bernardus Ioannes Alfrink, arch. Ultraiectensis, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis, proclamato nomine primi praesidis, Patres rogavit suas orationes coercere ad emendationes proponendas, et, una cum petitione loquendi, dicendorum summam necnon sermonis textum scripto exhibere.

Dein continuata est disceptatio circa capp. V-VIII *de sacra Liturgia* et ex ordine ad loquendum vocati sunt: Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis, Aloisius Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis, vic. castrensis in Hispania, Antonius Fustella, ep. Tudertinus, Caesarius D'Amato, ep. tit. Sebastenus in Cilicia, abb. nullius S. Pauli in Urbe, Aloisius Almarcha Hernández, ep. Legionensis, Petrus Zilianti, abb. nullius Montis Oliveti Maioris, Ioseph Soetemans, abb. gen. Congregationis SS. Salvatoris Lateranensis.

Hora 10,25 praeses disceptationem interrupit et facultatem loquendi tribuit card. Hamleto Ioanni Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis, qui nuntiavit Summum Pontificem, votis Patrum benigne annuentem, statuisse ut in Missae Canonem nomen S. Ioseph insereretur. Fere omnes Patres plauserunt.

Dein continuata est disceptatio et ex ordine locuti sunt Henricus Golland Trindade, arch. Botucatuensis, Casimirus Kowalski, ep. Culmensis, Paulus Yoshigoro Taguchi, ep. Osakensis, Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis, Petrus van Lierde, ep. tit. Porphyriensis, sacrista et vicarius generalis Summi Pontificis pro Civitate Vaticana, Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia, vis. ap. Ucrainorum in Argentina, Paulus Seitz, ep. Kontumensis, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, Edmundus Nowicki, ep. tit. Thuggensis, coad. Gedanensis, Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii, Ioseph Cheng Tien-Siang, ep. Kaohsiungensis, Michaël Miranda y Gómez, arch. Mexicanus, Ioseph López Ortiz, ep. Tudensis-Vicensis, Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis.

Hora 12,10 praeses coetui suffragationem proposuit de fine imponendo disceptationi schematis *de sacra Liturgia.* Cum fere omnes Patres, surgendo, consensissent propositioni, praeses annuntiavit proxima die incipiendam esse disceptationem schematis *de fontibus revelationis.*

Postea secretarius generalis, ex ambone, monuit omnes Patres ad Consistorium, feria V in Basilica S. Petri habendum, invitari.

Hora 12,15 S. Evangelii codice reposito, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 14 novembris habendam.

XIX

Congregatio generalis decima nona habita est die 14 novembris, feria IV, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2215 Patres, nempe 69 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 405 archiepiscopi, 1618 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 87 superiores generales.

Missa votiva S. Ioseph celebrata est ritu romano a P. D. Paulo Cheng, ep. tit. Ucculensi, aux. Taipehensi. Chorus Monachorum O.S.B. Collegii S. Anselmi in Urbe, cecinit cantus gregorianos.

Post Missam secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Petrus Leclerc, arch. Seguensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres *Credo* cantant.

Card. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, precem *Adsumus...* recitavit et secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, nuntiavit initium disceptationis circa schema constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis,* atque legit nomina eorum, qui loqui postulaverant.

Exposito suffragandi modo, enuntiavit propositionem super schema *de sacra Liturgia.* Eiusdem propositionis lectae sunt a subsecretariis translationes in linguas vernaculas (hispanicam, anglicam, gallicam, germanicam et arabicam).

Praeses Patres admonuit subsignationem in schedulis non esse necessariam, quia nomen iam erat in fronte schedulae, et facultatem loquendi tribuit card. Alfredo Ottaviani, praesidi commissionis de doctrina fidei et morum, ut circa schema constitutionis *de fontibus revelationis* referret.

Card. Ottaviani quaedam tantum relationi praemisit, quam ex ambone legendam rev. Salvatori Garofalo, perito commissionis de doctrina fidei et morum, tradidit.

Relatione expleta, ad loquendum de schemate in genere a praeside vocati sunt: cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis, Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Fernandus Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus, Paulus Léger, arch. Marianopolitanus, Franciscus König, arch. Vindobonensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, Augustinus Bea; B. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum.

Hora 11,45 praeses disceptationem interrupit et secretarius generalis ex ambone communicavit schema *de Ecclesia* distributum iri exeunte illa hebdomada vel proxima ineunte. Item communicavit exitum suffragationis peractae.

Continuata est deinde disceptatio et ex ordine locuti sunt Gabriel Manek, arch. Endehenus, Albertus Soegijapranata, arch. Semarangensis, Casimirus Morcillo González, arch. Caesaraugustanus.

Hora 12,15 repositus est S. Evangelii codex. Secretarius generalis in memoriam revocavit die subsequenti celebratum iri Consistorium, hora 9,30. Recitatis precibus *Angelus...* et *Agimus...* secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem, die 16 novembris habendam, et Patres dimissi sunt.

XX

Congregatio generalis vicesima habita est die 16 novembris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2213 Patres, nempe 67 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 395 archiepiscopi, 1628 episcopi, 10 abbates nullius, 10 praelati nullius, 88 superiores generales.

Missa celebrata est ritu armeno a P. D. Georgio Layek, arch. Aleppensi Armenorum in Syria, Chorus Pontificii Collegii Armeni exsecutus est cantus proprii ritus. Antea Patribus distributum fuerat folium cui titulus: *Ordo Sacrae Liturgiae Ritus Armeni,* continens eiusdem Liturgiae notulam historicam et prospectum.

Missa expleta, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Paulus Kiredjian, arch. Constantinopolitanus Armenorum, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis ex ambone, proclamato nomine praesidis congregationis, annuntiavit distributas fore, durante congregatione, emendationes circa prooemium constitutionis *de sacra Liturgia,* die subsequenti suffragationi subiiciendas.

Praeses, post monitionem de momento disceptationis circa revelationis fontes, ex ordine ad loquendum vocavit: cardd. Eugenium Tisserant, ep. Portuensem et S. Rufinae, Emmanuelem Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensem, Iacobum de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Iacobum McIntyre, arch. Angelorum in California, Antonium Caggiano, arch. Bonaërensem, Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensem, Rufinum Santos, arch. Manilensem, Ioannem Urbani, patr. Venetiarum, Radulfum Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile, Michaelem Browne; Armandum Fares, arch. Catacensem et ep. Squillacensem, Alfredum

Bengsch, arch. Berolinensem, Arturum Tabera Araoz, ep. Albacetensem, Ioseph Reuss, ep. tit. Sinopensem, aux. Moguntinum, Ioseph Gargitter, ep. Brixinensem, Simonem Hoa Nguyen-van-Hien, ep. Dalatensem, Ioseph Battaglia, ep. Faventinum, Aemilium Guerry, arch. Cameracensem, Hermenegildum Florit, arch. Florentinum, Iesum Alba Palacios, ep. Tehuantepecensem, Christophorum Butler, abb. praesidem Congr. Anglicae O.S.B.

Patribus distributum est folium typis impressum, continens emendationes prooemii schematis *de sacra Liturgia.*

Hora 12,25 reposito S. Evangelii codice, praeses *Angelus... Agimus...* recitavit, et secretarius generalis proximam congregationem generalem, die 17 novembris habendam, intimavit.

XXI

Congregatio generalis vicesima prima habita est sabbato, die 17 novembris, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2207 Patres, nempe 69 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 397 archiepiscopi, 1617 episcopi, 10 abbates nullius, 10 praelati nullius, 88 superiores generales.

Missam de Spiritu Sancto celebravit P. D. Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Aurora lucem provehit; O salutaris hostia; Panis angelicus.*

Missa expleta, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et P. D. Laurentius Bianchi, ep. Sciiamchiamensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Card. Normannus Gilroy, arch. Sydneyensis, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, nomina significavit eorum, qui *de fontibus revelationis* loqui petierant. Dein quatuor emendationum textum legit, quae suffragationi subiiciendae erant.

Card. Iacobus Lercaro et Ioseph Martin, ep. Nicoletanus, relationes de emendationibus fecerunt. Dein secretarius generalis notificavit praesidem statuisse super quatuor puncta distincte suffragationes faciendas esse per *placet* vel *non placet.*

Disceptatio prosecuta est et ad loquendum *de fontibus revelationis* ex ordine vocati sunt: cardd. Carolus de la Torre, arch. Quitensis, Ioseph Garibi y Rivera, arch. Guadalajarensis, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, Aloisius Concha, arch. Bogotensis, Antonius Bacci; Paulus Schmitt, ep. Metensis, card. Alfredus Ottaviani.

Hora 10,55 praeses paulisper disceptationem interrupit ut nuntiaret aliquem Patrem illum rogasse ut Patrum attentionem dirigeret ad art. 33, sectionem primam, *Ordinis Concilii celebrandi.*

Postea ex ordine locuti sunt Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide, Paulus Butorac, ep. Ragusinus, Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Franciscus Simons, ep. Indorensis, Andreas Charue, ep. Namurcensis, Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis, Ioannes Zoa, arch. Yaundensis, Mauritius Fourchet, ep. S. Flori, Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis, Hyacinthus Argaya Goicoechea, ep. Mindoniensis-Ferrolensis, Iulius Rosales, arch. Caebuanus.

Ultimo secretarius generalis legit suffragationum exitum circa quatuor emendationes prooemii constitutionis *de sacra Liturgia.*

Intimata proxima congregatione, habenda die 19 novembris, repositus est S. Evangelii codex et praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit.

XXII

Congregatio generalis vicesima secunda habita est die 19 novembris, feria II, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2197 Patres, nempe 67 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 394 archiepiscopi, 1613 episcopi, 10 abbates nullius, 10 praelati nullius, 87 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Matthaeo Beovich, arch. Adelaidensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Tu, Trinitatis unitas* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Ave verum Corpus.*

Post Missam P. D. Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Intimatione facta: *Exeant omnes,* card. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, ex ambone legit nomina Patrum, qui loqui petierant super schema *de fontibus revelationis.*

Continuata est disceptatio de schemate in genere et ad loquendum ex ordine vocati sunt: cardd. Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis, Normannus Gilroy, arch. Sydneyensis, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, Ioannes Landázuri Ricketts, arch. Limanus, Laureanus Rugambwa, ep. Bokubaensis; Petrus Martin, ep. tit. Selinusiensis, vic. ap. Novae Caledoniae, Aloisius Henriquez Jimenez, ep. tit. Lamdiensis, aux Caracensis, Iacobus

Griffiths, ep. tit. Gazensis, aux. Neo-Eboracensis, Aemilius De Smedt, ep. Brugensis, David De Sousa, ep. Funchalensis, Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis, Aurelius Del Pino Gómez, ep. Illerdensis, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus et S. Mariae Leucadensis, Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis, Paulus Seitz, ep. Kontumensis.

Facultati loquendi Conradus Mingo, arch. Montis Regalis, renuntiavit.

Hora 12,10 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Agimus... Angelus Domini...* recitavit, et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 20 novembris habendam.

XXIII

Congregatio generalis vicesima tertia habita est die 20 novembris, feria III, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2211 Patres, nempe 65 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 397 archiepiscopi, 1626 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 85 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Carolo Humberto Rodríguez Quiròs, arch. S. Ioseph in Costa Rica. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Confirma hoc Deus, O memoriale mortis Domini, Crux fidelis.*

Post Missam P. D. Ioannes Gahamanyi, ep. Astridaensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, et card. Ioseph Frings precem *Adsumus...* recitavit.

Intimatione facta: *Exeant omnes,* secretarius generalis ex ambone proclamavit nomen praesidis congregationis et annuntiavit prosecutionem disceptationis de principiis generalibus constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis.* Ipse legit Patrum nomina, qui loqui postulaverant.

Ad loquendum ex ordine a praeside vocati sunt Georgius Cabana, arch. Sherbrookensis, Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis, Fidelis García Martinez, ep. tit. Sululitanus, Michaël Klepacz, ep. Lodzensis, Henricus Nicodemo, arch. Barensis.

Hora 10,25 praeses disceptationem interrupit et secretarius generalis ex ambone legit propositionem consilii praesidentiae de opportunitate interrumpendi necne disceptationem schematis *de fontibus revelationis.*

Praeses, card. Frings, subiunxit se ex toto corde ad propositionem accedere. Deinde propositio a subsecretariis in variis linguis (gallica, hi-

spanica, germanica, anglica, arabica) lecta est, et a secretario generali iterum enuntiata.

Card. Ruffini, de licentia praesidis, explicavit « interruptionem » significare remissionem schematis ad commissionem ut reficeretur. Secretarius generalis explicavit valorem suffragii *placet* et *non placet.*

Interim continuata est disceptatio. Ad loquendum vocatus est P. D. Antonius Quarracino, ep. S. Dominici Novem Iulii, qui non aderat, ideoque locutus est P. D. Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus.

Dein praeses iterum sensum propositionis explicavit et ad loquendum de schemate in genere ex ordine vocavit P. D. Antonium Quarracino (qui interdum ad suum locum redierat), Aloisium Carli, ep. Signinum, Victorium M. Costantini, ep. Suessanum, P. Anicetum Fernandez, magistrum generalem O. P., Iulium Barbetta, ep. tit. Pharanitanum, Ioannem Ferro, arch. Rheginensem, Franciscum Franić, ep. Spalatensem et Macarscensem.

Iuri loquendi renuntiavit Eduardus Doody, ep. Armidalensis.

Hora 11,55 secretarius generalis ex ambone admonuit exitum suffragationis die subsequenti communicatum iri, et novum schema discutiendum — quidem feria VI proxima, si iuxta suffragationis exitum schema esset mutandum — fore illud *de instrumentis communicationis socialis.*

Deinde Patrum nomina legit, qui de cap. 1 schematis *de fontibus revelationis* loqui postulaverant.

Ex ordine ad loquendum vocati sunt: cardd. Eugenius Tisserant, ep. Ostiensis, Portuensis et S. Rufinae, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Vincentius Jacono, ep. tit. Patarensis.

Hora 12,20 secretarius generalis, de mandato praesidis, suffragationis peractae exitum nuntiavit. Cum suffragium *placet* non attigisset maioritatem requisitam (duas ex tribus partes), de mandato praesidis continuanda erat discussio *de fontibus revelationis.*

Reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 21 novembris habendam.

XXIV

Congregatio generalis vicesima quarta habita est die 21 novembris, feria IV, hora 9 matutina. Interfuerunt 2186 Patres, nempe 66 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 393 archiepiscopi, 1606 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 84 superiores generales.

Missa celebrata est ritu Byzantino-Ucraino a P. D. Gabriele Bukatko,

arch. tit. Mocisseno, coad. c.i.s. Belogradensi, adm. ap. Crisiensi, concelebrantibus duobus sacerdotibus et ministrante diacono. Alumni Pontificii Collegii Ucraini S. Iosaphat exsecuti sunt cantus. Patribus antea distributum fuerat opusculum cui titulus: *La S. Liturgia di S. Giovanni Crisostomo.*

Post Missam idem P. D. Bukatko S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, qui primi praesidis munere fungebatur, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis nomen praesidis congregationis annuntiavit et, de mandato cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis, legit nuntium de instituta a Summo Pontifice commissione mixta, ex membris nempe commissionis theologicae et secretariatus pro unione christianorum, ad emendandum schema *de fontibus revelationis.*

Secretarius generalis subiunxit disceptationem de cap. I schematis *de fontibus revelationis* illa die prosequi, et feria VI disceptationem de cap. I schematis *de instrumentis communicationis socialis* inceptum iri.

Dein legit nomina Patrum, qui loqui postulaverant circa cap. I. A praeside ex ordine ad loquendum vocati sunt Aemilius Guano, ep. Liburnensis, Eduardus Martinez, ep. Zamorensis, P. Christophorus Butler, superior generalis Congreg. Anglicae O.S.B., Vitus Chang Tao-Huan, ep. tit. Cyanitanus, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis, Franciscus Marty, arch. Remensis, Aloisius Henriquez Jimenez, ep. tit. Lamdiensis, aux. Caracensis, Petrus Cantero Cuadrado, ep. Huelvensis, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis, Petrus Veuillot, arch. tit. Constantiensis in Thracia, coad. Parisiensis, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Eduardus Boody, ep. Armidalensis, Attilius Barneschi, ep. Manziniensis, Carolus Wojtyla, ep. tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis, Ubaldus Cibrián Fernández, ep. tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis.

Iuri loquendi renuntiarunt Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis, Blasius Musto, ep. Aquinatensis, Soranus et Pontiscurvi, Raphaël González Moralejo, ep. tit. Dardanius, aux. Valentinus, Marcus McGrath, ep. tit. Caeciritanus, aux. Panamensis.

Hora 12 praeses admonuit claudi disceptationem super schema *de fontibus revelationis,* cum omnes locuti essent.

Reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit, et secretarius generalis proximam congregationem generalem die 23 novembris habendam intimavit.

XXV

Congregatio generalis vicesima quinta habita est die 23 novembris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2157 Patres, nempe 69 cardinales, 7 patriarchae, 8 primates, 393 archiepiscopi, 1579 episcopi, 10 abbates nullius, 10 praelati nullius, 81 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Hyacintho Tredici, arch. Brixiensi, qui commemorabat sexagesimum anniversarium suae ordinationis sacerdotalis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Da pacem* (Bartolucci), *O salutaris hostia, Ecce panis angelorum.*

Post Missam P. D. Albertus Scola, ep. Nursinus, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres *Credo* canunt.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et card. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis ex ambone, proclamato praesidis nomine, communicavit post constitutionem *de instrumentis communicationis socialis* tractatum iri decretum *Ut omnes unum sint*: *de Ecclesiae unitate,* dein vero constitutionem dogmaticam *de B. Maria Virgine.* Item rogavit Patres, qui de illis schematibus loqui desiderabant, ut nomen quam citius darent.

Tandem legit nomina eorum, qui super constitutionem *de instrumentis communicationis socialis* loqui postulaverant.

Card. Ferdinandus Cento, praeses commissionis conciliaris de fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis, schema Patribus breviter proposuit; illud vero illustravit Renatus Stourm, arch. Senonensis. Relationis textus, typis impressus, antea Patribus distributus fuerat.

Relatione expleta, ad loquendum ex ordine a praeside vocati sunt: cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Vincentius Enrique y Tarancón, ep. Celsonensis, Albertus Sanschagrin, ep. tit. Bagenus, coad. c.i.s. Amosensis, Georgius Beck, ep. Salfordensis, Emmanuel Llopis Ivorra, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum, Herbertus Bednorz, ep. tit. Bullensis Regiorum, coad. c.i.s. Katovicensis, Franciscus Charrière, ep. Lausannensis, Genevensis et Friburgensis, Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis, Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis, Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis, Petrus Cantero Cuadrado, ep. Huelvensis, Antonius De Castro Mayer, ep. Camposinus, Ioseph Heuschen, ep. tit. Druensis, aux. Leodiensis, Vin-

centius Brizgys, ep. tit. Bosanensis, aux. Kaunensis, Albertus Soegijapranata, arch. Semarangensis, Renatus Boudon, ep. Mimatensis.

Loquendi facultati renuntiavit Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis.

Patribus volumen distributum est, cui titulus *Schemata Constitutionum et Decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus.* Series secunda: *De Ecclesia* et *De Beata Maria Virgine.*

Hora 12,15 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit, et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 24 novembris habendam.

XXVI

Congregatio generalis vicesima sexta habita est sabbato, die 24 novembris, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2136 Patres, nempe 70 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 377 archiepiscopi, 1572 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 81 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Francisco Charrière, ep. Lausannensi, Genevensi et Friburgensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Oremus pro Pontifice nostro, O Memoriale, Iesum quem velatum, Ave verum.*

Post Missam P. D. Marcus McGrath, ep. tit. Caeciritanus, aux. Panamensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres *Credo* cantant.

Intimatione facta: *Exeant omnes,* card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, legit votorum et ominum nuntium ad Summum Pontificem mittendum ob eius diem natalem. Omnes Patres stantes plauserunt.

Dein monuit prosequi disceptationem de principiis generalibus et de singulis quaestionibus coniunctim, data arcta necessitudine inter varias quaestiones schematis constitutionis *de instrumentis communicationis socialis.*

Tandem legit Patrum nomina, qui loqui postulaverant. Ex ordine ad loquendum a praeside vocati sunt: cardd. Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis, Villelmus Godfrey, arch. Vestmonasteriensis, Paulus Léger, arch. Marianopolitanus, Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, Augustinus Bea, Iacobus Ménager, ep. Meldensis, Andreas Perraudin, arch. Kabgayensis, Alexander Renard, ep.

Versaliensis, Lucianus Bernacki, ep. tit. Melensis, aux. Gnesnensis, Casimirus Morcillo González, arch. Caesaraugustanus, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis, Vitus Chang Tso-huan, ep. tit. Cyanitensis, Antonius Nwedo, ep. Umuahiaensis, Marcellus Gonzales Martin, ep. Asturicensis, Marius Castellano, arch. Senensis, Paulus Gouyon, ep. Baionensis, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis, Antonius Ona de Echave, ep. Lucensis, Leo De Uriarte Bengoa, ep. tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raymundi, Vincentius Zazpe, ep. Raphaëliensis, Dragutin Carolus Nežić, ep. Parentinus et Polensis, Benedictus Reetz, praeses Congr. Beuronensis O.S.B., Stephanus László, ep. Sideropolitanus, Leo Lommel, ep. Luxemburgensis.

Iuri loquendi renuntiarunt Michaël Browne, ep. Galviensis et Duacensis, Aemilius Tagle Covarrubias, ep. Vallis Paradisi.

Hora 12,20 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit, et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 26 novembris habendam.

XXVII

Congregatio generalis vicesima septima habita est die 26 novembris, feria II, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2133 Patres, nempe 67 cardinales, 6 patriarchae, 8 primates, 381 archiepiscopi, 1569 episcopi, 8 abbates nullius, 10 praelati nullius, 84 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Iulio Rosales, arch. Caebuano. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Aurora lucem provehit* (Bartolucci), *O salutaris hostia, O sacrum convivium.*

Post Missam P. D. Anacletus Cazzaniga, arch. Urbinatensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Intimatione facta: *Exeant omnes,* card. Eugenius Tisserant, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis ex ambone, proclamato praesidis nomine, nuntium legit quo Summus Pontifex votis et ominibus, ad ipsum missis, respondere dignatus est. Dein, de mandato praesidis, communicavit calendarium congregationum mensis decembris, et subiunxit post decretum *Ut omnes unum sint,* inceptum iri disceptationem constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* et constitutionis *de B. Maria Virgine.* Itaque rogavit Patres, qui de his schematibus loqui vellent, ut nomina darent.

Dein annuntiavit, die sequenti, post expletam disceptationem sche-

matis *de instrumentis communicationis socialis,* praesentatum iri quandam motionem seu propositum, typis impressum, ut de eo suffragium fieret. Tandem nomina legit Patrum, qui loqui postulaverant.

Tunc prosecuta est disceptatio et a praeside ex ordine ad loquendum vocati sunt Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis, Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis, Leo Duval, arch. Algeriensis, Sanctes Moro Briz, ep. Abulensis, Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis, Aemilius Tagle Covarrubias, ep. Vallis Paradisi, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis, Aurelius Del Pino Gómez, ep. Ilerdensis, Andreas Sana, ep. Akrensis, Alexander Fernández Feo-Tinoco, ep. S. Christophori in Venetiola, Franciscus Simons, ep. Indorensis.

P. D. Michaël Browne, ep. Galviensis et Duacensis, iuri loquendi renuntiavit.

Hora 11,05 disceptatio breviter interrupta est et secretarius generalis monuit Patres ut ad sua loca redirent. Post sermonem P. D. Ioannis Zarranz y Pueyo, ep. Placentini in Hispania, ex ambone significavit propositionem praesidis ut disceptatio schematis *de instrumentis communicationis socialis* cessaret. Fere omnes Patres stantes annuerunt.

Tunc incepta est disceptatio decreti *de Ecclesiae unitate.*

Card. Hamletus Ioannes Cicognani, praeses commissionis de Ecclesiis Orientalibus, breviter schema proposuit et relationem de ipso ex ambone legendam tradidit P. Athanasio Welykyj, eiusdem commissionis secretario.

Dein ex ordine ad loquendum a praeside vocati sunt cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Antonius Bacci, Michaël Browne.

Interim Patribus folium, typis impressum, distributum est, continens propositionem circa schema *de instrumentis communicationis socialis,* sequenti die suffragio subiciendam.

Hora 12,15 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit, et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 27 novembris habendam.

XXVIII

Congregatio generalis vicesima octava habita est die 27 novembris, feria III, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2156 Patres, nempe 72 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 384 archiepiscopi, 1587 episcopi, 9 abbates nullius, 11 praelati nullius, 77 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Leonardo

Rodriguez Ballón, arch. Arequipensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Tu Trinitatis* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Crux fidelis* (Bartolucci).

Post Missam P. D. Aloisius Chávez y González, arch. S. Salvatoris in America, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres *Credo* cantant.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis ex ambone, proclamato praesidis nomine, communicavit Summum Pontificem statuisse, petentibus ob rationes praesertim pastorales pluribus episcopis, secundam Concilii periodum inceptum iri in festo Nativitatis B. M. V., die dominica 8 septembris 1963.

Dein annuntiavit ante horam 10,30 suffragationem fieri de propositione super constitutionem *de instrumentis communicationis socialis,* et legit nomina Patrum, qui super decretum *de Ecclesiae unitate* loqui postulaverant.

Tandem, de licentia praesidis, legit quandam declarationem commissionis de Ecclesiis Orientalibus, ad praecavendas obiectiones, quae ad textum non facerent, ne locus fieret confusioni nec tempus inutiliter tereretur.

Dein ad loquendum ex ordine a praeside vocati sunt: cardd. Iacobus de Barros Câmara, arch. Fluminis Ianuarii, B. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum, cuius gallici sermonis Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis, translationem in linguam latinam legit; Primus Principi, arch. tit. Tyanensis, Antonius Pawłowski, ep. Vladislaviensis, Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis, Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia, visit. Ucrainorum in Argentina, Ambrosius Senyshyn, arch. Philadelphiensis Ucrainorum, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis.

Hora 11,15 secretarius generalis, de mandato praesidis, exitum suffragationis peractae de propositione circa schema *de instrumentis communicationis socialis* ex ambone promulgavit: Praesentes votantes 2160; *Placet* 2138; *Non placet* 15; *Vota nulla* 7. Cum maioritas requisita esset 1437 vota, propositio approbata est.

Dein prosecuta est disceptatio circa decretum *de Ecclesiae unitate,* et ex ordine ad loquendum vocati sunt: Dorotheus Fernández y Fernández, ep. tit. Castabalensis, coad. c.i.s. Pacensis, Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus in Osrhoëne Melchitarum, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis, vic. patr. patriarchatus Antiochiae Melchitarum pro Aegypto, Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis, Felix Romero Menjibar, ep.

Giennensis, P. Anastasius Hage, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Ioannis Baptistae.

Hora 12,10 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 28 novembris habendam.

XXIX

Congregatio generalis vicesima nona habita est die 28 novembris, feria IV, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2144 Patres, nempe 70 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 380 archiepiscopi, 1576 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 81 superiores generales.

Missa celebrata est ritu aethiopico a P. D. Asrate Maria Yemmeru, arch. Neanthopolitano. Alumni Collegii Aethiopici exsecuti sunt cantus. Ante Missam Patribus distributum fuerat folium typis impressum, cui titulus *Liturgia Aethiopica,* continens partes ritus et notam circa ipsam liturgiam.

Post Missam ipse celebrans S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum alumni Collegii hymnum cantant.

Intimatione facta: *Exeant omnes,* card. Ignatius Tappouni, patr. Antiochenus Syrorum, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis ex ambone, proclamato praesidis nomine, legit nomina Patrum, qui circa decretum *de Ecclesiae unitate* loqui postulaverant.

Dein annuntiavit aliquas emendationes cap. 1 constitutionis *de sacra Liturgia,* typis impressas, distributum iri, ut feria VI sequenti suffragationi subicerentur.

Prosecuta est disceptatio circa decretum *de Ecclesiae unitate.* Primus locutus est ipse praeses, card. Ignatius Tappouni, qui postea ad loquendum vocavit cardd. Franciscum Spellman, arch. Neo-Eboracensem, et Alfredum Ottaviani.

Card. Ottaviani proposuit ut, expleta disceptatione circa decretum *de Ecclesiae unitate,* transitus fieret ad schema *de B. M. Virgine.* Quidam Patres plauserunt.

Postea circa schema *de Ecclesiae unitate* ad loquendum ex ordine vocati sunt B. D. Paulus II Cheikho, patr. Babylonensis Chaldaeorum, Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis Melchitarum, vic. patr. Antiochenus Melchitarum, Ioannes Velasco, ep. Sciiamensis, Marcellinus Olaechea Loizaga, arch. Valentinus, Ioseph Khoury, arch. Tyrensis Maronitarum, Michaël Darmancier, ep. tit. Auguritensis, vic. ap. Insularum Wallis et

Futuna, Dominicus Hoang-van-Doan, ep. tit. Saccaeotenus, Vincentius Enrique Tarancón, ep. Celsonensis, Reginaldus Addazi, arch. Tranensis et Barolensis, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus, Ioseph Köstner, ep. Gurcensis, Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis, Michaël Assaf, arch. Petrensis et Philadelphiensis, Georgius Dwyer, ep. Loidensis.

Iuri loquendi renuntiavit P. D. Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.

Tum secretarius generalis ex ambone annuntiavit consilium praesidentiae post examen postulati card. Ottaviani suam decisionem communicaturum. Dein propositionem legit, qua Patres rogabantur ut durante novendiale in honorem Immaculatae Deiparae Virginis preces effunderent pro omnibus episcopis et pro cuncto populo christiano. Omnes Patres plauserunt.

Tandem secretarius generalis proximam congregationem intimavit feria VI, die 30 novembris, hora 9 habendam.

Patribus duo opuscula, typis impressa, distributa sunt: *a*) Emendationes ad cap. 1, n. 1-9, schematis *de sacra Liturgia*; *b*) relatio super decretum *de Ecclesiae unitate,* a P. Athanasio Welykyj in congregatione generali vicesima septima, die 26 novembris, lecta.

Hora 12,25 precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, Patres dimissi sunt.

XXX

Congregatio generalis tricesima habita est die 30 novembris, feria VI, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2145 Patres, nempe 69 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 380 archiepiscopi, 1574 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 84 superiores generales.

Missa de festo S. Andreae Apostoli celebrata est ritu romano a P. D. Andrea Charue, ep. Namurcensi. Chorus Cappellae Sixtinae executus est cantus: *Ave verum* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Crux fidelis* (Bartolucci).

Post Missam P. D. Ioachim Domingues de Oliveira, arch. Florianopolitanus, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Intimatione facta: *Exeant omnes,* card. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis ex ambone, annuntiato primi praesidis nomine, invitavit Patres ut Principem Apostolorum eiusque fratrem, S. Andream,

cuius festum illa die celebrabatur, orarent pro christianorum unione. Dein nomina legit Patrum, qui circa schema *de Ecclesiae unitate* loqui postulaverant.

Item communicavit consilium praesidentiae, debite aestimans rationes a card. Ottaviani adductas, censuisse tamen statutum ordinem servare, ac proinde, disceptatione expleta circa decretum *de Ecclesiae unitate,* initium dandum esse relationi et disceptationi circa schema *de Ecclesia.*

Tandem legit novem emendationes circa cap. I constitutionis *de sacra Liturgia,* suffragationi subiciendas, quas P. D. Ioseph Albertus Martin, ep. Nicoletanus, nomine commissionis liturgicae, illustravit.

Relatione expleta, prosecuta est disceptatio circa decretum *de Ecclesiae unitate.* Primus locutus est card. Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis.

Post eius sermonem, secretarius generalis ex ambone, nomine commissionis *de sacra Liturgia,* admonuit mendam corrigendam esse in emendatione tertia.

Deinde ex ordine ad loquendum circa decretum *de Ecclesiae unitate* a praeside vocati sunt card. Augustinus Bea, Emmanuel Trindade Salgueiro, arch. Eborensis, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum, Eftimios Youakim, ep. Mariamnensis, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis, Abilius Vaz das Neves, ep. Brigantiensis, P. Augustinus Sépinski, min. gen. O.F.M., Dionysius Hayek, arch. Aleppensis Syrorum, Ioannes Heenan, arch. Liverpolitanus, Alexander Olalia, ep. Lipensis, Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensis-Castellionensis, Rodulfus Staverman, ep. tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Hollandiae, Nicolaus Elko, ep. tit. Apolloniensis, Antonius Bukatko, arch. tit. Mocissenus, coad. c.i.s. Belogradensis.

Iuri loquendi renuntiarunt Ioannes Bassoul, arch. Hermesenus Melchitarum, Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis, Paulus Butorac, ep. Ragusinus, Alfredus Bontempi, ep. tit. Palmyrenus.

Hora 12,05 secretarius generalis ex ambone, praesidis nomine, Patrum suffragium petiit de fine faciendo disceptationi circa schema *de Ecclesiae unitate.* Omnes surgentes annuerunt, et secretarius generalis annuntiavit die sequenti motionem conclusivam circa idem schema suffragationi subiectum iri.

Dein communicavit exitum suffragationis circa primas quinque emendationes super cap. I *de sacra Liturgia,* et monuit die sequenti inceptum iri disceptationem circa schema *de Ecclesia.*

Durante congregatione Patribus distributus est fasciculus, typis impressus, continens sermonem, quo card. Hamletus Ioannes Cicognani,

praeses commissionis de Ecclesiis Orientalibus, decretum *de Ecclesiae unitate,* die 26 novembris, proposuerat.

Hora 12,15 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit, et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 1 decembris habendam.

XXXI

Congregatio generalis tricesima prima habita est sabbato, die 1 decembris, hora 9 matutina. Interfuerunt 2115 Patres, nempe 67 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 373 archiepiscopi, 1555 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 82 superiores generales.

Missa de B. M. V. celebrata est ritu romano a P. D. Francisco Grimshaw, arch. Birminghamiensi. Chorus Cappellae Sixtinae cantus exsecutus est: *Oremus pro Pontifice nostro, O memoriale, Iesu quem velatum, Panis angelicus.*

Post Missam P. D. Antonius Plaza, arch. Platensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres *Christus vincit* cum Ps. 116 cantant.

Intimatione facta: *Exeant omnes,* card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, precem *Adsumus...* recitavit.

Dein secretarius generalis ex ambone, proclamato nomine praesidis congregationis, communicavit in melius versam esse valetudinem Summi Pontificis, qui Patribus salutem plurimam et benedictionem paternam largiebatur. Omnes Patres plauserunt.

Tunc ex parte praefecti Congregationis caeremonialis cardinalibus notum fecit a die sequenti usque ad diem 7 decembris vestes laneas violacei coloris induendas esse.

Insuper legit propositionem, suffragationi submittendam, de unico documento conficiendo ex decretis *de Ecclesiae unitate* et *de Oecumenismo* una cum cap. 11 *de Ecclesia.*

Item annuntiavit alias emendationes circa schema *de sacra Liturgia* distributum iri, proxima feria II suffragationi submittendas, et communicavit exitum suffragationum super emendationes 6-9 ad cap. I schematis *de sacra Liturgia.* Omnes emendationes propositae approbatae sunt.

Tandem legit nomina Patrum, qui circa schema *de Ecclesia* loqui postulaverant.

Card. Ottaviani, praeses commissionis de doctrina fidei et morum, schema *de Ecclesia* proposuit, quod P. D. Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis illustravit.

Dein ex ordine ad loquendum a praeside vocati sunt: cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Ioseph Bueno y Monreal, arch. Hispalensis, Franciscus König, arch. Vindobonensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici; Lucianus Bernacki, ep. tit. Melensis, aux. Gnesnensis.

Hora 11,05 secretarius generalis, de mandato praesidis, significavit exitum suffragationis super propositionem circa decretum *de Ecclesiae unitate*. Propositio approbata est.

Dein prosecuta est disceptatio circa schema *de Ecclesia* et ex ordine locuti sunt Aemilius De Smedt, ep. Brugensis, Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis, Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentoratensis, Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis, Antonius Pawłowski, ep. Vladislaviensis, Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoënsis, Aloisius Carli, ep. Signinus.

Durante congregatione Patribus distributus est fasciculus typis impressus, continens emendationes ad cap. 1, nn. 10-15, schematis *de sacra Liturgia,* et de eis relationem.

Hora 12,15 reposito S. Evangelii codice, praeses *Angelus... Agimus...* recitavit, et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 3 decembris habendam.

XXXII

Congregatio generalis tricesima secunda habita est feria II, die 3 decembris, hora 9 matutina. Interfuerunt 2116 Patres, nempe 71 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 369 archiepiscopi, 1554 episcopi, 10 abbates nullius, 10 praelati nullius, 86 superiores generales.

Missa celebrata est ritu Syro-Malabarico a P. D. Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensi. Alumni Collegii Urbani de Propaganda Fide exsecuti sunt cantus. Antea Patribus distributum fuerat opusculum typis impressum: *Ordo Missae Ecclesiae Malabarensis.*

Post Missam P. D. Georgius Alapatt, ep. Trichuriensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Intimatione facta: *Exeant omnes*, card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Dein secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, annuntiavit suffragationem faciendam de emendationibus ad schema *de sacra Liturgia,* cap. 1, nn. 10-15, et legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa schema *de Ecclesia* in genere.

Continuo P. D. Franciscus Ioseph Grimshaw, arch. Birminghamiensis, sodalis commissionis de sacra Liturgia, emendationes ad cap. I, nn. 10-15, schematis *de sacra Liturgia* illustravit.

Deinde continuata est disceptatio circa schema *de Ecclesia* et ex ordine ad loquendum a praeside vocati sunt: cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Iacobus McIntyre, arch. Angelorum in California, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Paulus Léger, arch. Marionopolitanus, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis; Boleslaus Kominek, arch. tit. Eucaitenus, Franciscus Marty, arch. Remensis, Ioseph Gargitter, ep. Brixinensis, Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus, Iulius Barbetta, ep. tit. Pharanitanus, Narcisius Jubany Arnau, ep. tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis, Blasius Musto, ep. Aquinatensis, Soranus et Pontiscurvi, Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis.

Hora 12,25 secretarius generalis ex ambone communicavit exitum suffragationum, quae peractae erant circa emendationes ad cap. 1, nn. 10-15, schematis *de sacra Liturgia.* Emendationes approbatae sunt.

Reposito S. Evangelii codice, precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, secretarius generalis proximam congregationem generalem die 4 decembris habendam intimavit.

XXXIII

Congregatio generalis tricesima tertia habita est die 4 decembris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2104 Patres, nempe 66 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 371 archiepiscopi, 1543 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 88 superiores generales.

Missa celebrata est ritu romano a P. D. Hieronymo Rakotomalala, arch. Tananarivensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Da Pacem* (Bartolucci), *Parce Domine* (Bartolucci), *Ecce panis* (Bartolucci), *Domine non sum dignus* (T. L. de Victoria).

Post Missam P. D. Antonius Santin, ep. Tergestinus et Iustinopolitanus, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres *Credo* cantant.

Intimatione facta: *Exeant omnes,* card. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis, proclamato ex ambone nomine praesidis congregationis, nomina legit Patrum, qui circa schema *de Ecclesia* loqui postulaverant.

Tunc P. D. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis, verba fecit ominan-

tia erga Summum Pontificem, et praesidem rogavit ut ad illum omnium affectum atque preces deferret.

Continuata est deinde disceptatio circa schema *de Ecclesia* et a praeside ad loquendum vocati sunt: cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Villemus Godfrey, arch. Vestmonasteriensis, Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, Augustinus Bea, Antonius Bacci, Michaël Browne; Aemilius Blanchet, arch. tit. Philippopolitanus in Thracia, Raphaël Rabban, ep. Cherchensis, Aemilius Guerry, arch. Cameracensis, Raphaël González Moralejo, ep. tit. Emausensis, Thomas Holland, ep. tit. Etennensis, coad. Portus Magni, Albertus Devoto, ep. Goyanensis, Ioseph Vairo, ep. Gravinensis et Montis Pelusii, Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, Michaël Doumith, ep. Sarbensis, Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis.

Durante congregatione Patribus distributus est fasciculus continens emendationes ad cap. 1, nn. 16-31, schematis *de sacra Liturgia,* et relationem circa eas.

Hora 12,20 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit, et secretarius generalis proximam congregationem generalem die 5 decembris habendam intimavit.

XXXIV

Congregatio generalis tricesima quarta habita est die 5 decembris, feria IV, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2113 Patres, nempe 66 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 375 archiepiscopi, 1550 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 85 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Emmanuele da Silveira d'Elboux, arch. Curitibensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Alma Redemptoris* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *O sacrum convivium* (Bartolucci).

Post Missam P. D. Carolus Splett, ep. Gedanensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Intimatione facta: *Exeant omnes,* card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, annuntiavit distributionem ceterarum emendationum ad cap. 1 schematis *de sacra Liturgia,* necnon fasciculi continentis summatim schemata constitutionum et decretorum, quae a commissionibus praeparatoriis confecta erant.

Dein legit nomina Patrum, qui circa schema *de Ecclesia* loqui postulaverant.

Postea P. D. Carolus Iustinus Calewaert, ep. Gandavensis, sodalis commissionis de sacra Liturgia, emendationes ad cap. 1, nn. 16-31, schematis *de sacra Liturgia* illustravit.

Relatione expleta, ex ordine ad loquendum circa schema *de Ecclesia* a praeside vocati sunt: cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Ioannes B. Montini, arch. Mediolanensis; B. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum, Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Antonius Plaza, arch. Platensis.

Disceptatio breviter a praeside interrupta est et secretarius generalis ex ambone, nomine card. Decani, rogavit Patres cardinales ut vellent se dispensatos habere a responsione danda circa omina natalitia.

Deinde ex ordine locuti sunt Villelmus Pluta, ep. tit. Leptimagnensis, Petrus Fiordelli, ep. Pratensis.

Secretarius generalis nuntiavit congregationem finitum iri aliquot momenta ante meridiem, ut Patres in plateam S. Petri se conferrent ad Summi Pontificis benedictionem accipiendam.

Ultimus locutus est P. D. Bernardus Mels, arch. Luluaburgensis. Eius sermone expleto, secretarius generalis communicavit exitum suffragationum circa emendationes ad cap. I, nn. 16-31, schematis *de sacra Liturgia*. Quatuor emendationes approbatae sunt.

Durante congregatione Patribus duo fasciculi, typis impressi, distributi sunt, quorum primus emendationes ad cap. I, nn. 32-36, schematis *de sacra Liturgia* et circa eas relationem continet; alter vero inscribitur: *Schemata constitutionum et decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur.*

Hora 11,45 S. Evangelii codex repositus est et praeses precem *Agimus...* recitavit. Intimata proxima congregatione die 6 decembris habenda, Patres e Basilica Petriana egressi sunt in plateam, quae a S. Petro nuncupatur, ad benedictionem Summi Pontificis recipiendam.

XXXV

Congregatio generalis tricesima quinta habita est die 6 decembris, feria V, hora 9 matutina. Interfuerunt 2086 Patres, nempe 60 cardinales, 5 patriarchae, 9 primates, 368 archiepiscopi, 1536 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 87 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Bernardino Gantin, arch. Cotonuensi. Chorus alumnorum Benedictinorum Collegii

S. Anselmi in Urbe, una cum sacro coetu, qui initio Missae invitatus fuerat ut sese scholae cantorum uniret, exsecutus est cantus gregorianos: *Spiritus Domini, Ubi caritas, Sanctus* et *Agnus Dei* (IX), *Ego sum vitis vera* (6 tonus), *Alma Redemptoris Mater.*

Post Missam P. D. Ambrosius Lazik, ep. tit. Appianus, adm. ap. Tyrnaviensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres cantant *Credo.*

Facta intimatione: *Exeant omnes,* card. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, precem *Adsumus...* recitavit.

Dein secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, breviter retulit de eis, quae in Dei laudem et Ecclesiae decus in triginta quattuor congregationibus generalibus facta fuerant.

Dein legit exitum ceterarum quattuor suffragationum, quae die praecedenti peractae erant circa emendationes 5-8 ad cap. I, nn. 16-31, schematis *de sacra Liturgia.* Quattuor emendationes approbatae sunt.

Quoad ultimam suffragationem, in qua plures schedae fuerant sine suffragatione datae, statutum est eam non esse repetendam, cum maioritas requisita longe superata esset.

Tunc annuntiavit suffragationes peragendas circa tres ultimas emendationes (9-11) ad cap. I, nn. 16-31, et circa duas emendationes ad nn. 32-36 eiusdem cap. I schematis *de sacra Liturgia.*

Tandem legit nomina Patrum, qui circa schema *de Ecclesia* in genere loqui postulaverant, et communicavit Summum Pontificem omnibus Patribus concedere facultatem impertiendi Apostolicam Benedictionem, cum in proprias dioeceses rediissent, servatis de iure servandis, et celebrandi Missam quacumque hora diei vel noctis in die profectus ex Urbe et in die adventus in propriam domum.

De licentia praesidis P. D. Franciscus Grimshaw, arch. Birminghamiensis, sodalis commissionis de sacra Liturgia, relationem legit circa duas emendationes ad cap. I, nn. 32-36, schematis *de sacra Liturgia.*

Continuata est deinde disceptatio circa schema *de Ecclesia* in genere.

Card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, primus locutus est. Continuo secretarius generalis ex ambone declaravit facultatem celebrandi Missam quacumque hora extendi ad omnes dies profectus et ad omnes personas, quae episcopum comitarentur.

Tandem legit *Ordinem agendorum tempore quod inter conclusionem primae periodus Concilii et initium secundae intercedit,* a Summo Pontifice statutum.

Inde disceptatio prosecuta est et ex ordine ad loquendum circa schema *de Ecclesia* in genere vocati sunt P. D. Henricus Compagnone, ep. Anagninus, Ioannes Hervás y Benet, ep. tit. Doritanus, prael. null. Clu-

niensis, Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis, Villelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis, Alexander Renard, ep. Versaliensis, Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis, Ioannes Velasco, ep. Sciiamensis, Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus, P. Ioseph Buckley, sup. gen. Societatis Mariae, Constantinus Stella, arch. Aquilanus.

Secretarius generalis monuit ut omnes ad sua loca redirent.

Ultimus P. D. Georgius Hakim, arch. Ptolemaidensis, locutus est. Eius sermone expleto, secretarius generalis ex ambone communicavit exitum suffragationum, quae illa die circa emendationes ad cap. I schematis *de sacra Liturgia* peractae fuerant. Omnes emendationes approbatae sunt.

Cum omnes emendationes ad prooemium et ad cap. I schematis *de sacra Liturgia* approbatae essent a Patribus et iam insertae essent suo loco a commissione liturgica, secretarius generalis, de mandato praesidis, quaesivit a Patribus num illis placeret die sequenti suffragium dare de integro prooemio et cap. I. Omnes Patres surgentes annuerunt.

Hora 12,10, reposito S. Evangelii codice, et precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, secretarius generalis proximam congregationem generalem die 7 decembris habendam intimavit.

XXXVI

Congregatio generalis tricesima sexta habita est die 7 decembris, feria VI, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2118 Patres, nempe 64 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 374 archiepiscopi, 1558 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 86 superiores generales.

Missa celebrata est ritu chaldaeo a P. D. Gabriele Ganni, ep. tit. Gargareno, coad. c.i.s. Berytensi Chaldaeorum in Libano. Alumni Collegii Urbaniani de Propaganda Fide exsecuti sunt cantus.

Post Missam P. D. Ioseph Cheikho, arch. Sehnaensis Chaldaeorum, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Facta intimatione: *Exeant omnes,* card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis ex ambone, proclamato nomine primi praesidis congregationis, annuntiavit hora meridiana coetus sollemniter claudi prece *Angelus...* a Summo Pontifice ope radiophonica recitata, eiusque sermone.

Deinde ex parte praefecti caeremoniarum pontificiarum communicavit sequenti die fore Cappellam Papalem, celebrante card. Paulo

Marella, archipresbytero Basilicae S. Petri, hora 10; die vero dominica 9 decembris, hora 9, canonizationem.

Item annuntiavit distributum iri fasciculum *Ordo servandus...*; libellum continentem commissiones conciliares, iuxta normas Annuarii Pontificii redactum; parvam imaginem S. Ioseph, Patroni Concilii.

Insuper legit nomina Patrum, qui in illa ultima congregatione generali primae periodi loqui postulaverant, et significavit Patres, qui animadversiones circa capita singula constitutionis *de Ecclesia* exarare vellent, eas ad secretariam generalem mittere posse usque ad diem 28 februarii anni 1963.

Tandem annuntiavit suffragationem illa die faciendam circa prooemium et cap. 1 constitutionis *de sacra Liturgia.* Huiusmodi monitum variis linguis (gallica, hispanica, anglica, germanica, arabica) a subsecretariis lectum est.

Postea praeses Patres allocutus est et ad loquendum circa schema *de Ecclesia* ex ordine vocavit: cardd. Franciscum König, arch. Vindobonensem, Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensem; Vincentium Reyes, ep. Boronganensem, Ludovicum de Bazelaire de Ruppierre, arch. Camberiensem, Isaac Ghattas, ep. Thebanum, Alfredum Ancel, ep. tit. Myrinensem, aux. Lugdunensem, Alfredum Silva Santiago, arch. Conceptionis.

Disceptatione per pauca momenta interrupta, secretarius generalis ex ambone communicavit Summi Pontificis adventum in Aulam conciliarem, hora meridiana, et legit exitum suffragationis peractae circa prooemium et cap. I schematis *de sacra Liturgia,* quae approbata sunt.

Adhuc locuti sunt Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, P. Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.

Hora 11,45 praeses monuit ut reponeretur S. Evangelium et coetus suspenderetur ad Summum Pontificem exspectandum et excipiendum.

Tum Summus Pontifex in aulam ingressus est et Patres stantes plauserunt.

Prece *Angelus...* recitata, Summus Pontifex Patres allocutus est atque illis benedictionem apostolicam impertivit.

SESSIO PUBLICA I

QUA CONCILIUM VATICANUM SECUNDUM SOLLEMNITER INCHOATUR

11 octobris 1962

SESSIO PUBLICA I

QUA CONCILIUM VATICANUM SECUNDUM SOLLEMNITER INCHOATUR

11 octobris 1962

1. Processio et Missa

Feria quinta, die 11 octobris anno 1962, Maternitatis Beatae Mariae Virginis festo, hora octava cum dimidio *Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum* sollemniter inchoatum est devota supplicatione, a Sacello Paulino ad Basilicam Sancti Petri.

Summus Pontifex, in Aula Paramentorum sacris vestibus assumptis, comitantibus cardinalibus tantum, Cappellam Paulinam petiit, ibique adorato Augustissimo Sacramento sollemniter exposito, hymnum *Ave, maris stella* canere coepit. Primo versu absoluto, ad Vaticanam Basilicam, per regias scalas ac Petrianum forum ducta pompa, perrexit, praecedentibus omnibus Concilii Patribus, sacris vestibus sibi propriis indutis, et comitantibus praelatis, nobilibus laicis ceterisque de familia Pontificis.

Interim clerus universus Urbis, tam saecularis quam regularis, in habitu chorali viam faciebat sollemni supplicationi in foro S. Petri, hinc inde stans a porta Sacri Palatii (v. Portone di Bronzo) ad valvas Basilicae Vaticanae.

Dum fit processio, cantores Cappellae Sixtinae et chorus Pontificii Seminarii Romani Maioris (pro cantu gregoriano) sequentes cantus executi sunt: *Credo* (cantu gregoriano), *Magnificat* (gregoriano), *Salve, Regina* (1ª stropha, Perosi), *Ubi caritas* (gregoriano), *Ave, maris stella* (2ª stropha, Perosi), *Veni Sancte Spiritus et emitte...* (gregoriano), *Ave, maris stella* (Perosi et gregoriano alternatim), *Credo* (gregoriano), *Salve, Regina* (gregoriano), *Ave, maris stella* (Perosi et gregoriano alternatim), *Adoro te devote* (gregoriano), *Pange lingua* (gregoriano), *Benedictus Dominus* (gregoriano).

Dum Summus Pontifex Basilicam ingreditur, chorus cecinit antiphonam *Tu es Petrus,* 6 vocibus, auctore Palestrina.

Summus Pontifex, Basilicam ingressus, e sede descensus, accessit ad altare et, super faldistorium procumbens, hymnum *Veni Creator Spi-*

ritus incepit, cantoribus prosequentibus polyphonico modo, 6 vocibus, auctore Bartolucci, alternatim cum populo, modo gregoriano canente.

Post hymni cantum, Pontifex recitavit versiculos et orationes:

Summus Pontifex: Protector noster aspice Deus.
℟ Et respice in faciem Christi tui.

Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
℟ Et renovabis faciem terrae.

Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.
℟ Et de Sion tuere nos.

Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Domine, exaudi orationem meam.
℟ Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus: Deus, qui corda fidelium ...
Deus, refugium nostrum et virtus ...
Actiones nostras ... Per Christum Dominum nostrum.
℟ Amen.

Cantores: Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.
℟ Et custodiat nos semper. Amen.

Deinde, consueto ritu, Missa Pontificalis celebrata est *de Spiritu Sancto* a P. D. card. Eugenio Tisserant, ep. Ostiensi, Portuensi et Sanctae Rufinae ac sacri Cardinalium Collegii decano, ministrantibus Petro Pfister, presbytero assistente, Petro Altabella Gracia, diacono, et Mario Aluffi Pentini, subdiacono. Durante Missa, chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est *Missam Papae Marcelli,* auctore Palestrina.

Missa expleta, benedictio a Summo Pontifice impertita est.

2. Primae sessionis inchoatio et fidei professio

Post Missam, *prima Concilii sessio* inchoata est. Secretarius generalis P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Postea Summo Pontifici praestita est oboedientia a PP. DD. cardinalibus et patriarchis, a secretario generali Concilii et a duobus tantum, nomine ceterorum, ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus et generalibus

Ordinum. Interea chorus cantavit *Ad te levavi animam meam,* 5 vocibus, auctore Palestrina, et sonavit organum.

Dein Summus Pontifex, genuflexus ad faldistorium, sollemnem fidei professionem pronuntiavit:

« Ego, IOANNES, Catholicae Ecclesiae Episcopus, firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas: Et ascendit in caelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiato-

rium Sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco.

Caetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano I tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit curaturum, ego idem IOANNES XXIII, Episcopus Ecclesiae Sanctae, spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia ».

Professione emissa, Summus Pontifex sedit in throno, mitra coopertus, et secretarius generalis, e suggestu, elata voce, professionis fidei formulam coram omnibus perlegit; qua recitata, omnes Patres simul, tacto pectore, suetam formulam dicunt: *Ego N.N. spondeo, voveo...*

Universi Patres rogati sunt subsignare formulam professionis fidei eamque ante finem sessionis tradere assignatoribus locorum.

3. Preces ad Concilium inchoandum

Post fidei professionem, preces ad inchoandum Concilium secutae sunt:

P. D. Alfredus card. Ottaviani, protodiaconus: Orate!

Summus Pontifex: Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in Nomine Tuo specialiter congregati. Veni ad nos, et esto nobiscum: dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur et ostende quid efficere debeamus, ut, Te auxiliante, Tibi in omnibus placere valeamus. Esto solus suggestor et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summam diligis aequitatem. Non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personae corrumpat. Sed iunge nos Tibi efficaciter solius Tuae gratiae dono. Ut simus in Te unum, et in nullo deviemus a vero. Quatenus in Nomine Tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut et hic a Te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna. Amen.

P. D. Alfredus card. Ottaviani: Erigite vos!

Cantata a choro antiphona *Exaudi nos, Domine,* 6 vocibus, auctore Bartolucci, Summus Pontifex dicit orationem *Mentes nostras;* qua finita, omnes genuflectunt, et duo cantores incipiunt Litanias Sanctorum, omnibus respondentibus:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison...

Ut domnum Apostolicum, et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris...

Summus Pontifex: Ut hanc sanctam Synodum et omnes gradus ecclesiasticos benedicere digneris...

Ut hanc sanctam Synodum et omnes gradus ecclesiasticos benedicere et regere digneris...

Ut hanc sanctam Synodum et omnes gradus ecclesiasticos benedicere, regere et conservare digneris...

Cantores: Ut inimicos sanctae Ecclesiae...

Summus Pontifex: Oremus.

Card. diaconus: Flectamus genua ... Levate.

Summus Pontifex: Da, quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus: ut Sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Christum Dominum nostrum.

℟ Amen.

Oratione finita, P. D. Franciscus Roberti, cardinalis diaconus, ritu consueto petit a Pontifice benedictionem et cantat Evangelium secundum Matthaeum (28, 18-20).

Et fit Supplicatio orientalis.

ΔΕΗΣΙΣ ΕΙΣ ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΠΝΕΥΜΑ

(Τοῦ καιροῦ ἐπιστάντος, μετὰ τὸ ἐνδύσασθαι τὰς ἱερᾶς στολάς, τῶν λειτουργούντων ἱσταμένων πρὸ τῆς ἁγίας τραπέζης, λαβόντος τοῦ διακόνου εὐλογίαν παρὰ τοῦ πρώτου τῇ τάξει, ἀρχόμεθα τῆς παρακλήσεως εἰς τὸ Ἅγιον Πνεῦμα).

Ὁ Διάκονος· *Εὐλόγησον Δέσποτα.*

Ὁ Πρῶτος· *Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, πάντοτε, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.*

Ὁ Χορός· *Ἀμήν.*

Εἶτα· *Θεὸς Κύριος, καὶ ἐπέφανεν ἡμῖν, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου.*

Στίχ. α' Ἐξομολογεῖσθε τῷ Κυρίῳ, ὅτι ἀγαθός, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ.

Ὁ Χορός· *Τροπάριον τῆς Πεντηκοστῆς ἦχ. πλ. δ'*

Εὐλογητὸς εἶ, Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ πανσόφους τοὺς ἁλιεῖς ἀναδείξας, καταπέμψας αὐτοῖς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, καὶ δι' αὐτῶν τὴν οἰκουμένην σαγηνεύσας, φιλάνθρωπε, δόξα σοι.

Θευτοκίον ἦχ. β'

Προστασία τῶν χριστιανῶν ἀκαταίσχυντε, μεσιτεία πρὸς τὸν ποιητὴν ἀμετάθετε; μὴ παρίδῃς ἁμαρτωλῶν δεήσεων φωνάς, ἀλλὰ πρόφθασον ὡς ἀγαθή, εἰς τὴν βοήθειαν ἡμῶν, τῶν πιστῶς κραυγαζόντων σοι· τάχυνον εἰς πρεσβείαν, καὶ σπεῦσον εἰς ἱκεσίαν, ἡ προστατεύουσα ἀεί, Θεοτόκε, τῶν τιμώντων σε.

Μικρὰ συναπτή

Ὁ Διάκονος·	*Ἔτι καὶ ἔτι ἐν εἰρήνῃ τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.*
Ὁ Χορός·	*Κύριε ἐλέησον.*
Ὁ Διάκονος·	*Ἀντιλαβοῦ, σῶσον, ἐλέησον καὶ διαφύλαξον ἡμᾶς, ὁ Θεός, τῇ σῇ χάριτι.*
Ὁ Χορός·	*Κύριε ἐλέησον.*
Ὁ Διάκονος·	*Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, μετὰ πάντων τῶν Ἁγίων μνημονεύσαντες, ἑαυτούς, καὶ ἀλλήλους καὶ πᾶσαν τὴν ζωὴν ἡμῶν Χριστῷ τῷ Θεῷ παραθώμεθα.*
Ὁ Χορός·	*Σοὶ Κύριε.*

صلاة ابتهال الى الروح القدس

المحتفل :

أيها الرب يسوع الهنا ، يا من ارسل روحه المعزى من لدن الآب لرسله الاطهار ، اطلع برأفتك التي يعجز بيانها على عبيدك الذين التأموا هنا لكي يخدموا مصالح كنيستك المقدسة .

أعطهم روح الحكمة والفهم .

ضع في قلوبهم روح محبّة الله ، روح التقوى والغيرة على مجد اسمك القدوس .

احرسهم من كل تجربة ، صنهم من كل شك وانقسام ، لكي يتحدوا بك وبعضهم ببعض برباط المحبّة ، فيتمّوا بلا عيب الواجب الملقى على عاتقهم لبناء الكنيسة المقدسة التي هي جسد المسيح الاوحد .

تقبّل يا رب دموع ابتهالاتنا ، ولا تسلّمنا الى ايدى اعدائنا فنهلك ، نحن الذين خلصنا بذراعك القوية ، ولا نكف الى ابد الآبدين نسبّح في كنيستك ونعظّم اسمك الجدير بكل كرامة والعظيم الجلال ، ايها الثالوث القدوس ، الآب والابن والروح القدس ، الآن وكل أوان والى دهر الداهرين

الخورس :

آمين !

Ὁ Διάκονος·	Καὶ ὑπὲρ τοῦ καταξιωθῆναι ἡμᾶς τῆς ἀκροάσεως τοῦ Ἁγίου Εὐαγγελίου Κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν ἱκετεύσωμεν·
Ὁ Χορός·	Κύριε ἐλέησον (ἐκ τρίτου).
Ὁ Διάκονος·	Σοφία ὀρθοί, ἀκούσωμεν τοῦ Ἁγίου Εὐαγγελίου.
Ὁ Πρῶτος·	Εἰρήνη πᾶσι.
Ὁ Χορός·	Καὶ τῷ πνεύματί σου.
Ὁ Διάκονος·	Ἐκ τοῦ κατὰ Ματθαῖον ἁγίου Εὐαγγελίου τὸ ἀνάγνωσμα.
Ὁ Χορός·	Δόξα σοι, Κύριε. Δόξα σοι.
Ὁ Διάκονος·	Πρόσχωμεν.

Εὐαγγέλιον Μτθ. κεφ. 28, 18-20.

Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐλάλησεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ λέγων· ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς.
[19] πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, [20] διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Ἀμήν.

Ὁ Χορός·	Δόξα σοι, Κύριε. Δόξα σοι.

(Ὁ Διάκονος ἀποδίδωσι τὸ ἅγιον Εὐαγγέλιον τῷ Πρώτῳ. Ὁ δὲ Πρῶτος, δεχόμενος αὐτό, λέγει τῷ Διακόνῳ· Εἰρήνη σοι τῷ εὐαγγελιζομένῳ. Καὶ ἀσπάζεται τὸ ἅγιον Εὐαγγέλιον. Καὶ εὐθὺς ὁ Διάκονος στὰς ἐν τῷ συνήθει τόπῳ λέγει τὴν Ἐκτενῆ).

Ἐκτενής

Ὁ Διάκονος·	Ἐλέησον ἡμᾶς ὁ Θεός, κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου, δεόμεθα σου, ἐπάκουσον, καὶ ἐλέησον.
Ὁ Χορός·	Κύριε ἐλέησον (ἐκ τρίτου).
Ὁ Διάκονος·	Ἔτι δεόμεθα ὑπὲρ τοῦ παναγιωτάτου Ἄκρου Ἀρχιερέως ἡμῶν Ἰωάννου Πάπα Ῥώμης, τῶν θεοφόρων Πατέρων τῶν ἐν τῇ ἱερᾷ ταύτῃ συνόδῳ συνηγμένων, καὶ πάσης τῆς ἐν Χριστῷ ἡμῶν Ἀδελφότητος.

Ὁ Διάκονος· *Ἔτι δεόμεθά Σου, Ἀγαθέ, ὁ τὸ Παράκλητον Πνεῦμα ἐπὶ τοὺς ἁγίους σου μαθητὰς καὶ ἀποστόλους καταπέμψας, ἀνακαίνισον ἐν ταῖς καρδίαις πάντων τῶν συνηγμένων εἰς τὸ ὄνομά σου ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ταύτῃ καὶ δὸς αὐτοῖς σοφίαν καὶ δύναμιν τοῦ ἐξομολογεῖσθαι μετὰ παῤῥησίας τὴν σὴν ἀλήθειαν, καὶ τὰς παραδόσεις τῆς ἐκκλησίας ἀτρέπτως διατηρεῖν, ἐπάκουσον καὶ ἐλέησον.*

Архїерей: **Оуслыши ны, Бже, спасителю нашъ, оуповаѧнїе всѣхъ концей земли, и сущихъ въ мори далече: и милостиве, милостивъ буди, Владыко, ѡ грѣсѣхъ нашихъ, и помилуй ны. Милостивъ бо и человѣколюбецъ Бгъ еси. И Тебѣ славу возсылаемъ, Оцу, и Сну, и свѧтому Дху, нынѣ и присно, и во вѣки вѣкѡвъ.**

Ὁ Χορός. *Κύριε ἐλέησον (ἐκ τρίτου).*

Ἐκφώνησις· *Ἐπάκουσον ἡμῶν, ὁ Θεὸς ὁ Σωτὴρ ἡμῶν, ἡ ἐλπὶς πάντων τῶν περάτων τῆς γῆς, καὶ τῶν ἐν θαλάσσῃ μακράν, καὶ ἵλεως, ἵλεως γενοῦ, Δέσποτα, ἐπὶ ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν, καὶ ἐλέησον ἡμᾶς· ἐλεήμων γὰρ καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς ὑπάρχεις, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, τῷ Πατρί, καὶ τῷ Υἱῷ, καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν, καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.*

Ὁ Χορός· *Ἀμήν.*

Ἀπόλυσις

Ὁ Πρῶτος· *Χριστὸς ὁ ἀληθινὸς Θεὸς ἡμῶν, ταῖς πρεσβείαις τῆς παναχράντου Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, δυνάμει τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ Σταυροῦ, ἱκεσίαις τῶν ἁγίων, ἐνδόξων καὶ πανευφήμων Ἀποστόλων, τῶν ἁγίων ἐνδόξων καὶ Πρωτοκορυφαίων Ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, καὶ πάντων τῶν Ἁγίων, ἐλεῆσαι καὶ σῶσαι ἡμᾶς, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος.*

Ὁ Χορός· *Ἀμήν.*

OFFICIUM INVOCATIONIS S. SPIRITUS

(*Versio latina*)

Diaconus: Bénedic, Dómine!

Summus Pontifex: Benedíctus Deus noster semper, nunc et perpétuo et in sǽcula sæculórum.

Chorus: Amen.

Et statim: Deus Dóminus appáruit nobis, benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Lector: Laudáte Dóminum, quóniam bonus, quóniam in ætérnum misericórdia Eius (Ps. 135, 1).

Troparion Pentecostes, tonus 4

Chorus: Benedíctus es Christe, Deus noster, qui sapientíssimos veneratóres revelásti, mitténdo in ipsos Spíritum Sanctum, et per ipsos captívum fecísti totum mundum, amátor hóminum, glória Tibi.

Theotokion, tonus 2

Protéctio christianórum non confundénda, intercéssio ad Conditórem non repellénda, ne súpplices peccatórum voces despícias, sed ut bona, in auxílium fidéliter ad te clamántium accélera: festína ad intercedéndum, própera ad deprecándum, Deípara, quæ semper te coléntes prótegis.

Diaconus: Iterum atque íterum in pace Dóminum precémur.

Chorus: Dómine miserére.

Diaconus: Súscipe, salva, miserére, et custódi nos, Deus, tua grátia.

Chorus: Dómine miserére.

Diaconus: Sanctíssimæ, illibátæ, super omnes benedíctæ, gloriósæ Dóminæ nostræ Deíparæ et semper Vírginis Maríæ, cum ómnibus sanctis memóriam recoléntes, nosmetípsos, et ínvicem, et omnem vitam nostram Christo Deo commendémus.

Chorus: Tibi, Dómine.

Lingua arabica: Dómine Iesu Christe, qui Spíritum Tuum consolatórem super discípulos et apóstolos Tuos a Patre misísti, in Tua ineffábili bonitáte réspice fámulos Tuos, qui commúniter convenérunt, ut bonum Ecclésiæ promóveant; concéde ipsis Spíritum sapiéntiæ et intelléctus, pone in córdibus eórum spíritum amóris Dei, spíritum pietátis et fervóris pro glória

sancti Tui nóminis; defénde eos ab omni tentatióne, scándalo et divisióne, ut vínculo amóris ad Te, et inter se ínvicem coniúncti, sine reprehensióne fáciant suum offícium in ædificatiónem sanctæ Ecclésiæ, uníus córporis Tui.
Accipe, Dómine, lácrimas supplicatiónis nostræ, et ne tradas nos in manus inimicórum nostrórum, ne pereámus, salváti Tua benígna déxtera, ne desinámus in Tua Ecclésia profitéri et exaltáre præsánctum nomen in Trinitáte glorificáti Dei: Patris, et Fílii et Sancti Spíritus, nunc et semper, et in sǽcula sæculórum.

Chorus: Amen.

Diaconus: Ut digni efficiámur auscultáre sanctum Evangélium, Dóminum Deum in pace precémur.

Chorus: Dómine miserére (*ter*).

Diaconus: Sapiéntia! Recti! Audiámus sanctum Evangélium.

Summus Pontifex: Pax ómnibus.

Chorus: Et spirítui tuo.

Diaconus: Léctio sancti Evangélii ex Matthǽo.

Chorus: Glória Tibi, Dómine, glória Tibi.

Diaconus: Attendámus!

Evangelium secundum Matthæum, cap. 28, 18-20

In illo témpore, accédens Iesus locútus est discípulis suis, dicens: Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre omnia quæcúmque mandávi vobis. Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sǽculi. Amen.

(Diaconus dat sanctum Evangelium Celebranti, dicenti ipsi: Pax tibi evangelizánti, et osculatur sanctum librum et statim diaconus, stans in loco solito, incipit:)

Diaconus: Miserére nostri Deus secúndum magnam misericórdiam Tuam, Te rogámus, exáudi et miserére.

Chorus: Dómine miserére (*ter, post unamquamque precationem*).

Diaconus: Etiam rogámus pro sanctíssimo Dómino nostro universáli Pontífice Ioánne, Papa Románo, et pro ádmodum sanctificátis Hierárchis ad Concílium hoc sanctum convéntis, et pro ómnibus in Christo frátribus nostris.
Spíritum Tuum consolatórem super discípulos et apóstolos Tuos mittens, eúndem, Benígne, rénova in córdibus ómnium, qui in nómine Tuo ad Concílium convenérunt. Concéde ipsis sapiéntiam et virtútem, ut fírmiter

profiteántur Tuam veritátem et inviolabíliter consérvent traditiónem Ecclésiæ, Te orámus: exáudi et miserére.

Cantor ucrainus: Exáudi nos Deus, Salvátor noster, spes ómnium fínium terræ, et in mari longe: et propítius, propítius esto, Dómine, peccátis nostris, et miserére nostri. Mísericors enim et humánus Deus exístis, et tibi glóriam reférimus: Patri, et Fílio, et Sancto Spirítui: nunc et semper et in sǽcula sæculórum.

Chorus: Dómine, miserére (*ter*).

Concelebrans: Exáudi nos Deus, Salvátor noster, spes ómnium fínium terræ, et in mari longe: et propítius, propítius esto, Dómine, peccátis nostris, et miserére nostri. Mísericors enim et humánus Deus exístis, et tibi glóriam reférimus: Patri, et Fílio, et Sancto Spirítui: nunc et semper et in sǽcula sæculórum.

Chorus: Amen.

Summus Pontifex: Christus verus Deus noster, précibus illibátæ suæ matris, virtúte pretiósæ et vivíficæ crucis, sanctórum gloriosórum et percelébrium apostolórum Petri et Pauli et ceterórum sanctórum apostolórum, et ómnium sanctórum, misereátur nostri, et salvet nos, ut bonus et hóminum amátor.

Chorus: Amen.

4. **Summi Pontificis allocutio**

Post absolutam Supplicationem orientalem, omnibus Patribus cum mitris sedentibus, habita est haec Summi Pontificis allocutio:

Venerabiles Fratres,

Gaudet Mater Ecclesia quod, singulari divinae Providentiae munere, optatissimus iam dies illuxit, quo, auspice Deipara Virgine, cuius materna dignitas hodie festo ritu recolitur, hic ad Beati Petri sepulcrum Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum sollemniter initium capit.

Concilia Oecumenica in Ecclesia

Universa Concilia — sive viginti Oecumenica sive innumera eaque non parvi pendenda Provincialia et Regionalia — quae per succedentia tempora sunt celebrata, manifesto vigorem Ecclesiae Catholicae comprobant et quasi fulgentia lumina in eius annalibus recensentur.

Recentissimus humilisque eiusdem Principis Apostolorum Successor, qui vos alloquitur, amplissimum hunc Coetum indicens, id sibi

proposuit ut iterum Magisterium Ecclesiasticum, numquam deficiens et ad finem usque temporum perseverans, affirmaretur; quod quidem Magisterium rationem habens errorum, necessitatum, rerum opportunarum nostrae aetatis, per hoc ipsum Concilium omnibus hominibus, quotquot in orbe terrarum sunt, extraordinario modo, in praesenti exhibetur.

Hanc igitur universalem inchoans Synodum, Christi Vicarius, qui ad vos verba facit, praeterita tempora, ut liquet, respicit eorumque veluti vocem, alacrem animosque confirmantem, auscultat; libenter enim meminit bene meritorum Summorum Pontificum, qui antiquissima et recentiore aetate fuerunt; et qui e Conciliorum conventibus, sive in Oriente sive in Occidente a saeculo quarto ad Medium usque Aevum et recentia tempora actis, venerandae gravisque huiusmodi vocis testimonia transmiserunt. Haec non intermisso studio triumphum divinae et humanae illius Societatis extollunt, scilicet Ecclesiae Christi, quae a Divino Redemptore nomen, gratiae munera, vimque accipit totam.

Quodsi haec spiritualis laetitiae causa sunt, negare tamen non possumus dolores et acerbitates plurimas per longam undeviginti saeculorum seriem hanc historiam obscuravisse. Verum enim exstitit et exstat, quod olim Simeon senex ad Mariam Matrem Iesu ore prophetico dixit: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum... et in signum cui contradicetur.*[1] Atque Iesus ipse, aetate maturior, perspicue ostendit, quomodo homines per tempora adversus Ipsum se essent gesturi, arcana haec proferens verba: *Qui vos audit, me audit.*[2] Praeterea, ut scriptum legimus apud Sanctum Lucam, qui superiora quoque verba refert, scriptum videmus: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.*[3]

Gravissimae sane res et quaestiones ab humano genere dissolvendae, post viginti fere saecula non mutantur; etenim Christus Iesus semper medium quasi locum tenet historiae et vitae: homines aut ipsi ipsiusque Ecclesiae adhaerent, atque adeo lucis, suavitatis, recti ordinis pacisque bonis fruuntur; aut sine ipso vivunt vel contra ipsum agunt et consulto extra Ecclesiam commorantur, quo fit ut confusio inter eos habeatur, mutuae rationes asperae efficiantur, cruentorum bellorum impendeat periculum.

Hanc coniunctionem cum Christo eiusque Ecclesia Concilia Oecumenica, quotiescumque ea celebrari contingit, sollemni quodam modo praedicant et veritatis lucem quoquoversus emittunt, vitam singulorum

---

[1] *Luc.* 2, 34.
[2] Ibid. 10, 16.
[3] Ibid. 11, 23.

hominum, domestici convictus, societatis in rectas semitas dirigunt, spirituales vires excitant atque stabiliunt, ad vera et sempiterna bona continenter animos erigunt.

Testimonia extraordinarii huius Magisterii Ecclesiae, scilicet universalium Synodorum, ob oculos Nostros versantur, dum varias hominum aetates per haec viginti saecula christiani aevi intuemur. Quae documenta pluribus magnique ponderis voluminibus continentur ac veluti sacer thesaurus sunt aestimanda, qui in tabulariis Urbis Romae ac totius orbis terrarum celebratissimis bibliothecis est reconditus.

Origo et causa Concilii Oecumenici Vaticani II

Quod autem ad originem et causam attinet maximi huius eventus, propter quem placuit Nobis vos hic congregare, satis est iterum afferre testimonium humile quidem, sed quod Nos ipsi experientia possumus probare: primo enim paene ex inopinato hoc Concilium mente concepimus, ac deinde simplicibus verbis enuntiavimus coram Sacro Purpuratorum Patrum Collegio fausto die illo vicesimo quinto mensis Ianuarii anno millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, in festo Conversionis Sancti Pauli Apostoli, in ipsa eius Patriarchali Basilica ad viam Ostiensem. Statim adstantium animi subito tacti sunt, quasi supernae lucis radio coruscante, et suaviter omnes affecti in vultu oculisque. Simul vero vehemens studium toto terrarum orbe exarsit, cunctique homines Concilii celebrationem studiose exspectare coeperunt.

Interea tres annos ad apparandum Concilium laboriosum est opus patratum, quod eo pertinebat, ut accuratius et amplius inquireretur, quo honore essent hac nostra aetate Fides, religionis usus, vigor coetus christiani ac praesertim catholici.

Profecto haud immerito Nobis videtur hoc tempus in apparando Concilio Oecumenico insumptum primum quoddam signum ac donum gratiae caelestis fuisse.

Huius ergo Concilii lumine illustrata, Ecclesia spiritualibus divitiis, ut confidimus, augebitur atque, novarum virium robur ex illo hauriens, intrepide futura prospiciet tempora. Nam, opportunis inductis emendationibus ac mutua auxiliatrice opera sapienter instituta, Ecclesia efficiet, ut homines, familiae, nationes reapse ad ea, quae supra sunt, mentes convertant.

Itaque propter Concilii huius celebrationem Summo Largitori omnium bonorum gratiae maximae ex conscientiae officio sunt reddendae, et gloria Christi Domini cum exsultatione praedicanda, qui est Rex invictus et immortalis saeculorum ac gentium.

Opportunitas celebrandi Concilii

Aliud praeterea est, Venerabiles Fratres, quod hac in re iuvat vobis ad considerandum proponere. Scilicet, in accessionem laetitiae sanctae, quae sollemni hac hora animos afficit nostros, liceat Nobis hoc in amplissimo consessu palam asseverare, initium Oecumenicae huius Synodi opportunis sane temporis adiunctis contingere.

Saepe quidem accidit, quemadmodum in cotidiano obeundo apostolico ministerio comperimus, ut non sine aurium Nostrarum offensione quorumdam voces ad Nos proferantur, qui, licet religionis studio incensi, non satis tamen aequa aestimatione prudentique iudicio res perpendunt. Hi enim, in praesentibus humanae societatis condicionibus, nonnisi ruinas calamitatesque cernere valent; dictitant nostra tempora, si cum elapsis saeculis comparentur, prorsus in peius abiisse; atque adeo ita se habent, quasi ex historia, quae vitae magistra est, nihil habeant quod discant, ac veluti si, superiorum Conciliorum tempore, quoad christianam doctrinam, quoad mores, quoad iustam Ecclesiae libertatem, omnia prospere ac recte processerint.

At Nobis plane dissentiendum esse videtur ab his rerum adversarum vaticinatoribus, qui deteriora semper praenuntiant, quasi rerum exitium instet.

In praesenti humanorum eventuum cursu, quo hominum societas novum rerum ordinem ingredi videtur, potius arcana Divinae Providentiae consilia agnoscenda sunt, quae per tempora succedentia, hominum opera, ac plerumque praeter eorum exspectationem, suum exitum consequuntur, atque omnia, adversos etiam humanos casus, in Ecclesiae bonum sapienter disponunt.

Hoc facile cernere est, si attento animo perpendantur gravissimae de re politica et oeconomica quaestiones atque discrimina, quae hodie sunt. Quae omnia tam sollicitos homines tenent, ut eorum curas cogitationesque a religiosis negotiis avertant, quae ad sacrum pertinent Ecclesiae Magisterium. Huiusmodi agendi ratio certe vitio non caret, ac merito est improbanda. Nemo tamen negare potest, has novas inductas rerum condiciones, id saltem commodi habere, ut e medio innumera illa impedimenta iam auferantur, quibus olim saeculi filii liberam Ecclesiae actionem praepedire consueverant. Etenim satis est cursim ecclesiasticos annales pervolvere, ut statim manifesto pateat, vel ipsa Oecumenica Concilia, quorum vicissitudines aureis litteris Ecclesiae fastis consignatae sunt, saepe non sine gravissimis difficultatibus ac doloris causis, ob indebitam civilis potestatis interpositam auctoritatem, celebrata fuisse. Huius enim mundi Principes interdum sibi quidem propo-

nebant sincero animo Ecclesiae patrocinium suscipere; quod tamen plerumque non sine spirituali detrimento ac periculo fiebat, cum iidem saepius rationibus politicis ducerentur suisque utilitatibus nimium studerent.

Fatemur quidem hodie Nos vehementi dolore affici, quod inter vos complures Ecclesiae Pastores desiderantur, Nobis sane carissimi, qui ob Christi Fidem in vinculis detinentur vel aliis impedimentis praepediuntur, et quorum recordatio Nos permovet ut pro ipsis flagrantissimas Deo preces admoveamus; attamen non sine spe et magno solacio Nostro hodie factum esse cernimus, ut Ecclesia, tot profanis praeteritae aetatis impedimentis tandem expedita, ex hoc Vaticano Templo, veluti altero Apostolorum Cenaculo, per vos vocem suam, maiestatis gravitatisque plenam, attollere possit.

Praecipuum Concilii munus: doctrina tuenda et promovenda

Quod Concilii Oecumenici maxime interest, hoc est, ut sacrum christianae doctrinae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur.

Haec doctrina integrum complectitur hominem, corpore et animo compositum, eademque iubet nos, qui huius terrae incolae sumus, ad caelestem patriam peregrinos contendere.

Id autem ostendit, qua ratione mortalis haec vita componenda sit, ut nos officiis satisfacientes, quibus erga terrestrem et caelestem Civitatem obstringimur, finem nobis a Deo praestitutum assequi valeamus. Scilicet, omnes prorsus homines, sive singuli sive inter se societate coniuncti, sine intermissione officio tenentur caelestia bona consectandi, donec haec vita suppetit, atque ad hoc assequendum, terrenas res adhibendi, ita tamen ut temporalium bonorum usus sempiternam eorum beatitatem in discrimen non adducat.

Verum profecto est, Christum Dominum hanc pronuntiasse sententiam: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius.*[4] Quae vox *primum* declarat, quo potissimum vires et cogitationes nostras dirigi oporteat; nihilominus minime neglegenda sunt cetera huius Dominici praecepti verba, quae subsequuntur: *et haec omnia adicientur vobis.*[5] Ac revera semper fuerunt ac sunt in Ecclesia qui, dum Evangelicae perfectioni adipiscendae omni studio vacant, simul ad civilem cultum adiutricem operam conferunt, cum ex eorum vitae exemplis, ex eorumque saluta-

---

[4] *Matth.* 6, 33.
[5] Ibid.

ribus caritatis inceptis, ea, quae in humana societate praestantiora ac nobiliora sunt, haud parum accipiant roboris atque incrementi.

Ut autem haec doctrina multiplices attingat humanae navitatis campos, qui ad singulos homines, ad domesticum convictum, ad socialem vitam pertinent, in primis necesse est, ne Ecclesia oculos a sacro veritatis patrimonio a maioribus accepto umquam avertat; at simul necesse habet, ut praesentia quoque aspiciat tempora, quae novas induxerunt rerum condiciones, novasque vivendi formas, atque nova catholico apostolatui patefecerunt itinera.

Hac de causa Ecclesia mirandis illis humani ingenii inventis doctrinarumque incrementis, quibus hodie utimur, non iners affuit, neque iisdem recte aestimandis impar evasit; sed haec omnia pervigili prosequens cura, homines admonere non desinit, ut super ipsam rerum aspectabilium speciem, oculos ad Deum omnis sapientiae et pulchritudinis fontem convertant, ne iidem, quibus dictum fuit: *Subicite terram et dominamini,*[6] obliviscantur umquam gravissimi illius praecepti: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies,*[7] neu fluxae rerum fascinatio veri nominis progressum impediat.

Qua ratione hodie doctrina promovenda sit

Hisce positis, satis manifestae sunt, Venerabiles Fratres, partes quae, ad doctrinam quod attinet, Concilio Oecumenico sunt demandatae.

Scilicet Concilium Oecumenicum primum et vicesimum — quod efficaci magnique aestimando auxilio utitur eorum, qui scientia sacrarum disciplinarum, apostolatus exercendi resque recto ordine agendi excellunt — integram, non imminutam, non detortam tradere vult doctrinam catholicam, quae, licet inter difficultates et contentiones, veluti patrimonium commune hominum evasit. Hoc non omnibus quidem gratum est, tamen cunctis, qui bona voluntate sunt praediti, quasi paratus thesaurus uberrimus proponitur.

Attamen nostrum non est pretiosum hunc thesaurum solum custodire, quasi uni antiquitati studeamus; sed alacres, sine timore, operi, quod nostra exigit aetas, nunc insistamus, iter pergentes, quod Ecclesia a viginti fere saeculis fecit.

Neque opus nostrum, quasi ad finem primarium, eo spectat ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores

---

[6] Cfr. *Gen.* 1, 28.
[7] *Matth.* 4, 10; *Luc.* 4, 8.

tradiderunt, et quae a vobis non ignorari sed in mentibus vestris inhaerere merito putamus.

Etenim ad huiusmodi tantum disputationes habendas non opus erat, ut Concilium Oecumenicum indiceretur. Verumtamen in praesenti oportet ut universa doctrina christiana, nulla parte inde detracta, his temporibus nostris ab omnibus accipiatur novo studio, mentibus serenis atque pacatis, tradita accurata illa ratione verba concipiendi et in formam redigendi, quae ex actis Concilii Tridentini et Vaticani Primi praesertim elucet; oportet ut, quemadmodum cuncti sinceri rei christianae, catholicae, apostolicae fautores vehementer exoptant, eadem doctrina amplius et altius cognoscatur eaque plenius animi imbuantur atque formentur; oportet ut haec doctrina certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra. Est enim aliud ipsum depositum Fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eaedem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia. Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum; scilicet eae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruant.

Qua ratione errores compescendi sint

Ineunte Concilio Oecumenico Vaticano Secundo, manifesto ut alias numquam patet, veritatem Domini in aeternum manere. Siquidem, dum aetas aetati succedit, incertas cernimus hominum opinationes alias alias excipere, atque enascentes errores saepe cito velut nebulam sole depulsam evanescere.

Quibus erroribus Ecclesia nullo non tempore obstitit, eos saepe etiam damnavit, et quidem severitate firmissima. Ad praesens tempus quod attinet, Christi Sponsae placet misericordiae medicinam adhibere, potius quam severitatis arma suscipere; magis quam damnando, suae doctrinae vim uberius explicando putat hodiernis necessitatibus esse consulendum. Non quod desint fallaces doctrinae, opinationes, pericula praecavenda atque dissipanda; sed quia haec omnia tam aperte pugnant cum rectis honestatis principiis, ac tam exitiales peperere fructus, ut hodie homines per se ipsi ea damnare incipere videantur, ac nominatim sive illas vivendi formas, quae Deum eiusque leges posthabeant, sive nimiam in technicae artis progressibus positam confidentiam, sive prosperitatem unice vitae commodis innixam. Ipsi magis magisque norunt, humanae personae dignitatem eiusque congruam perfectionem negotium esse magni momenti et ad expediendum perarduum. Quod autem maxime

interest, iidem experiendo tandem didicerunt, externam vim aliis impositam, armorum potentiam, politicum dominatum minime satis esse, ad gravissimas, quae eos angunt, quaestiones feliciter dissolvendas.

Hisce in rerum adiunctis, Catholica Ecclesia, dum per Oecumenicum hoc Concilium religiosae veritatis facem attollit, amantissimam omnium matrem se vult praebere, benignam, patientem, atque erga filios a se seiunctos misericordia ac bonitate permotam. Humano generi, tot difficultatibus laboranti, ipsa, ut olim Petrus misero illi qui ab eo stipem rogaverat, dicit: *Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo hoc tibi do; in nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula.*[8] Scilicet nostrorum temporum hominibus Ecclesia non caducas porrigit divitias, neque beatitatem dumtaxat terrenam pollicetur; sed supernae gratiae bona impertit, quae cum homines ad filiorum Dei dignitatem erigant, tam valido praesidio et adiumento sunt ad humaniorem efficiendam eorum vitam; uberioris doctrinae suae fontes aperit, qua homines luce Christi collustrati penitus intellegere valent, quid ipsi revera sint, qua dignitate excellant, quem finem prosequi debeant; per filios denique suos ubique christianae caritatis spatia dilatat, qua ad dissensionum semina evellenda nihil est aptius, et ad provehendam concordiam, iustam pacem fraternamque omnium unitatem nihil est efficacius.

Unitas in christiana et humana familia promovenda

Huiusmodi Ecclesiae sollicitudo de veritate promovenda atque tuenda, ex eo proficiscitur, quod, secundum Dei consilium *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,*[9] homines nonnisi integrae revelatae doctrinae praesidio aucti, ad absolutam firmissimamque animorum unitatem pervenire possunt, quacum veri nominis pax sempiternaque salus coniungitur.

Hanc autem visibilem unitatem in veritate, nondum, proh dolor, universa christianorum familia plene perfecteque assecuta est. At Ecclesia Catholica officii sui esse ducit sedulam conferre operam ad magnum complendum mysterium illius unitatis, quam Christus Iesus, imminente sacrificio suo, a Caelesti Patre flagrantissimis rogavit precibus; atque suavissima fruitur pace, sciens se cum hisce Christi precibus arctissime esse coniunctam; quin etiam sincero animo gaudet, cum animadvertit has precationes etiam inter eos, qui extra eiusdem saepta versantur, salutares atque uberiores usque multiplicare fructus. Etenim, si rem

---

[8] *Act.* 3, 6.
[9] *1 Tim.* 2, 4.

probe consideramus, haec ipsa unitas, quam Iesus Christus pro Ecclesia sua impetravit, quasi triplici supernae salutarisque lucis radio coruscare videtur, cui respondent: unitas catholicorum inter se, quae firmissima atque in exemplum praelucens servetur oportet; unitas praeterea ex piis precibus et flagrantissimis votis constans, qua christiani ab hac Apostolica Sede seiuncti expetunt ut nobiscum coniungantur; unitas denique existimatione atque observantia erga Ecclesiam Catholicam innixa, ab iis exhibita, qui diversas religionis formas adhuc non christianas profitentur.

Quam ad rem, est maxime lugendum, quod ingens adhuc humani generis pars — quamvis omnes homines qui nascuntur ipsi quoque Christi Sanguine sint redempti — nondum participet supernae gratiae fontes, qui in Ecclesia Catholica habentur. Quo fit ut de Ecclesia Catholica, cuius lux omnia illuminat et cuius supernaturalis unitatis vis in universae hominum familiae profectum redundat, apte cadant haec Sancti Cypriani praeclara praeconia: *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est quod ubique diffunditur nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit; unum tamen caput est et origo una et una mater fecunditatis successibus copiosa: illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur.*[10]

Venerabiles Fratres,

Hoc sibi proponit Oecumenica Synodus Vaticana Secunda; quae, dum praecipuas Ecclesiae vires in unum congregat, atque enixe studet, ut salutis nuntium ab hominibus libentius excipiatur, quasi viam sternit ac munit ad efficiendam illam humani generis unitatem, quae veluti necessarium fundamentum est, ut terrena Civitas in similitudinem componatur Civitatis caelestis, *cuius rex veritas, cuius lex caritas, cuius modus aeternitas.*[11]

Conclusio

Nunc autem *os nostrum patet ad vos,*[12] Venerabiles in Episcopatu Fratres. Ecce nos iam in unum congregatos in hac Vaticana Basilica, ubi Ecclesiae historiae cardo vertitur, ubi nunc Caelum et terra artissimo coniunguntur foedere; hic ad Sancti Petri sepulcrum, ad tot Sanctorum

---

[10] *De Catholicae Ecclesiae unitate,* 5.
[11] S. AUGUSTINUS, *Ep.* 138, 3.
[12] *2 Cor.* 6, 11.

Decessorum Nostrorum tumulos, quorum cineres hac sollemni hora quasi arcano quodam fremitu exsultare videntur.

Quod inchoatur Concilium, veluti dies in Ecclesia oritur splendidissima luce refulgens. Tantum aurora est; et iam primi orientis solis radii quam suaviter animos afficiunt nostros! Omnia hic sanctitatem spirant, laetitiam excitant. Contemplamur enim stellas claritate sua maiestatem huius templi adaugere, quae, teste Ioanne Apostolo,[13] vos estis; et per vos quasi aurea lucere candelabra circa Principis Apostolorum sepulcrum, quae sunt Ecclesiae vobis concreditae.[14] Simul cernimus viros dignitate amplissimos, qui e quinque continentibus terris Romam convenerunt, suarum Nationum personam acturi, quique omni cum reverentia atque humanissima cum exspectatione hic adsunt.

Quare plane dicendum est, Caelites et homines ad celebrandum Concilium consociatam conferre operam. Beatorum Caelitum partes hae sunt, ut labores tueantur nostros; christifidelium, ut flagrantes preces ad Deum fundere pergant; vestrum omnium, ut supernis Spiritus Sancti impulsionibus prompte obsecuti, alacriter detis operam, ut labores vestri variarum gentium optatis ac necessitatibus apprime respondeant. Haec ut contingant, a vobis postulantur serena animorum pax, fraterna concordia, coeptorum temperantia, disceptationum dignitas, deliberationum omnium sapientia.

Utinam studia atque opera vestra, in quae non tantum populorum oculi sed spes quoque universi orbis sunt conversae, exspectationem cumulate expleant.

Omnipotens Deus, in Te, nostris diffisi viribus, fiduciam totam reponimus. Super hos Ecclesiae tuae Pastores benignus respice. Supernae tuae gratiae lumen Nobis adsit consilium capientibus, adsit leges ferentibus; et quas una Fide, uno ore, uno animo ad Te preces fundimus, libenter exaudi.

O Maria, Auxilium Christianorum, Auxilium Episcoporum, cuius amorem nuper in Lauretano templo tuo, ubi Incarnationis mysterium venerari placuit, peculiari modo experti sumus, omnia ad laetum, faustum, prosperum exitum tua ope dispone; tuque una cum Sancto Ioseph Sponso tuo, cum Sanctis Petro et Paulo Apostolis, Sanctis Ioanne Baptista et Evangelista, apud Deum intercede pro nobis.

Iesu Christo, Redemptori nostro amantissimo, Regi immortali populorum et temporum, amor, potestas et gloria in saecula saeculorum. Amen.[15]

---

[13] *Apoc.* 1, 20.

[14] Ibid.

[15] *A.A.S.,* 54 (1962), pp. 786-795.

5. Sessionis conclusio

Allocutione absoluta, omnes adstantes surrexerunt et Summus Pontifex eis sollemnem impertitus est benedictionem:

Summus Pontifex: Sancti Apostoli Petrus et Paulus, de quorum potestate ...

℟ Amen.

Precibus et meritis Beatae Mariae semper Virginis ...

℟ Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum ...

℟ Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

℟ Amen.

Publicata indulgentia a P. D. Alfredo Ottaviani, cardinali primo diacono, secretarius generalis Concilii codicem Sancti Evangelii e throno sustulit dum chorus Cappellae Sixtinae cantat antiphonam *Tu es Petrus,* 6 vocibus, auctore Palestrina; deinde ambonem conscendit diemque et horam primae congregationis generalis indixit: « Audiant omnes! Proxima sessio seu prima congregatio generalis erit sabbato proximo, die 13 octobris, hora nona. Intimantur propterea universi Patres et periti Concilii necnon ministri et officiales ad quos spectat, ut pro illa hora in Vaticana Basilica adsint ut congregatio generalis initium habeat ».[1]

Tunc Summus Pontifex, sacris depositis paramentis, ad Apostolicas Aedes remeavit, omnibus plaudentibus et sonantibus organis.

Omnes sacri ritus partes radiophonicis undis ac televisifico invento, variis etiam stationibus inter se colligatis (v. *Eurovisione*), diffusae sunt.

Elenchus Patrum praesentium deest, quia nondum erant statuta

---

[1] Cum Cappella Sixtina ante tempus inchoasset cantum *Tu es Petrus,* secretarius generalis ordinem proximae congregationis generalis nuntiare Patribus nequivit, qui propterea in *L'Osservatore Romano,* die 12 octobris 1962, p. 4, his verbis communicatus est: « La Segreteria Generale del Concilio Ecumenico informa: La prima Congregazione Generale del Concilio si terrà sabato prossimo 13 ottobre alle ore 9. Celebrerà la S. Messa S. E. Rev.ma Ermenegildo Florit, Arcivescovo di Firenze. Nella Congregazione si procederà alla votazione per la nomina dei componenti le Commissioni Conciliari. Sono intimati, pertanto, i Padri Conciliari e i Periti del Concilio, nonchè i Ministri e gli Officiali che debbono intervenire ».

loca in aula conciliari, ac proinde impossibile fuit distribuere et colligere praesentiae schedulas.

Patribus et Peritis distributa sunt in aula conciliari:

Elenco dei Padri Conciliari, a cura della segreteria generale del Concilio, Tipografia Poliglotta Vaticana 1962;

Res in suffragatione agendae, Typis Polyglottis Vaticanis 1962;

Schedae pro eligendis sodalibus commissionum sacri Concilii;

Professio orthodoxae fidei;

Elenchus Patrum qui partem habuerunt in commissionibus praeparatoriis Concilii;

Methodus servanda et preces recitandae in Concilio Oecumenico Vaticano II iussu Sanctissimi Domini Nostri Ioannis Pp. XXIII Catholicae Ecclesiae Episcopi, Typis Polyglottis Vaticanis 1962;

Supplicatio orientalis: linguis graeca, latina, slavica et arabica, Typis Polyglottis Vaticanis 1962;

Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi, Typis Polyglottis Vaticanis 1962: cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), vol. I, Typis Polyglottis Vaticanis 1964, pp. 306-325; A.A.S., 54 (1962), pp. 609-631;

Deuxième Concile Œcuménique du Vatican. Cérémonie solennelle d'ouverture en la Basilique de Saint-Pierre le 11 octobre 1962, Imprimerie Polyglotte Vaticane 1962;

Liste des Missions extraordinaires envoyées à l'occasion de l'ouverture solennelle du Deuxième Concile Œcuménique du Vatican, Basilique Patriarcale de Saint-Pierre, le 11 octobre 1962.

* * *

Sollemni ritui aderant e primis sedibus: Excellentissimus Vir Antonius Segni, Reipublicae Italicae Praeses; Celsissimus ac Eminentissimus Vir Angelus de Mojana di Cologna, Militaris suique iuris Ordinis Melitensis Magnus Magister; Celsissimus Princeps Albertus Leodiensis et Celsissimus Princeps Carolus Luxemburgensis.

Aderant omnes Excellentissimi Viri e *Legationibus extra ordinem,* quas sex et octoginta Nationes vel Internationalia Consilia miserunt, ut, ineunte Oecumenico Concilio Vaticano II, ipsorum agerent personam.

Eorum nomina hic infra scripta recensentur.

LEGATIONES EXTRA ORDINEM A GUBERNIIS ET CONSILIIS INTERNATIONALIBUS MISSAE [1]

Allemagne

S. E. M. Gerhard Schröder, Ministre Fédéral des Affaires Étrangères.
S. E. M. A. Hilger van Scherpenberg, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. Josef Jansen, Directeur Général des Affaires Politiques au Ministère des Affaires Étrangères.

Argentine

S. E. M. Atilio dell'Oro Maini, Ancien Ministre d'État.
S. E. M. le Gén. Julio Lagos, Ambassadeur.
S. E. M. Luis Roque Gondra, Ambassadeur près le Saint-Siège.

Australie

S. E. M. Alfred Stirling, Ambassadeur.
M. Kenneth H. Rogers, Secrétaire.
M. Michael McKeown, Secrétaire.

Autriche

S. E. M. Heinrich Drimmel, Ministre Fédéral de l'Éducation.
S. E. M. Fritz Bock, Ministre Fédéral du Commerce et de la Reconstruction.
M. Max Neugebauer, Conseiller National.

Belgique

S. A. R. le Prince de Liège.
S. E. M. A. E. De Schryver, Ministre d'État.
M. le Major B. E. M. John Kervyn de Meerendré.

Bolivie

S. E. M. le Sén. Ruben Julio Castro, Ambassadeur.
S. E. M. Manuel Frontaura Argandoña, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. Guillermo Alborta, Ambassadeur.

---

[1] *A.A.S.,* 54 (1962), pp. 796-806.

Bouganda

S. E. M. Léonard Nathanael Basudde, Ministre de la Justice.

Brésil

S. E. le Sén. Alfonso Arinos de Mello Franco, Ancien Ministre des Affaires Étrangères.
S. E. M. Henrique de Souza-Gomes, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. le Prof. Alceu de Amoroso Lima, Ambassadeur.

Caméroun

S. E. M. Philémon Beb a Don, Ambassadeur.
M. Fouda Omgba, Maire de Yaoundé.
M. Effa Henri, Député à l'Assemblée Fédérale.

Canada

S. E. M. Jean Bruchési, Ambassadeur.
M. Keith W. Maclellan, Conseiller.

Chili

S. E. Don Fernando Aldunate Errazuriz, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. Don Fernando Arrego Vicuña, Ambassadeur.
S. E. M. Eduardo Cruz-Coke, Ambassadeur.

Chine

S. E. M. Chéou-Kang Sié, Ambassadeur près le Saint-Siège.
M. Wei-tse Chang, Ministre Conseiller.
M. Chen Min-Chung, Secrétaire.

Chypre

S. E. M. Antis Soteriades, Haut-Commissaire de la République à Londres.

Colombie

S. E. M. Dario Echandía, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. Eliseo Arango, Ambassadeur.
S. E. M. Efraím Casas Manrique, Ambassadeur.

Congo (Brazzaville)

S. E. M. Dominique N'Zalakanda, Ministre de l'Intérieur.

Congo (Léopoldville)

S. E. M. le Sén. Joseph Ileo, Ambassadeur.
S. E. M. Évariste Loliki, Ambassadeur.
M. Alphonse Mukadi, Conseiller.

Corée

S. E. M. le Gén. Chong Chan Lee, Ambassadeur.
M. Jin Seng Ahn, Conseiller.

Costa Rica

S. E. Don Daniel Oduber Quirós, Ministre des Affaires Étrangères et du Culte.
S. E. Don Franklin Aguilar Alvarado, Ambassadeur près le Saint-Siège.
M. Alonso Lara, Secrétaire.

Côte d'Ivoire

S. E. M. Kodjo Konian, Vice-Président du Conseil Économique.
M. Marcel Laubhouet, Député à l'Assemblée Nationale.

Cuba

S. E. M. Luis Amado-Blanco y Fernández, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. Leonardo Fernández Sánchez, Ambassadeur.
M. Antonio Piñón de la Puente, Secrétaire.

Dahomey

S. E. M. Marcel Dadjo, Ambassadeur.

Danemark

S. E. M. Vincens de Steesen-Leth Til Steengaard, Ambassadeur.
M. Erik Andersen, Conseiller.
M. Frederik Breyen.

El Salvador

S. E. M. Luis Roberto Flores, Ambassadeur.
S. E. M. Roberto Cordero D'Aubuisson, Ambassadeur.
M. Guillermo Paz Larín, Conseiller.

Équateur

S. E. Don Jorge Pérez Serrano, Ambassadeur.
S. E. M. le Sén. Don Luis Cordero Crespo, Ambassadeur.
S. E. Don Gonzalo Almeida Urrutia, Ambassadeur.

Espagne

S. E. Don Fernando María Castiella, Ministre des Affaires Étrangères.
S. E. Don Antonio Iturmendi y Bañales, Ministre de la Justice.
S. E. Don Manuel Lora-Tamayo, Ministre de l'Éducation Nationale.

États-Unis d'Amérique

S. E. M. Fredrick Reinhardt, Ambassadeur.
M. William Sherman, Secrétaire.

Éthiopie

S. E. M. Kebede Micael, Ambassadeur.

Finlande

S. E. M. Osmo Lennart Orkomies, Ministre près le Saint-Siège, avec rang d'Ambassadeur.

France

S. E. M. Maurice Couve de Murville, Ministre des Affaires Étrangères.
S. E. M. Jean Foyer, Ministre de la Justice.
S. E. M. le Comte Wladimir d'Ormesson, de l'Académie Française, Ambassadeur.

Gabon

S. E. M. Joseph Ngoua, Ambassadeur.
S. E. M. Georges Damas, Ambassadeur.
M. Marc Nang, Secrétaire.

Grande Bretagne

S. E. Sir Francis D'Arcy Godolphin Osborne, Ambassadeur.
Hon. Edmund Howard, M. V. O., Attaché.

Guatémala

S. E. M. José Guirola Leal, Ambassadeur.
S. E. M. Pedro de Yurrita Maury, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. José Urrutia de León, Ambassadeur.

Guinée

S. E. M. Léon Maka, Ambassadeur.
M. Joseph Montlouis, Directeur Général des Postes et Télécommunications.

Haïti

S. E. M. Jean Duvigneaud, Ambassadeur près le Saint-Siège.

Haute-Volta

S. E. M. Mathias Sorgho, Ministre de l'Éducation Nationale.
M. Hippolyte Tapsoba.
M. Xavier Lamoussa.

Honduras

S. E. M. Antonio Bermúdez Milla, Ambassadeur près le Saint-Siège.
M. León Paredes Lardizabal, Secrétaire.
M. Ramon Villeda Bermúdez, Attaché.

Inde

S. E. M. S. N. Haksar, Ambassadeur.
M. A. Madhavan, Secrétaire.

Indonésie

S. E. M. Gustaf Adolf Maengkom, Ambassadeur.
M. Agus Jaman, Conseiller.

Iran

S. E. M. Anouchiravan Sepahbodi, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. le Prof. Sayed Hassan Emami, l'Imân de Téhérân.
M. Mohammed Poursartip, Conseiller.

Iraq

M. Mohamed Hassan Alwan, Premier Secrétaire.
M. Akram Fadhel, Directeur au Ministère de l'Orientation.

Irlande

S. E. M. Seán Lemass, Premier Ministre.
S. E. M. Cornelius C. Cremin, Secrétaire Général au Ministère des Affaires Étrangères.
S. E. M. Thomas V. Commins, Ambassadeur près le Saint-Siège.

Israël

S. E. M. Maurice Fischer, Ambassadeur.
S. E. M. Samuel Bentsur, Ambassadeur.
M. le Dr. Shaul Colby, Directeur au Ministère des Cultes.

Italie

S. E. M. le Prof. Amintore Fanfani, Président du Conseil des Ministres.
S. E. M. Attilio Piccioni, Vice-Président du Conseil des Ministres et Ministre des Affaires Étrangères.
S. E. M. Bartolomeo Migone, Ambassadeur près le Saint-Siège.

Japon

S. E. M. Setsuya Beppu, Ambassadeur près le Saint-Siège.
M. Morizumi Yoshiura, Conseiller.
M. Nobuo Nishida, Attaché.

Jordanie

S. E. M. Hanna Khalaf, Ministre de la Justice.
S. E. M. Edmond Roch, Ambassadeur.

Kuwait

S. E. M. Khalifah Al-Ghunaim, Ambassadeur.

Liban

S. E. M. Pierre Gemayel, Ministre des Travaux Publics.
S. E. M. Fouad Boutros, Ministre de la Justice.
S. E. M. Joseph Harfouche, Ambassadeur près le Saint-Siège.

Libéria

S. E. M. J. Dudley Lawrence, Ministre près le Saint-Siège avec rang d'Ambassadeur.
S. E. M. C. L. Simpson, Ancien Président de la République.
M. John Kolenky, Ancien Membre de la Chambre des Représentants.

Luxembourg

S. A. R. Mgr le Prince Charles de Luxembourg.
S. E. M. Pierre Grégoire Ministre de l'Intérieur.
M. le Capitaine Norbert Prüssen, Aide de Camp de S. A. R. Madame la Grande-Duchesse de Luxembourg.

Madagascar

S. E. M. Pierre Razafy-Andriamihaingo, Ambassadeur.

Monaco (Principauté)

S. E. M. Paul Noghes, Secrétaire d'État.
M. le Colonel Jean Ardant, Gouverneur de la Maison Princière.
S. E. M. César Charles Solamito, Ministre près le Saint-Siège.

Nicaragua

S. E. M. Alfonso Ortega Urbina, Ministre des Affaires Étrangères.
S. E. Don Enrique Fernando Sánchez, Ministre de l'Économie Nationale et des Travaux Publics.
S. E. Don Miguel D'Escoto Muñoz, Ambassadeur près le Saint-Siège.

Niger

S. E. M. Antoine Douramane Tahirou, Ambassadeur.

Nigeria

S. E. M. L. Anionwu, Ambassadeur.

Norvège

S. E. M. Thore Boye, Ambassadeur.
M. Inge R. Rindal, Conseiller.

Ordre Souverain Militaire de Malte

S. E. le Vén. Bailli Frà Ottone de Grisogono, Grand Commandeur.
S. E. le Bailli Gr. Cr. d'Honneur et Dévotion Baron Rudolf von Twickel, Président de l'Association Rhénano-Westphalienne.
S. E. le Bailli Gr. Cr. d'Obédience Quintin J. Gwyn, Président de l'Association Canadienne.

Ouganda

S. E. M. Felix K. Onama, Ministre du Travail.
M. Lubowa, Secrétaire au Ministère de l'Agriculture.

Panama

S. E. le Prof. Don Max Aroseména, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. Don Rafael Vallarino, Ambassadeur.
M. Don Juan Palomeras Arboix, Secrétaire.

Paraguay

S. E. Don Guillermo Enciso Velloso, Ambassadeur près le Saint-Siège.
M. Aníbal Fernandes, Ministre Conseiller.

Pays-Bas

S. E. le Comte François de Marchant et d'Ansembourg, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. le Baron R. B. van Lynden, Chef du Protocole au Ministère des Affaires Étrangères.
M. J. J. Poelhekke.

Pérou

S. E. Don Germán Aramburú Lecaros, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. Don Adelmo Risi Ferreyros, Envoyé Extraordinaire et Ministre Plénipotentiaire.
Don Alberto León y Rocca, Secrétaire.

Philippines

S. E. M. Benigno Toda y Toledo, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. Pablo Lorenzo, Ambassadeur.
S. E. M. José P. Bengzon, Ambassadeur.

Portugal

S. E. M. le Prof. Mário de Figueiredo, Président de l'Assemblée Nationale.
S. E. M. Antonio de Faria, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. José Nosolini, Ambassadeur.

République Arabe Unie

S. E. M. Galal Ezzat, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. Hassan Ahmed Kamel, Ambassadeur.
M. Osman Assal, Conseiller.

République Centre-Africaine

S. E. M. Joseph Mamadou, Ambassadeur.

République de Saint Marin

S. E. M. le Prof. Federico Bigi, Secrétaire d'État pour les Affaires Étrangères.
M. le Prof. Marino Benedetto Belluzzi, Membre du Congrès d'État.
M. Vittorio Rossini, Membre du Grand Magistère de l'Ordre Équestre de S.te Agathe.

République de Somalie

S. E. M. Mohamed Scek Hassan, Ambassadeur.

République Dominicaine

S. E. M. Manuel Ulises Bonnelly Fondeur, Ambassadeur près le Saint-Siège.
M. Atilano Vicini, Conseiller.

Sénégal

S. E. M. Léon Boissier-Palun, Ambassadeur.
S. E. M. Louis Le Gros, Ministre Plénipotentiaire près le Saint-Siège avec rang d'Ambassadeur.

Suède

S. E. M. Erik von Post, Ambassadeur.

Suisse

S. E. M. Giuseppe Lepori, Ancien Conseiller Fédéral.
S. E. M. Philippe Zutter, Ambassadeur.

Syrie

S. E. M. Anouar Hatem, Ambassadeur près le Saint-Siège.
M. Hicham Diab, Conseiller.

Tanganyika

S. E. M. C. G. Kahama, Ministre de l'Industrie et du Commerce.

Tchad

S. E. M. Brahim Seid, Ambassadeur.

Thaïlande

S. A. R. le Prince Wongsanuvatra Devakula, Ambassadeur.

Turquie

S. E. M. Muharrem Ihsan Kizilŏglu, Ambassadeur près le Saint-Siège.
M. Bedii Karaburcak, Conseiller.
M. Kemal Ozbilgi, Secrétaire.

Uruguay

S. E. M. Alberto Arocena, Ambassadeur.
S. E. M. le Prof. Juan E. Pivel Devoto, Ambassadeur.
M. Horacio Herrera Méndez, Chargé d'Affaires a. i. près le Saint-Siège.

Vénézuéla

S. E. M. Edgard Sanabria, Ambassadeur près le Saint-Siège.
S. E. M. le Sén. Lorenzo Fernández, Ambassadeur.
S. E. M. Pablo Ruggeri Parra, Ambassadeur.

Vietnam

S. E. M. Lâm-Lê-Trinh, Ambassadeur.
M. Nguyên-Duong-Dôn, Ministre Plénipotentiaire.

Conseil de l'Europe

S. E. M. Lodovico Benvenuti, Secrétaire Général.
M. Polys Modinos, Secrétaire Général Adjoint.
M. Paul M. G. Levy, Directeur de l'Information et de la Presse.

Communauté Européenne du Charbon et de l'Acier (C.E.C.A.)

S. E. M. le Prof. Piero Malvestiti, Président.
M. le Prof. Canzio Almini, Chef de Cabinet.

Communauté Économique Européenne (C.E.E.)

S. E. M. le Sén. Giuseppe Caron, Vice-Président.
S. E. M. Lambert Schaus, Membre de la Commission.

Communauté Européenne de l'Énergie Atomique (E.U.R.A.T.O.M.)

S. E. M. le Prof. Enrico Medi, Vice-Président de la Commission de la Communauté.

Organisation des Nations Unies pour l'Alimentation et l'Agriculture (F.A.O.)

S. E. M. le Dr. Binay Ranjan Sen, Ambassadeur.
M. le Dr. Alberto Brugnoli, Chef du Cérémonial.

Organisation de Coopération et de Développement Économique (O.C.E.D.)

S. E. M. Luciano Giretti, Secrétaire Général.
M. Donnald Mallet, Chef du Service Information.

Organisation pour l'Éducation, la Science et la Culture (U.N.E.S.C.O.)

S. E. M. le Prof. José A. Correa, Ambassadeur.

Postero die [12 oct. 1962], Excellentissimos ac Honorabiles hos Viros extra ordinem Legatos Summus Pontifex in Aede Sixtina benignissime coram excepit eisque hanc habuit, quae sequitur, Allocutionem:[2]

Altesses, Excellences et Chers Messieurs,

Votre aimable présence renouvelle ce matin l'émotion ressentie hier, à Saint-Pierre, lors de l'ouverture solennelle du Concile Œcuménique, à laquelle chacun de vous a participé au nom de son gouvernement. Nous tenons d'abord à vous dire combien Nous vous remercions de cette participation, dont le caractère imposant a contribué pour sa part à la grandeur de l'événement et à sa résonance dans le monde, auprès de tous les hommes de bonne volonté.

Aussi avons-Nous voulu répondre à ce concours exceptionnel par un acte exceptionnel, en vous recevant dans la Chapelle Sixtine, habituellement réservée aux cérémonies liturgiques, et dans laquelle aussi, comme vous le savez, les cardinaux se réunissent pour élire le nouveau Pape.

Ce n'est pas sans une vive émotion, vous le devinez bien, que Nous vous parlons en ce lieu même où, voici bientôt quatre ans, la divine Providence disposait, dans ses mystérieux desseins, l'élévation au Souverain Pontificat de l'humble patriarche de Venise, qui avait passé la plus grande partie de sa vie au service direct du Saint-Siège en Orient et en Occident. Et voici qu'après quatre années, la même bonne Providence Nous procure la joie d'ouvrir le Concile Œcuménique, et de voir l'immense majorité des peuples de la terre associés par vos illustres personnes à cet événement qui a déjà attiré partout l'attention sur l'Eglise catholique.

---

[2] *A.A.S.,* 54 (1962), pp. 807-810.

C'est vous dire combien la rencontre toute spéciale et solennelle de ce matin prend sa place dans les cérémonies conciliaires: elle indique clairement que le Concile, en plus de sa propre signification religieuse, offre un aspect social qui intéresse la vie des peuples, ce que votre présence ici met si bien en relief.

Il est notoire et bien évident qu'un Concile concerne en premier lieu l'Eglise catholique. Il veut en manifester la vitalité, et souligner sa mission spirituelle. Il veut aussi adapter ses moyens, pour que la doctrine évangélique soit dignement vécue et plus facilement écoutée parmi les peuples. Il veut encore aplanir la voie où se fera la rencontre de tant de frères: car il est, comme Nous le disions le 25 janvier 1959: « un appel renouvelé aux fidèles des Communautés séparées à Nous suivre elles aussi aimablement dans cette recherche d'unité et de grâce, auxquelles tant d'âmes aspirent sur tous les points de la terre ».[3]

Le Concile veut enfin montrer au monde comment mettre en pratique la doctrine de son divin Fondateur, prince de la paix. Quiconque vit, en effet, selon cette doctrine, contribue à établir la paix et à favoriser une prospérité véritable.

Entre des hommes qui ne voudraient connaître que des rapports de force physique, le devoir de l'Eglise serait de révéler toute l'importance et l'efficacité de la force morale du Christianisme, qui est un message tout de vérité, de justice et de charité.

Tels sont les fondements sur lesquels le Pape doit S'employer à travailler à établir une paix véritable, destinée à élever les peuples dans le respect de la personne humaine et à procurer une juste liberté cultuelle et religieuse; paix qui favorise la concorde entre les Etats, — et, ce qui va de soi — même si cela exige d'eux quelque sacrifice.

Les conséquences naturelles en seront l'amour mutuel, la fraternité, et la fin des luttes entre les hommes de diverses origines et de différentes mentalités. Ainsi serait hâtée l'aide si urgente en faveur des peuples en voie de développement et à la recherche de leur vrai bien-être, en « excluant toute visée de domination ».[4] Telle est la grande paix que tous les hommes attendent, et pour laquelle ils ont tant souffert: il serait temps qu'elle fasse des pas décisifs!

C'est cette même paix que l'Eglise travaille à établir: par la prière, par le respect profond qu'elle a pour les faibles, les malades, les vieillards, et par la diffusion de sa doctrine, qui est doctrine d'amour fraternel, parce que les hommes sont frères, et, — Nous le disons avec une

---

[3] *A.A.S.,* 51 (1959), p. 69.

[4] Litt. Enc. *Mater et Magistra,* Polygl. Vatic., n. 184.

grande tendresse —, tous fils d'un même Père. Et le Concile contribuera sans nul doute à préparer ce nouveau climat et à éloigner tout conflit, en particulier la guerre, ce fléau des peuples, qui signifierait aujourd'hui la destruction de l'humanité.

In hac congregatione praesidet em.mus ac rev.mus D. card. Achilles Liénart, episcopus Insulensis.

Audiant omnes! Ss.mus Dominus Noster Ioannes Papa XXIII, audita relatione de suffragatione et scrutatione peractis pro eligendis sexdecim sodalibus decem commissionum conciliarium, attento magno numero suffragiorum ab iis quoque candidatis relatorum qui maioritatem absolutam non attigerint, atque vehementer desiderans ut S. Concilii labores expedite procedant, postulantibus em.mis consilii praesidentiae sodalibus, dignatus est dispensare a praescripto articuli 39 *Ordinis celebrandi Concilii Oecumenici Vaticani II,* atque, concedendo sanationes quatenus opus est, electos habere primos sexdecim praesules qui, in unaquaque commissione, maiorem suffragiorum numerum retulerint.

Hoc dictum nunc legitur diversis linguis. Postea communicabuntur electi septem commissionum conciliarium; proxima hebdomada, aliarum trium commissionum.

Versio hispanica

(P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

El Sumo Pontifice, después de haber sido informado sobre el desarollo de las votaciones y sobre el resultado del escrutinio, teniendo en cuenta el elevado número de votos obtenidos incluso por los candidatos que no han llegado a la mayoría absoluta, y afin de que las tareas del Concilio procedan con rapidez, a petición de la Presidencia del Concilio, se ha dignado dispensar de lo dispuesto por el artículo 39 del *Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi,* y conceder la sanación, en cuanto sea necesario. Por lo mismo, considera elegidos, para cada una de las Comisiones, los diez y seis Prelados que hayan obtenido mayor número de votos.

Versio gallica
(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Notre Saint Père le Pape Jean XXIII, après avoir entendu le rapport qui lui a été présenté sur le déroulement des élections pour les membres des Commissions conciliaires, considérant le nombre élevé de voix obtenu par les candidats qui n'ont pas atteint la majorité absolue, vivement désireux que les travaux du Concile commencent rapidement, a daigné, sur la demande des Eminentissimes Cardinaux du Conseil de la Présidence, dispenser de la prescription contenue dans l'article 39 de l'*Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi,* et, accordant sanation dans la mesure où c'est nécessaire, tenir pour élus les seize premiers Prélats qui ont obtenu la majorité des voix dans chaque Commission.

Versio anglica
(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention please! His Holiness, Pope John XXIII, the Supreme Pontiff, having heard the report on the voting and on the election returns, in view of the rather high number of votes reported, even for the candidates who did not receive an absolute majority, with a fervent desire to have the work of the Council procede with dispatch, at the plea of the Presidency of the Council, graciously deigned to dispense from Article 39 of the rules governing Council procedure to grant a sanation in whatever measure such may be necessary, and to hold as duly elected the sixteen Prelates of each Commission who received the highest number of votes. The Prelates of seven of these Commissions will be announced before this meeting adjourns; those of the remaining three Commissions will be announced next week.

Versio germanica
(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Der Heilige Vater hat den Bericht über den Fortgang der Wahl und Stimmzählung entgegen genommen. In Anbetracht der sehr erheblichen Zahl von Stimmen, welche auch auf solche Kandidaten entfallen, welche nicht die absolute Mehrheit erhalten haben, und beseelt von dem dringenden Wunsch, dass die Konzilsarbeiten beschleunigt vorangehen, hat der H. Vater auf Ansuchen des Präsidiums geruht von der Bestimmung des Artikels 39 paragraf 1 der Geschäftsordnung des Konzils zu dispensieren, allfalls notwendige Sanationen zu gewähren und jeweils diejenige 16 Bischöfe als gewählt zu betrachten, welche für die einzelnen Kommissionen die meisten Stimmen erhalten haben. Die Mitglieder der ersten sieben Kommissionen werden gleich namentlich bekannt gegeben.

Versio arabica
(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

استمع قداسة الحبر الاعظم البابا يوحنا الثالث والعشرين الى تقرير انتخاب لجان المجمع المسكوني المقدس ، ولما كان عدد الاصوات التي نالها بعض الآباء المنتخبين لا يشكل اغلبية مطلقة ولكنه جدير بالتقدير لانه كبير وخطير ، ولما كان قداسته يرغب في ان تبدأ اعمال المجمع المسكوني في اقرب وقت ونظرا الى الطلب الذي رفعه اليه مجلس الرئاسة تنازل وفسّح من البند التاسع والثلاثين من قانون المجمع المسكوني الفاتيكاني الثاني المتعلّق بالانتخاب وصحّح ما يقتضي تصحيحه وامر بأن يعتبر الاعضاء الذين نالوا الاكثريّة النسبية كأنهم منتخبون شرعا في لجانهم .

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Publicantur nomina electorum pro septem commissionibus. Schedulae validae 2.400. Ob brevitatem, omitto titulos.

Commissio de Doctrina Fidei et Morum

		Suffragia
Exc.mi DD.	Schröffer Ioseph	1.761
	Garrone Gabriel	1.738
Em.mus card.	König Franciscus	1.670
Exc.mi DD.	van Dodewaard Ioannes	1.537
	Scherer Alfredus	1.465
Em.mus card.	Léger Paulus Aemilius	1.258
Exc.mi DD.	Florit Hermenegildus	1.244
	Dearden Ioannes	1.189
	Charue Andreas Maria	1.138
	Wright Ioannes	1.138
	McGrath Marcus Gregorius	1.116
	Griffiths Iacobus	1.077
	Roy Mauritius	994

		Suffragia
Em.mus card.	Santos Rufino	813
Exc.mi DD.	Šeper Franciscus	788
	Peruzzo Ioannes	741
		Sunt sexdecim

Commissio de Episcopis et Dioecesium regimine

Exc.mi DD.	Guerry Aemilius	1.807
	Schäufele Hermannus	1.658
	Browne Michaël	1.634
	Veuillot Petrus	1.592
	Dwyer Georgius	1.582
Em.mus card.	McIntyre Iacobus Franciscus	1.384
Exc.mi DD.	Miranda y Gomez Michaël	1.303
	Alter Carolus	1.287
	Lemieux Marius Ioseph	1.285
	Castelli Albertus	1.237
	Piazzi Iosephus	1.054
	Primatesta Radulphus	1.035
	Gargitter Iosephus	999
	Correa Leo Paulus	918
	Mathias Aloisius	745
Em.mus card.	Bueno y Monreal Iosephus Maria	722
		Sunt sexdecim

Commissio de Ecclesiis Orientalibus

Exc.mi DD.	Senyshyn Ambrosius	1.432
	Perniciaro Ioseph	1.264
Rev. Pater	Hoeck Ioannes	1.167
Exc.mus D.	Baraniak Antonius	1.116
Beat. D.	Saigh Maximus IV	1.112
Exc.mi DD.	Bukatko Gabriel	1.101
	Parecattil Ioseph	1.096
	Edelby Neophytus	1.036
	Minisci Theodorus [1]	1.010
	Da Silveira Emmanuel	1.009
	Bučko Ioannes	896
	Sapelak Andreas	837

[1] Huic suffectus est P. D. Kavukatt Matthaeus, qui habebat suffragia 724 (cf. congr. gen. V, p. 343).

		Suffragia
Em.mus card.	Quiroga y Palacios	818
Exc.mi DD.	Thangalathil Gregorius	810
	McEntegart Ioseph	754
	Jansen Martinus	753
		Sunt sexdecim

Commissio de Disciplina Cleri et Populi Christiani

Exc.mi Viri	Mazerat Henricus	1.493
	Bengsch Alfredus	1.368
	Janssen Henricus Maria	1.315
	Raspanti Michaël	1.240
	Lommel Leo	1.174
Em.mus card.	Ritter Ioseph Elmer	1.165
Exc.mi Viri	Pocock Philippus Franciscus	1.160
	Shehan Laurentius	1.135
	Baccino Aloisius	1.129
	Van Zuylen Gulielmus	1.107
	Perini Norbertus	1.076
	Nicodemo Henricus	1.066
	Rossi Agnellus	1.045
	Enrique y Tarancón Vincentius	929
	Marty Franciscus	869
	Trindade Salgueiro Emmanuel	851
		Sunt sexdecim

Commissio de Missionibus

Exc.mus D.	Zoa Ioannes Baptista	1.403
Em.mus card.	Rugambwa Laureanus	1.347
Exc.mi DD.	Riobé Vitus	1.229
	Sheen Fulton	1.216
	Signora Aurelius	1.110
	Escalante Alfonsus	1.062
Em.mus card.	Tien Chen Sin Thomas	1.042
Exc.mi DD.	Perrin Mauritius	954
	Ungarelli Alfonsus	930
	Pollio Caietanus	871
	Rossell y Arellano Marianus	860
	Sison Ioannes	801
	Kerketta Pius	784

		Suffragia
	Lecuona Ioseph	766
	Perez Lucianus	744
	Sevrin Ansgarius	706
		Sunt sexdecim

Commissio de fidelium apostolatu;
de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis

Exc.mi DD.	Hengsbach Franciscus	1.849
	Ménager Iacobus	1.530
	Gutierrez Granier Ioseph	1.509
Em.mus card.	Wyszyński Stephanus [1]	1.455
Exc.mi DD.	Herrera y Oria Angelus	1.362
	László Stephanus	1.246
	Colli Evasius	1.223
	Cousins Villelmus	1.169
	Petit Ioannes	956
	O'Connor Martinus Ioseph	890
	Larraín Errázuriz Emmanuel	871
	De Vet Gerardus	866
	De Araújo Sales Eugenius	832
	Blomjous Ioseph	810
	Yü Pin Paulus	783
Em.mus card.	Silva Henriquez Radulfus	780
		Sexdecim sunt

Postremo legitur elenchus sodalium commissionis *De sacra Liturgia,* quibus accedunt etiam sodales electi a Summo Pontifice, ita ut haec commissio suos incipere possit labores.

Commissio de Sacra Liturgia

Exc.mi DD.	Zauner Franciscus	2.231
	Rossi Carolus	1.954
	Calewaert Carolus	1.919
	Jenny Henricus	1.792
	Spülbeck Otto	1.553
	Grimshaw Franciscus	1.515

---

[1] Huic suffectus est P. D. Morris Thomas, qui habebat suffragia 672 (cf. congr. gen. V, p. 343).

		Suffragia
	Hallinan Paulus	1.347
	Van Bekkum Villelmus	1.338
	Malula Ioseph	1.083
Em.mus card.	Lercaro Iacobus	1.082
Exc.mi DD.	Pichler Alfredus	1.023
	Rau Henricus	1.018
	Jop Franciscus	872
	Enciso Viana Jesús	835
	Martin Iosephus Albertus, ep. Nicoletanus	804
	D'Amato Caesarius	795

Sunt sexdecim

Quibus Summus Pontifex sodales dignatus est aggregare, qui sequuntur:

Em.mus card.	Giobbe Paulus
Em.mus card.	Jullien Andreas
Em.mus card.	Albareda Anselmus
Exc.mi DD.	Bekkers Villelmus
	Fey Bernardus
	Masnou Boixeda Raymundus
Rev.mi PP.	Schweiger Petrus
	Prou Ioannes

Sunt in summa viginti quatuor

DISCEPTATIO

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Audiant omnes! Placuit Patribus consilii praesidentiae, cum approbatione augusta Summi Pontificis, proponere Patribus nuntium ad universos homines mittendum. Nuntium nunc elata voce lego. Deinde relinquitur Patribus, ad cogitandum, meditandum, orandum, quarta horae pars. Si quis aliquid habeat dicendum, potest petere verbum a consilio praesidentiae. Quod nisi fiat, proceditur ad suffragationem per erectionem personae.

1 – NUNTIUS AD UNIVERSOS HOMINES MITTENDUS

(Textus Patribus cum approbatione Summi Pontificis propositus)

PATRES S. CONCILII AD UNIVERSOS HOMINES

Ad omnes homines ac nationes nuntium perplacet mittere salutis, amoris et pacis quae a Christo Iesu, Filio Dei vivi, mundo allata sunt et Ecclesiae commissa.

Hac de causa enim beatissimi Ioannis Papae XXIII iussu congregati, huc nos, Apostolorum successores, convenimus, unum apostolicum corpus efformantes cuius caput est Petri successor.

Illucescat facies Christi Iesu

Quo in conventu, Spiritu Sancto duce, quaerere volumus quomodo nosmetipsos renovemus oporteat, ut Evangelio Christi magis ac magis fideles inveniamur. Integram ac puram Dei veritatem huius aetatis hominibus sic proferre studebimus ut eam ipsi intellegant eique libenter assentiant.

Pastores cum simus, eorum omnium indigentiae satisfieri cupimus, qui Deum quaerunt, « si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum » (*Acta,* XVII, 27).

Ideo Christi voluntati oboedientes, qui semetipsum morti tradidit « ut exhiberet ipse sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam..., sed ut sit sancta et immaculata » (*Eph.,* V, 27), omnes vires cogitationesque impendimus in nosmetipsos, Praesules, necnon in greges nobis cre-

ditos ita renovandos ut gentibus appareat amabilis facies Iesu Christi, qui in cordibus nostris illucescit « ad illuminationem claritatis Dei » (*II Cor.*, IV, 6).

Sic Deus dilexit mundum

Credimus Patrem sic mundum dilexisse ut ad eum salvandum Filium suum daret; qui quidem per eundem Filium suum nos a servitute peccati liberavit, « omnia per eum reconcilians in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius » (*Col.*, I, 20), ita ut « filii Dei nominemur et simus ». Spiritus insuper nobis a Patre datur ut vitam Dei viventes, Deum et fratres diligamus, qui omnes unum in Christo sumus.

Tantum vero abest ut Christo adhaerentes a terrenis officiis et laboribus avertamur, ut fides e contra, spes et caritas Christi nos impellant ad inserviendum fratribus nostris, hoc modo ad exemplum Divini Magistri conformatos, qui « non venit ministrari sed ministrare » (*Matth.*, XX, 28). Ideo et Ecclesia non ad dominandum nata est sed ad serviendum. « Ipse pro nobis animam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere » (*I Ioan.*, III, 16).

Proinde, cum ex Concilii laboribus fore speremus ut lux fidei clarior et vividior splendeat, spiritualem expectamus renovationem, ex qua etiam felix procedat impulsus quo proficiant humana bona, scilicet scientiae inventa, artis technicae progressus eruditionisque latior diffusio.

Caritas Christi urget nos

Ex omni natione quae sub caelo est adunati, omnium populorum nobis creditorum in cordibus nostris gerimus aerumnas, corporis et animae angustias, dolores, desideria, spem. Ad omnes anxietates, quibus hodie homines punguntur, instanter animum intendimus. Convolet imprimis igitur sollicitudo nostra ad humiliores, pauperiores debilioresque; Christum sequentes, misereamur super turbam fame, miseria, ignorantia laborantem; constanter in eos respicientes qui, deficiente auxilio opportuno, nondum ad vivendi rationem homine dignam pervenerunt.

Quapropter in labore obeundo nostro magni facimus quaecumque ad dignitatem hominis spectant, quaecumque conferunt ad veram populorum communitatem. « Caritas Christi urget nos » (*II Cor.*, V, 14); nam « qui viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? » (*I Ioan.*, III, 17).

Duae quaestiones maioris momenti nobis proponuntur

Summus Pontifex Ioannes XXIII in radiophonico nuntio die 11 septembris 1962 dato, duo praesertim inculcavit.

Imprimis, quae ad pacem inter populos spectant. Bellum nemo est qui non odio habeat, nemo qui ardenti desiderio ad pacem non tendat. Sed maxime omnium id Ecclesia exoptat, quippe quae mater sit omnium. Ipsa suum pacis amorem, Romanorum Pontificum voce, palam declarare numquam destitit, necnon et suam voluntatem pacis, parata semper cuilibet sincero conatui toto corde adiutricem praestare operam. Eadem ad coniungendos populos viribus omnibus tendit, et ad mutuam inter eos procurandam rerum animorumque aestimationem. Iste conventus noster Conciliaris, mirabilis ob suam stirpium, nationum, linguarum diversitatem, nonne communitatem testatur fraterni amoris, ipsiusque veluti signum fulget visibile? Homines universos profitemur fratres esse, cuiuscumque stirpis sunt vel nationis.

Praeterea Summus Pontifex urget socialem iustitiam. Doctrina per litteras encyclicas *Mater et Magistra* exposita, manifesto ostendit Ecclesiam hodierno mundo quam maxime esse necessariam, ad iniustitias denuntiandas indignasque inaequalitates, ad verum rerum bonorumque ordinem restaurandum, ita ut, secundum Evangelii principia, hominis vita humanior fiat.

Virtus Spiritus Sancti

Nobis profecto sive opes humanae sive potentia terrestris desunt; fiduciam autem in virtute Spiritus Dei collocamus, a Domino Iesu Christo Ecclesiae promissi. Ideo non fratres nostros tantum, quibus ut pastores inservimus, sed etiam fratres omnes in Christum credentes, et reliquos homines bonae voluntatis quos « Deus vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*I Tim.*, II, 4), humiliter et ardenter vocamus ut ad rectiorem magisque fraternam civitatem in ipso mundo aedificandam omnes una nobiscum adlaborent. Eiusmodi enim est divinum consilium ut per caritatem iam quodammodo regnum Dei in terris elucescat quasi aeterni regni Dei adumbratio.

Luceat, obsecramus, in medio mundi huius, qui procul ab optata pace semper abest ob minas ex ipso scientiarum progressu ortas mirabili sane, sed nondum superiori moralitatis legi subiecto, luceat lumen magnae spei in Iesum Christum unicum Salvatorem nostrum.

2 – SECRETARII GENERALIS MONITI TRANSLATIONES IN LINGUAS VERNACULAS

Versio hispanica

(P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

Se ha leído el mensaje propuesto por el Consejo de la Presidencia para todos los hombres, para todo el universo. Se ruega a los Padres Conciliares que reflexionen sobre él, mediten y ruegen a Dios Nuestro Señor. A este fin se les concede un cuarto de hora de tiempo para que así lo hagan. Si alguno deseare tomar la palabra y hacer uso de ella sobre el mensaje, habrá de pedirla de la Presidencia. Si nadie hubiere que se oponga a la publicación y proclamación de este mensaje, se procederá, después de un cuarto de hora, a la votación correspondiente, votación que se hará levantándose, poniéndose en pié para que de esta manera fácilmente se pueda hacer el recuento de votos.

Versio gallica

(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Avec l'approbation du Souverain Pontife, le Conseil de la Présidence a proposé aux Pères du Concile le texte d'un message destiné à tous les hommes. Lecture a été donnée de ce message. Maintenant, les Pères disposent d'un quart d'heure pour l'étudier, le méditer. Si, au terme de ce temps de réflexion, l'un ou l'autre des Pères tenait à faire une remarque au sujet de ce message, il pourrait demander la parole au Conseil de la Présidence; sinon, il est prévu que le vote sur ce message aurait lieu par « assis » et « levé ».

Versio anglica

(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention please! You have just heard read a message proposed to be sent to all the peoples of the world by the Fathers of the Council. This message has the approval of His Holiness. The copies of that message are now being distributed to you. You will be allotted a period of about fifteen minutes to read, study, meditate upon the message. At the termination of that period, if you please, if you wish, you may request an opportunity to make any additions, suggestions or corrections simply by requesting a voice from the chair. If there are none, or if there are some, following the comments there will be a voting to approve or disapprove the message. And the votes will be signified not just by the raising of the hand, but by actually standing up in your places, to signify the approval. Thank you.

Versio germanica
(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Der soeben in Lateinischer Sprache gelesene Tekst ist gedacht als Botschaft der Konzilsväter an die ganze Welt. Die Väter werden gebeten in der jetzt folgenden Pause von einer Viertelstunde diesen Tekst in Ruhe zu überdenken. Wer dazu sprechen möchte, möge das dem Präsidium melden. Die Abgabe des Votums erfolgt sodann durch Aufstehen.

Versio arabica
(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

استحسن مجلس رئاسة المجمع المسكوني بموافقة قداسة الحبر الاعظم ان يبحث آباء المجمع برسالة مجمعيّة الى الناس باجمعهم .

قرئت هذه الرسالة بنصّها اللّاتيني ويعطى الآن الآباء ربع ساعة للتأمل والتفكير فيها ، ثم تقدم الاعتراضات اذا كان هناك اعتراضات عليها ، ثم يتمّ الاقتراع بالوقوف .

3 – PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Mihi valde utile, valde consentaneum hoc nuntium mittere videtur. Unam tantum rem propono, quae a quibusdam forsitan minoris momenti esse videri potest; sed mihi placet eam proponere.

Agitur de postrema periodo huius nuntii: « Luceat, obsecramus, in medio mundi huius, qui procul ab optata pace semper abest... »: hoc verbum *semper* mihi non placet. Mundus non semper abest ab optata pace, vel saltem optamus ut non semper absit. Qui hoc scripsit, fortasse scribere volebat « adhuc abest..., adhuc abest ab optata pace ». Propono igitur ut loco verbi semper, *adhuc* proponatur.

Haec habebam quae vobis proponerem.

2

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Videtur mihi perutile et officio nostro paterno maxime conveniens vocem iucunditatis mittere ad familias christianas, in quibus Christus incarnatur et vivit ope sacramenti matrimonii, ad familias in quibus nunc oratio fit pro Ecclesia congregata in Basilica Sancti Petri, ad familias quae sunt vera cenacula spiritus christiani, quae exspectant consolationem nostram. Dixi.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FERRETTO
Episcopus Sabinensis et Mandelensis

Quoad paragraphum, in qua agitur de caritate Christi urget nos: humillime animadvertere auderem quod nihil dicitur eorum qui persecutionem pro Christo patiuntur [*plausus*] et sunt, proh dolor!, permulti. Forsan illis displicere posset quod prima vox quae ex Patribus Conciliaribus extollitur, eorum oblivisci omnino videatur. [*Plausus*].

4

EM.MUS P. D. HAMLETUS I. CARD. CICOGNANI
Episcopus Tusculanus

In postrema paragrapho, duae ultimae lineae habent expressionem quae videtur nimis severa erga progressum. Vellem mutare duas postremas lineas hoc modo: loco « sed nondum superiori moralitatis legi subiecto, etc. », velim dicere, relate ad progressum: « sed non semper superiori moralitatis legi intento », ne videatur condemnare aliquo modo progressus. Repeto: « sed non semper superiori moralitatis legi intento... ». Dixi.

5

EXC.MUS P. D. PETRUS FIORDELLI
Episcopus Pratensis

Maxime laudo quod nuntium nomine totius Oecumenici Concilii ad omnes homines mittatur. Ardenter tamen oro, etiam ego sicut

eminentissimus..., Concilii Patres ut, verbis quam maxime fraternis et caritate plenis erga civiles auctoritates, tamen exemplum secuti Summi Pontificis in sua ad nos allocutione, salutationem nostram maximae dilectionis mittamus confratribus episcopis, sacerdotibus et laicis christianis in vinculis propter Christum et Ecclesiam, et eorum libertatem nomine Dei quaeramus.

6

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Iucunditate expressa pro nuntio ad universos homines, nunc ad Patrem nos debemus oculos elevare. Sicut in familia filii patris absentiam exspectant ad festum eius praeparandum, ita nos, hic congregati in domo Patris communis, nuntium affectus et amoris ad Suam venerabilem Personam cupimus mittere.

Unde, Patres omnes, si hoc desiderant, ad Summum Pontificem Ioannem, gloriose regnantem, Papam XXIII, unionem nostram ad eum pandamus, affectionem exprimamus, per sua nuntia praeclarissima admirationem nostram exclamamus, et ad Deum ferventes orationes effundamus; quod nuntium per em.mum cardinalem a Secretis Status in manibus ponimus, et cupiamus ut ipse em.mus cardinalis a Secretis Status affectionem nostram ad Patrem nostrum portet.

7

EXC.MUS P. D. CAROLUS FERRERO DI CAVALLERLEONE
Episcopus tit. Trapezuntinus

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Perpauca verba facio. Schema nuntii optimum, solemne, probabiliter efficax. Sed postulo ut in nuntio habeatur, sonet, eluceat etiam nomen Mariae, Matris nostrae. Quia, si nuntium est ad universum mundum, ad universas gentes, debemus recogitare quod primum nuntium salutis, caritatis, fuit nuntium Dei post peccatum Adae; in illo nuntio aderat figura, non adhuc nomen, sed iam imago Matris nostrae, Reginae mundi. Ergo propono ut adiungatur: « Nobis profecto sive opes humanae sive potentia terrestris desunt; fiduciam autem in virtute Spiritus Dei collocamus, a Domino Iesu Christo Ecclesiae promissi, *et in protectione materna Beatissimae Virginis quae universos homines tamquam Mater amat* ».

8

Exc.mus P. D. IOANNES HEENAN
Archiepiscopus Liverpolitanus

Credo quod non est adhuc tempus mittendi nuntium ad universos homines, et triste mihi videretur quod primum nuntium esset ita vagum et longum. Certum est quod ephemerides quasi nihil de hoc nuntio publicabunt. Puto quod esset melius exspectare paulisper usque dum, post discussiones, aliquid habeamus veri momenti dicere ad universos homines, quod tunc attentionem mundi capere posset. Etenim, mundus exspectat a nobis verbulum aliquod compassionis et spei, ad confortandas animas quae plenae sunt anxietate propter timorem belli nuclearis; et aliquid debemus dicere in nomine eorum Patrum qui non adsunt nobiscum, propter persecutionem, et verbum compassionis ad populos christianos qui sub communismo subduntur; et ad eos etiam debemus mittere verbum ad solamen animarum.

9

Exc.mus P. D. HENRICUS COMPAGNONE
Episcopus Anagninus

Nuntius, cuius schema nobis datum est, est quaedam declaratio sive nostri animi, sive scilicet animi quo intendimus laborare, sive eorum quae intendimus agere et quae agimus in Concilio; et propterea omnia dicuntur in modo indicativo: volumus, cupimus, etc.

Iamvero, in secunda pagina, in fine secundae paginae, habetur quaedam exceptio, et nuntius potius fit exhortatio nobis facta. Dicitur: « Convolet imprimis igitur sollicitudo nostra... », et etiam: « Christum sequentes, misereamur super turbam... ». Mihi videtur logice nos debere dicere hic: « Convolat imprimis igitur sollicitudo nostra ad humiliores... », et etiam postea: « Christum sequentes, miseremur super turbam fame, miseria, ignorantia laborantem... ». Haec est prima observatio.

Altera respicit finem istius nuntii, tertiam lineam incipiendo ab ultima. Dicitur ita: « optata pace semper abest... » vel « adhuc abest ob minas ex ipso scientiarum progressu ortas... ». Mihi videtur, secundum etiam quod dixit Eminentissimus qui locutus est antea, nos non debere condemnare ipsum progressum scientiarum, sed malum usum,

et malum animum quo progressu scientiarum utimur, vel utuntur homines. Propterea ibi bonum esset dicere: « ob minas ex malo usu scientiarum progressu ortas, etc. ... ». Dixi.

10

Exc.mus P. D. DIONYSIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Quamvis nuntium mihi valde placet et pulcherrimum omnino videtur, aliquam animadversionem habeo faciendam relate ad verba illa: « Hac de causa enim beatissimi Ioannis Papae XXIII iussu congregati, huc nos, Apostolorum successores, convenimus, unum apostolicum corpus efformantes cuius caput est Petri successor ».

Cum nuntium ad omnes homines dirigitur, etiam ad illos qui fidem in Christo non habent, et qui fratres separati christiani sunt, credo verba illa, quamvis in se vera, et quamvis cordibus catholicis placent, necessaria non esse, cum potius ad offensionem causandam quam ad benevolentiam captandam ordinantur, relate praesertim ad fratres separatos. Exemplum sequamur Summi Pontificis, qui, audientiam concedendo observatoribus, in throno pontificio sedere noluit. Dixi.

11

Exc.mus P. D. IOANNES PERUZZO
Episcopus Agrigentinus

Venerabiles Patres,

Vobis veniam peto; parcite audaciae meae! De nuntio, omnia bona dicenda. At nullo modo Maria Sanctissima nominatur! Si Mater Dei, quae praefuit Apostolis, non est cum nobis, quis nos salvabit?

Rogo vos ut saltem nuntius hoc modo finiatur: « intercedente Beatissima Virgine Maria et etiam omnibus Sanctis ». Nihil aliud addo.

12

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Veniam peto si audeo loqui. Attamen quaedam quae volui dicere iam dicta sunt, praesertim ab exc. Compagnone, relate ad expressiones quae habentur in folio secundo; et denique pariter quae dicta sunt ab em. card. Ferretto, et ab aliis, circa Ecclesiam silentii.

Sed unum tantum auderem dicere. Iste primus nuntius est ad omnes homines, et proinde certissime debet esse nuntium laetitiae et gaudii; sed, humili modo dico, videtur quod, potius quam in prima parte nuntius ad fideles, sit exhortatio ad episcopos. Proinde, quamvis substantia utique optima est, puto quod forma possit aliter poni, ita ut, praemissis et iam notis veritatibus fidei, haec et haec invitationes fiant ad fideles. Et ultimus forsan magis quoad fideles proponendum esset, revocanda essent aliqua suprema principia quo utique etiam in fine Concilii fieri possunt, exempli gratia quod omnes homines (dicitur utique, sed forsan non tam clare vel tam breviter), omnes homines sunt filii Dei et proinde ad illos omnes complectimur amore fraterno et proinde quoad fidem item quoad eorum conditiones, quia (iam dicitur substantialiter utique), quia volumus omnes eorum necessitates, etc., considerari quatenus possumus.

Et ultimus utique, optima propositio quae etiam Beatissima Virgo Maria nominetur. Dixi.

Praeses card. Liénart: Peto quod iam dictum est, non repetatur.

13

Exc.mus P. D. PETRUS PARENTE
Episcopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

Em.mi et exc.mi Patres,

Nuntius propositus pergratus est ratione caritatis, fervoris quo flagrat. At, in eo audiendo, animus percellitur quod thema doctrinale quasi reticeatur. Hoc autem mihi dolendum et reparandum videtur:

1) quia fides est initium salutis ac ipsius spei et caritatis fundamentum;

2) quia multi errores ac falsae opiniones in mundo hodierno

quoquo versus serpunt, sub specie veritatis novae, atque perversio morum ac totius ordinis domestici, socialis et internationalis a subversione sanorum principiorum evidenter dependet;

3) mos semper fuit omnium Conciliorum imprimis agere de doctrina fidei, consequenter de vita ac disciplina Ecclesiae et totius humani consortii.

Humiliter igitur audeo petere ut in nuntio imprimis inseratur mentio de doctrina seu de veritate catholica, proposita tanquam medela efficacissima malorum hodiernae societatis. Dixi.

14

EXC.MUS P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia
Superior generalis Congregationis S. Spiritus

Venerabiles Fratres,

Mihi videtur quod imprimis tempus ad hunc nuntium studendum et approbandum est magis breve, non satis longum, quia est maximi momenti.

Deinde mihi videtur, humili meo sensu, quod respicit praesertim bona humana; orientatio generalis nuntii respicit praesertim bona humana, temporalia, non satis bona aeterna et spiritualia; respicit praesertim bonum civitatis terrenae, et non satis civitatem caelestem ad quam tendimus et pro qua in terris sumus. Etsi homines desiderant a nobis, per nostras virtutes christianas, ameliorationem conditionum temporalium, quantum desiderant iam in terris bona spiritualia et supernaturalia! Posset, mihi videtur, de his bonis magis loqui, quia sunt vera, essentialia et aeterna bona, de quibus iam frui possumus et debemus in terris. In his principaliter adest essentia pacis et beatitudinis. Dixi.

15

EXC.MUS P. D. ALFONSUS TORIZ COBIÁN

Episcopus Queretarensis

Propositio mea, et rationes quibus nititur, iam expositae sunt ab aliis Patribus. Ideoque, obsequens animadversioni exc.mi ac rev.mi D.ni Parente, renuntio ad verbum. Dixi.

16

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT
Episcopus Inongoënsis

Rev.mi Patres,

Quando loquitur de quaestionibus maioribus, an non deberemus addere aliquid de scopo quod etiam et revera speciatim intendimus in renovatione Ecclesiae, ut promoveamus et praeparemus unitatem Ecclesiarum, quae esset maxima contributio paci mundo? Dixi.

17

EXC.MUS P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Em.mi et rev.mi Patres Conciliares,

Idea nuntii ad omnes gentes et populos videtur optima, et in nuntio proposito, in schemate proposito, puto quod esset necessarium, ex una parte plus evolvere doctrinam catholicam iustitiae socialis, quia permultae perturbationes sociales et politicae hodie ortae sunt ex iniustitia sociali existenti in multis partibus universi.

Quoad Ecclesiam in persecutione, ad iam optime dicta placeret mihi addere mentionem claram, omnino claram, pro Ecclesia silentii, et forsitan exprimere illam ideam his verbis: « Hoc momento solemni Concilii iungimur corde et anima cum tota Ecclesia silentii, ubi Episcopi, sacerdotes et fideles sacrificium suum quotidianum offerunt Christo Salvatori pro Ecclesia et mundi salute, rogantes Christum Dominum ut abbreviet tempus eorum probationis ». Dixi.

18

EXC.MUS P. D. IOSEPH DE IESU ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

Optima cogitatio mittendi nuntium ad universum mundum, et etiam valde bona dicta sunt, sed videtur quod non sufficienter attenditur ad mentem Summi Pontificis, ad vocationem omnium praecipue illorum qui fidem Christi profitentur, quamvis extra sinum Ecclesiae inveniantur.

Postea, quoad redactionem, iam ad hoc attendendo, aliquis rev.mus

Pater dixit, quoad hanc clausulam « unum apostolicum corpus efformantes cuius caput est Petri successor ». Ego nollem quod hoc auferretur, sed compleretur: « cuius caput visibile est Petri successor, Iesu Christi capitis Ecclesiae in terris Vicarius ». Nam secus videretur quod separabamur ab illis qui extra Ecclesiam sunt, non tantum visibiliter, sed quod illi nullatenus haberent aliquam communicationem cum corpore apostolico neque invisibiliter per gratiam.

Etiam, in secundo folio, in fine paragraphi « Sic Deus dilexit mundum », dicit: « Proinde, cum ex Concilii laboribus fore speremus ut lux fidei clarior et vividior splendeat, spiritualem expectamus renovationem, ex qua etiam felix procedat impulsus quo proficiant bona humana, scilicet scientiae inventa, artis technicae progressus eruditionisque latior diffusio »: videretur quod faciamus aliquam promissionem quam non possumus proprie adimplere, nempe quod ex Concilio provenient haec omnia bona. Mundus non hoc expectat a nobis, sed ut Concilium possit ducere homines ad recte cogitandum, spiritualiter et moraliter, ut bene utantur his omnibus inventis. Dixi.

19

Exc.mus P. D. IOSEPH MALULA

Episcopus Attanasensis, aux. Leopoldpolitanus

Aliqua animadversio generalis circa illum nuntium. Ille nuntius est ad omnes homines universi orbis, sed mihi videtur quod debemus aliquam attentionem specialem habere pro christianis qui iam sunt in Ecclesia Dei; nam est nuntius pacis, et secundum voluntatem Christi, christiani sunt testes Christi, et in illo opere Redemptionis, pacificationis et renovationis mundi, christiani laici habent responsabilitatem specialem.

Proinde, mihi videtur quod debemus in illo nuntio clare et distincte indicare responsabilitatem christianorum in opere renovationis mundi. Dixi.

20

Exc.mus P. D. ANDREAS HAMVAS

Episcopus Csanadiensis

Em.mi ac rev.mi Domini Patres Conciliares,

Nexu propositionis quoad persecutos factae, liceat mihi commendare ne de persecutionibus ulla mentio fiat, quia accusando de persecutione

quamcumque rempublicam, eandem irritaremus, et timeo ne huiusmodi protestatio in detrimentum Ecclesiae ibidem vertatur. Procedendum est magis cum patientia, et signa nobis certa iam meliorationis se monstrant. Dixi.

21

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ
Episcopus Ambatensis

Em.mi ac exc.mi Domini,

Nuntium nobis pro approbatione propositum sine ampliore mutatione vel additione approbari debere censeo. Etenim, ex una parte, nuntius a viris vere peritis fuit confectus, ex alia parte, forsitan quamdam approbationem Summi Pontificis iam habet. Hac de causa, cum agatur solummodo non de quadam declaratione, sed de nuntio seu salutatione omnibus hominibus, proponere auderem ut, habita tantum consideratione quae ad verba sese referunt, absque ampliori discussione nuntius approbetur. Dixi.

22

EXC.MUS P. D. IOSEPH MAALOUF
Episcopus Heliopolitanus Melchitarum

Em.mes et ill.mes Seigneurs, Excellences rév.mes, rév.mes Pères,

Je m'excuse de ne pas pouvoir parler en latin, langue que je ne connais pas suffisamment, ni en arabe que la plupart ne connaissent pas.

L'idée d'envoyer un message est excellente. Elle répond à un besoin, les peuples s'y attendent peut-être; et le texte peut être excellent, fait par des spécialistes éminents. Mais nous demander l'approbation ou la désapprobation en un quart d'heure semble trop rapide, d'autant plus qu'il y en a comme moi peut-être qui ne connaissent pas suffisamment le latin.

On pourrait peut-être attendre jusqu'à demain pour que toutes ces remarques qui ont été faites jusqu'à maintenant (peut-être perte de temps), se fassent par écrit et soient remises, ces remarques, au Secrétariat.

Son Excellence veut bien traduire ce que je viens de dire.

Versio latina

Habeant me excusatum quia latine satis bene loqui nescio.

Placet nuntii finis, necnon et textus, et ab hominibus exspectatur. Tamen, mihi placeret longius tempus meditandi causa.

23

EXC.MUS P. D. EMMANUEL PEREIRA DA COSTA
Episcopus Campinensis Grandis

Circa animadversionem factam de quaestionibus doctrinalibus praemittendis, mihi videtur non esse mentem nuntii declarationem explicite doctrinalem. Et in prima pagina, sub titulo « Illucescat facies Iesu Christi », in linea quarta, videtur iam habere sufficientia verba ad illum intentum, scilicet aliquid de doctrina praemittendum. Verba sunt haec: « Integram ac puram Dei veritatem huius aetatis hominibus sic proferre studebimus ut eam ipsi intellegant eique libenter assentiant ». Si integre et pure studebimus proferre veritatem Dei, iam videtur esse sufficiens in nuntio, quia est generalis ad omnes homines. Dixi.

24

EXC.MUS P. D. BLASIUS D'AGOSTINO
Episcopus Vallensis in Lucania

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Perpulchrum et valde opportunum mihi videtur hoc nuntium ad universos homines referre. Hic nuntius testimonium est sollicitudinis pastoralis, non tantum pro fidelibus nobis commissis, sed pro omnibus hominibus pro quorum salute Christus mortuus est.

Humiliter postulo quod in nuntio explicita mentio de nostris sacerdotibus fiat, et fervens exhortatio ad eos dirigatur, eos exhortando ut simul cum nobis magis ac magis Evangelio Christi inveniantur. Dixi.

25

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL
Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Unum tantum dico verbum, scilicet de loco in quo melius ponerentur verba de Beata Maria Virgine atque de formula adhibenda. Cum

enim secundum Spiritum Pentecostes convenimus, mihi videretur melius ut verba de Beata Virgine pagina prima, in secunda paragrapho, linea secunda ponerentur, et quidem hoc modo: « ... congregati, huc nos, Apostolorum successores, unanimiter cum Maria Matre Iesu orantes, convenimus, unum apostolicum corpus efformantes, etc. ».

26

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHROEFFER

Episcopus Eystettensis

Duas habeo animadversiones: primo, non omnino liquet, uti mihi videtur, quisnam loquatur in hoc nuntio: utrum Patres Concilii soli, vel Concilium totum una cum Summo Pontifice? Videtur primum, quia aliquoties documenta pontificia allegantur, v. g. pag. 3: « Summus Pontifex Ioannes... haec inculcavit », et alia vice in hac pagina.

Sed mirum fortasse videbitur mundo: cur Patres Concilii soli loquantur, cur Concilium se contradistinguat ad Romanum Pontificem? Videtur hunc nuntium esse tanti momenti ut haec res omnino clara fiat. Si Patres Concilii soli loqui intendunt sine Romano Pontifice, tunc faciliter mutatio fieri posset in pag. 3: « Cum Summo Pontifice, capite Ecclesiae, duo praesertim nobis cordi sunt... ». Res est aliquomodo mira si nos sine Pontifice talem nuntium damus, si nos soli.

Secunda observatio iam dicta est: pag. 2, ultima alinea: « Expectamus renovationem spiritualem, ex qua felix procedat impulsus quo proficiant humana bona, v. g. artis technicae progressus »: haec expressio ambigua esse videtur. Potest fortasse significare nos expectare progressum ipsum artis technicae ex hoc Concilio; sed haec res non est nostra. Sed, mihi videtur rem esse aliter intelligendam, nempe: speramus ex hac spirituali renovatione progressus etiam materiales in bonum evasuros esse. Quae aliqua mutatio parva sufficeret ut hic sensus exprimatur. Dixi.

27

Exc.mus P. D. IOSEPH CARRARO

Episcopus Veronensis

Pulcherrimus mihi videtur et peropportunus hic nuntius, et probabiliter valde optatus tum a nostris fidelibus tum ab aliis fratribus totius mundi.

Duo tamen optarem ut magis explicite dicerentur:

1) Nos sumus collecti in Concilium in servitium quidem pacis, iustitiae et caritatis, sed imprimis in servitium veritatis, cum Concilium sit supremum exercitium sacri Magisterii. Vellem igitur ut magis declaretur nostrum mandatum, divinitus commissum, de veritate nuntianda toti mundo.

2) In folio 2, ubi agitur de spirituali renovatione, optarem ut prius explicite nominetur etiam purificatio et reformatio morum qui hodie, et forsitan ubique, sunt valde depressi. Dixi.

28

EXC.MUS P. D. IULIUS KANDELA

Archiepiscopus tit. Seleuciensis pierius, aux. patr. Antiochenus Syrorum

Em.mi et exc.mi Patres,

Humiliter censeo, in folium 3, linea 12, sequentia verba videntur esse addenda: « Ipsa suum pacis amorem, Romanorum Pontificum voce *ac ore omnium Episcoporum Sanctae Ecclesiae occidentalis et orientalis,* palam declarare numquam destitit ». Dixi.

29

EXC.MUS P. D. ELIAS ZOGHBI

Archiepiscopus tit. Nubiensis,
vic. patr. Melchitarum pro Aegypto et Sudan

Beatitudines, em.mi, exc.mi Patres,

Habeo pauca verba addenda.

1) Pag. 3, par. 3: sermo est de nuntio per Ecclesiam, matrem omnium, quae numquam destitit palam declarare suum pacis amorem, Romanorum Pontificum voce: sed etiam semper audiebatur etiam vox episcoporum. Ideo propono ut addatur: « Romanorum Pontificum et omnium episcoporum voce ».

2) Quia de Ecclesia in genere agatur, et non de sola Ecclesia Catholica, non debemus excludere vocem episcoporum non catholicorum. Etiam ex hoc titulo additamentum supra propositum magis iustificatur. Dixi.

30

Exc.mus P. D. ALOISIUS LA RAVOIRE MORROW
Episcopus Krishnagarensis

Em.mi et rev.mi Patres,

1) Nuntium nostrum est, et debet esse, salutationis nuntium. Postea, erga finem Concilii, doctrinas et alia dabimus.

2) Si nuntium nostrum salutationis est, debet esse breve.

3) Hoc salutationis nuntium pro universis hominibus est, non pro nostris fidelibus. Non-christiani « nomine Iesu Christi, Spiritus Sancti, Mariae Virginis » non intelligunt eorum significationem. Ergo omittantur. Post salutationem nostram, amoris plenam erga omnes universos homines, nuntium procedat ad pag. 3, de duabus quaestionibus maioris momenti, sed in forma breviori, pro nuntio nostro. Dixi.

31

Beat. P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérés Confrères,

Excusez-moi de dire ces deux mots en français.

Il s'agit ici d'un message. Or un message n'est pas un traité de théologie ou de spiritualité; ce n'est pas une encyclique. C'est un message. Il doit être court, et le message tel quel est excellent, et je propose de l'admettre tel quel. Et je prie les Vénérés Directeurs de cette vénérable Assemblée de mettre un terme à cette joute qui pourrait durer jusqu'à demain.

Si j'ai quelque chose à dire, c'est de porter une motion à Sa Sainteté le Pape pour le remercier de cet esprit nouveau qu'il a semé dans l'Eglise catholique, l'esprit d'unité, esprit de charité, esprit d'amour, qui, à la fin, peut arriver à unir les deux Eglises ensemble, et c'est la fin pour laquelle nous devons tous travailler. Dixi.

32

EXC.MUS P. D. CAROLUS FERRARI
Episcopus Monopolitanus

Rev.mi Patres,

Nuntius est nuntius, non professio fidei vel constitutio vel ipsum Concilium. Est signum nostrae caritatis erga universum mundum, et sensibilitatis erga omnes qui in angustiis sunt. Ergo humillime cogito, ita ut existit, paucis verbis mutatis, approbetur. Dixi.

33

EXC.MUS P. D. PASCHALIS VENEZIA
Episcopus Arianensis

Mihi videtur abesse in nuntio verbum gratitudinis pro rebus quae factae sunt ab omnibus pro Concilio, et praesertim pro infirmis. Deinde, si parva licet componere magnis, peto ut in nuntio addatur etiam aliquod verbum ad nostros pueros, verbum gratitudinis, salutationis, invitationis ad orationem prosequendam pro Concilio, spei illos vitam acturos in luce huius Concilii. Dixi.

34

EXC.MUS P. D. RAPHAËL RABBAN
Archiepiscopus Cherchensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Humilem observationem facio de titulo istius nuntii. Titulus sic agit: « Patres Sacrosancti Concilii ad universos homines ». Puto esse melius dicere: « Patres Sacri Concilii ad universos christianos ».

Ratio est quia una tantum tertia pars hominum cognoscit Christum Dominum et fidem christianam, dum omnes alii fere nihil intelligunt de Spiritu Sancto, de intercessione Beatae Mariae Virginis, de Ecclesia, etc.

Aliter nuntium efformandum est alio omnino modo, in quo evitandae sunt, meliori quo fieri potest modo, locutiones christianae. Dixi.

35

Exc.mus P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis

Hic nuntius est ad omnes homines et ad omnes nationes. Deberet proinde maximam diffusionem habere et facile ab omnibus legi et intelligi. Omnes, etiam non-christiani, immediate animadvertere, sentire deberent suam realitatem et sua problemata tangi per hunc nuntium.

Sub hoc aspectu, nuntius ut hic prostat videtur nimis longus ex una parte, nimis complexus ex altera parte quoad formam. Insuper tonum resonare videtur potius nuntii ad christifideles quam ad omnes homines.

Propono proinde ut textus in hoc sensu retractetur, semper manendo explicitam declarationem christianae fidei, ex qua hic nuntius patet.

36

Exc.mus P. D. GEORGIUS BÉJOT
Episcopus tit. Cassandrensis, aux. Remensis

Em.mi et rev.mi Patres,

In pag. 1, par. « Illucescat facies Christi Iesu », lin. 3, lego: « Integram ac puram Dei veritatem huius aetatis hominibus sic proferre studebimus ut eam ipsi intellegant eique libenter assentiant », propono: « Verum propositum Dei vivi huius aetatis hominibus sic annuntiare studebimus ut id ipsi accipiant ac libenter complectantur ». Dixi.

37

Exc.mus D. P. EMMANUEL TRINDADE SALGUEIRO
Archiepiscopus Eborensis

Em.mi, exc.mi Domini Patres Conciliares,

Debemus advertere ut hic est primus nuntius prolatus a Patribus Concilii. Mundus habet oculos super nos. Abhinc debet esse sobrius, sed profundus et concisus. Si aliquis episcopus in sua dioecesi deberet redigere litteram pastoralem, certe esset cautus et praecisus. Sed in hoc, videtur mihi, ut est debilis in doctrina ecclesiastica et etiam in

sensu humano. Scio ut est salutatio, sed in hac salutatione debent esse virtutes documenti episcopalis et conciliaris.

Proinde propono ut nuntius denuo redigatur, considerando: primo, ut est salutatio, et proinde debet esse brevis; et considerando etiam vocationem ad fidem, quia est nuntius ad omnes gentes, necessitatem caritatis quia Episcopus debet esse exemplar caritatis sicut Christus; tertio, non debemus oblivisci realitates humanas et virtutes sociales, imprimis iustitiam socialem, pacem et humanitatem. Dixi.

38

Exc.mus P. D. ROMANUS ARRIETA VILLALOBOS
Episcopus Pluviensis

Em.mi et exc.mi Domini,

Aestimo, cum exc.mo ac rev.mo D. Hamvas Endre, ex Hungaria, de Ecclesia silentii explicitam mentionem facere magis ad detrimentum quam ad beneficium eorum fratrum dilectorum redundare.

Res multae magni momenti ad mundum nuntiare volumus; sed impossibile est hoc in nuntio omnes continere. Proinde, ex intimo corde, omnia mihi facio quae in nuntio, cum approbatione Sanctissimi Domini, nobis proposito continentur; et meum desiderium exprimere volo, ut parvis cum emendationibus, magis ad litteram quam ad sensum referentes, a nobis approbetur. Dixi.

Praeses card. Liénart: Disceptatio finita: loquatur D. Felici, secretarius generalis Concilii de mandato praesidentiae.

Secretarius generalis: De mandato praesidis: post disceptationem, petitur a Patribus utrum schema propositum, cum mutationibus quas indicabo, placeat an non placeat.

Mutationes eiusmodi sunt:

Pag. 1: « Hac de causa enim beatissimi Ioannis Papae XXIII iussu congregati, huc nos, Apostolorum successores, *unanimiter cum Maria Matre Iesu orantes,* convenimus, unum apostolicum corpus efformantes cuius caput est Petri successor ».

Pagina ultima, ultima periodo: « Luceat, obsecramus, in medio mundi huius, qui procul ab optata pace *adhuc* abest ob minas ex ipso scientiarum progressu ortas mirabili sane, sed *non semper* (loco " nondum ") superiori moralitatis legi *intento* (loco " subiecto "), luceat lumen magnae spei in Iesum Christum unicum Salvatorem nostrum ».

Igitur mutationes sunt: in pag. 1, ubi post « Apostolorum successores » additur « *unanimiter cum Maria Matre Iesu orantes* »; et pagina ultima, ultima periodo: « ab optata pace *adhuc* abest (loco " semper ") ... sed *non semper* (loco " nondum ") superiori moralitatis legi *intento* (loco " subiecto ") ».

Iamvero, Patres quibus hoc schema ita emendatum placet, tempore quod indicabitur, surgent; alii sedentes maneant. Ut autem numeratio fiat ab assignatoribus locorum, rogantur Patres aliquantisper erecti manere.

Nunc aliis linguis hic nuntius repetitur.

Versio gallica

(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

La discussion étant terminée, les Pères vont être priés de se prononcer sur le texte du message qui leur a été remis, avec les deux amendements suivants:

— à la première page, deuxième paragraphe, l'amendement introduit après les mots « Hac de causa enim beatissimi Ioannis Papae XXIII iussu congregati, huc nos, Apostolorum successores, *unanimiter cum Maria Matre Iesu orantes,* convenimus, etc. ... »;

— et à la dernière page, dernier paragraphe, la deuxième ligne qui commence par le mot « semper abest », est amendée et commence par le mot « *adhuc* abest »; la troisième ligne, au lieu de « sed nondum superiori moralitatis legi subiecto »: « sed *non semper* superiori moralitatis legi *intento* ».

Ce sont les deux seuls amendements apportés.

Les Pères qui veulent donner leur « placet » au message ainsi amendé seront invités à se lever; les Pères qui désirent répondre « non placet » au message ainsi amendé sont priés de rester assis. On demandera aux Pères qui se lèvent pour donner leur « placet » de bien vouloir rester debout assez longtemps pour que les clercs chargés des places puissent faire le compte des « placet ».

Versio hispanica

(P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

Suficientemente discutido el mensaje propuesto por la Presidencia, se pide a los Padres si aprueban su texto con las enmiendas siguientes:

— primera página, segundo párrafo: después de las palabras « Apostolorum successores », han de añadirse las siguientes: « *unanimiter cum Maria Matre Iesu orantes,* convenimus ... »;

— y en la cuarta página, último párrafo, el párrafo que comienza « Luceat, obsecramus... », en la segunda línea, ha de sustituirse la palabra

« semper » con el adverbio « *adhuc* »; en la tercera línea, ha de sustituirse « nondum » por « *non semper* »; y en la misma tercera línea de ese último párrafo, ha de decirse « *intento* » en vez de « subiecto ».

Aquellos que aprueben el texto, con estas enmiendas, deberán ponerse en pié; queden sentados los que no lo aprueben. Para que el recuento de votos pueda ser más fácilmente hecho por los acomodadores, permanezcan algún tiempo en pié o sentados, según que aprueben o desaprueben el mensaje.

Versio anglica

(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention please! Your pleasure relative to the proposed message, together with the suggested changes and additions, will be sought at the conclusion of these announcements. The message is to stand with the exception of these changes:

The second paragraph of the first page: A change will be made to include the name of the Blessed Mother, between the words of the second line " successores " and " convenimus " there will be the addition of " *unanimiter cum Maria Matre orantes* ".

On the last page, the last paragraph, second line: Substitute " *adhuc* " for " semper "; in the third line, substitute " *non semper* " for " nondum "; in the same third line, substitute " *intento* " for " subiecto ".

The message with these changes is being proposed for your vote and your pleasure. Those who are inclined to approve will so signify by standing. In the interest of an accurate count, you are asked to remain standing long enough so that the ushers will be able to take an accurate count of those standing. Thank you.

Versio germanica

(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Nach Abschluss dieser Diskussion werden die Hochwürdigsten Patres um ihr Votum gebeten, ob der bisherige Entwurf angenommen werden soll. Und zwar mit zwei Zusätzen, auf Seite 1, Absatz 2, Zeile 2, soll nach dem Wort « successores » eingefügt werden: « *unanimiter cum Maria Matre Iesu orantes* ».

Auf der letzten Seite, letzten Absatz, Zeile 2 statt semper, *adhuc,* auf Zeile 3 nach sed statt « nondum superiori moralitatis legi subiecto » soll es heissen « sed *non semper* superiori moralitatis legi *intento* ».

Wer von den Hochwürdigsten Patres für placet stimmt, möge dies kund tun durch aufstehen, wer für non placet stimmt, bleibe sitzen. Damit die Auszählung durch die Platzanweiser leicht geschehen kann, werden die Patres, welche aufgestanden sind, gebeten, zudem die Hand zu erheben.

Versio arabica
(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

بعد هذا الجدال يطلب الى آباء المجمع ان يبدوا رأيهم في السؤال الآتي :

هل يوافقون على الرسالة المجمعية في نصّها الذي قرئ عليهم مع تعديلين فقط :

التعديل الاول بزيادة ذكر السيّدة والدة الاله في بدء الرسالة ، وتعديل طفيف في آخر الرسالة حيث تستبدل كلمة — semper — في الصفحة الاخيرة والفقرة الاخيرة السطر الثاني بكلمة — adhuc — ، وفي السطر الثالث والفقرة ذاتها تستبدل كلمة — nondum — بكلمتين — non semper — ، وكلمة — subiecto — بكلمة — intento — .

فالذين يوافقون يجب ان يقفوا ، والذين لا يوافقون يجب ان يبقوا جالسين

Secretarius generalis: Audiant omnes! Versiones huius nuntii, si approbabitur, in praecipuas linguas vernaculas dabuntur a secretaria generali. Ideo rogantur Patres ne aliae versiones, vel ab ipsis, vel ab aliis, curentur. Officiales versiones eae tantum erunt quae fient a secretaria generali, quamprimum.

Nunc, de mandato praesidis, proceditur ad suffragationem. Ii quibus placet, surgant et aliquantisper erecti maneant!

[*Post breve intervallum*]

De mandato praesidis, communico nuntium propositum cum immutationibus approbatum fuisse a Patribus, cum maioritate longe maiori quam duarum tertiarum partium, fere unanimiter. Ideo nuntius appro-

batus habetur a Patribus Concilii, non a Concilio: quemadmodum habetur in superscriptione ipsius nuntii: « Patres Concilii ad universos homines ».

Haec sessio clauditur. Nova congregatio generalis habebitur feria II proxima. Incipiet relatio *de sacra Liturgia,* et post relationem incipiet disceptatio, iuxta enunciata a Patribus secretariae generali: nam tempus communicationis interventuum elapsum est.

4 – TEXTUS APPROBATUS

Patres S. Concilii ad universos homines

Ad omnes homines ac nationes nuntium perplacet mittere salutis, amoris et pacis quae a Christo Iesu, Filio Dei vivi, mundo allata sunt et Ecclesiae commissa.

Hac de causa enim beatissimi Ioannis Papae XXIII iussu congregati, huc nos, Apostolorum successores, unanimiter cum Maria Matre Iesu orantes, convenimus, unum apostolicum corpus efformantes cuius caput est Petri successor.

Illucescat facies Christi Iesu

Quo in conventu, Spiritu Sancto duce, quaerere volumus quomodo nosmetipsos renovemus oporteat, ut Evangelio Christi magis ac magis fideles inveniamur. Integram ac puram Dei veritatem huius aetatis hominibus sic proferre studebimus ut eam ipsi intellegant eique libenter assentiant.

Pastores cum simus, eorum omnium indigentiae satisfieri cupimus, qui Deum quaerunt, « si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum (*Acta,* XVII, 27).

Ideo Christi voluntati oboedientes, qui semetipsum morti tradidit « ut exhiberet ipse sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam..., sed ut sit sancta et immaculata » (*Eph.,* V, 27), omnes vires cogitationesque impendimus in nosmetipsos, Praesules, necnon in greges nobis creditos ita renovandos ut gentibus appareat amabilis facies Iesu Christi, qui in cordibus nostris illucescit « ad illuminationem claritatis Dei » (*II Cor.,* IV, 6).

Sic Deus dilexit mundum ...

Credimus Patrem sic mundum dilexisse ut ad eum salvandum Filium suum daret; qui quidem per eundem Filium suum nos a servitute peccati liberavit, omnia per eum reconcilians in ipsum, « pacificans per sanguinem crucis eius » (*Col.*, I, 20), ita ut « filii Dei nominemur et simus ». Spiritus insuper nobis a Patre datur ut vitam Dei viventes, Deum et fratres diligamus, qui omnes unum in Christo sumus.

Tantum vero abest ut Christo adhaerentes a terrenis officiis et laboribus avertamur, ut fides e contra, spes et caritas Christi nos impellant ad inserviendum fratribus nostris, hoc modo ad exemplum Divini Magistri conformatos, qui « non venit ministrari sed ministrare » (*Matth.*, XX, 28). Ideo et Ecclesia non ad dominandum nata est sed ad serviendum. « ... Ipse pro nobis animam ... posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere » (*I Ioan.*, III, 16).

Proinde, cum ex Concilii laboribus fore speremus ut lux fidei clarior et vividior splendeat, spiritualem expectamus renovationem, ex qua etiam felix procedat impulsus quo proficiant humana bona, scilicet scientiae inventa artis technicae progressus eruditionisque latior diffusio.

Caritas Christi urget nos

Ex omni natione quae sub caelo est adunati, omnium populorum nobis creditorum in cordibus nostris gerimus aerumnas, corporis et animae angustias, dolores, desideria, spem. Ad omnes anxietates, quibus hodie homines punguntur, instanter animum intendimus. Convolet imprimis igitur sollicitudo nostra ad humiliores, pauperiores debilioresque; Christum sequentes, misereamur super turbam fame, miseria, ignorantia laborantem; constanter in eos respicientes qui, deficiente auxilio opportuno, nondum ad vivendi rationem homine dignam pervenerunt.

Quapropter in labore obeundo nostro magni faciamus quaecumque ad dignitatem hominis spectant, quaecumque conferunt ad veram populorum communitatem. « Caritas Christi urget nos » (*II Cor.*, V, 14); nam « qui viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? » (*I Ioan.*, III, 17).

Duae quaestiones maioris momenti nobis proponuntur

Summus Pontifex Ioannes XXIII in radiophonico nuntio die 11 septembris 1962 dato, duo praesertim inculcavit.

Imprimis, quae ad pacem inter populos spectant. Bellum nemo est

qui non odio habeat, nemo qui ardenti desiderio ad pacem non tendat. Sed maxime omnium id Ecclesia exoptat, quippe quae mater sit omnium. Ipsa suum pacis amorem, Romanorum Pontificum voce, palam declarare numquam destitit, necnon et suam voluntatem pacis, parata semper cuilibet sincero conatui toto corde adiutricem praestare operam. Eadem ad coniungendos populos viribus omnibus tendit, et ad mutuam inter eos procurandam rerum animorumque aestimationem. Iste conventus noster Conciliaris, mirabilis ob suam stirpium, nationum, linguarum diversitatem, nonne communitatem testatur fraterni amoris, ipsiusque veluti signum fulget visibile? Homines universos profitemur fratres esse, cuiuscumque stirpis sunt vel nationis.

Praeterea Summus Pontifex urget socialem iustitiam. Doctrina per litteras encyclicas *Mater et Magistra* exposita, manifesto ostendit Ecclesiam hodierno mundo quam maxime esse necessariam, ad iniustitias denuntiandas indignasque inaequalitates, ad verum rerum bonorumque ordinem restaurandum, ita ut, secundum Evangelii principia, hominis vita humanior fiat.

Virtus Spiritus Sancti

Nobis profecto sive opes humanae sive potentia terrestris desunt; fiduciam autem in virtute Spiritus Dei collocamus, a Domino Iesu Christo Ecclesiae promissi. Ideo non fratres nostros tantum, quibus ut pastores inservimus, sed etiam fratres omnes in Christum credentes, et reliquos homines bonae voluntatis quos « Deus vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*I Tim.,* II, 4), humiliter et ardenter vocamus ut ad rectiorem magisque fraternam civitatem in ipso mundo aedificandam omnes una nobiscum adlaborent. Eiusmodi enim est divinum consilium ut per caritatem iam quodammodo regnum Dei in terris elucescat quasi aeterni regni Dei adumbratio.

Luceat, obsecramus, in medio mundi huius, qui procul ab optata pace adhuc abest ob minas ex ipso scientiarum progressu ortas mirabili sane, sed non semper superiori moralitatis legi intento, luceat lumen magnae spei in Iesum Christum unicum Salvatorem nostrum.

CONGREGATIO GENERALIS IV

22 octobris 1962

CONGREGATIO GENERALIS IV

22 octobris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Audiant omnes! Ab inito Concilio duo Patres supremum diem obierunt: exc.mi Ioseph Burke, ep. Buffalensis, atque heri, improviso malo correptus, Aemilius Facchini, ep. Alatrinus. Velint Patres orare pro ipsis durante Missa; interea em.mus praeses, qui hodie est em.mus Normannus Gilroy, cardinalis, *De profundis* una nobiscum recitabit. Missam dein celebrabit exc.mus ep. Paderbornensis, D. Jäger.

Praeses card. GILROY:

De profundis clamavi ad te, Domine... (cum versiculis et oratione *Deus, qui inter apostolicos...*).

Secretarius generalis, Missa expleta:

Exeant omnes! Manere tantum possunt Patres Conciliares, periti, officiales atque observatores.

Audiant omnes! Communicatum est in itinere versus Romam, Concilii celebrandi causa, obmortuum quoque esse exc.mum P. D. Ioannem Hogan, episcopum de Bellary in India. Communico etiam exsequias exc.mi P. D. Facchini celebratum iri crastina in ecclesia S. Iacobi in Augusta, hora 8.

Nunc, de mandato praesidis, em.mi P. D. card. Normanni Gilroy, communicantur nomina electorum in tribus commissionibus quae remanent.

Commissio De Sacramentorum Disciplina

		Suffragia
Exc.mi Domini	García y Goldaraz Iosephus	1.737
	Schneider Iosephus	1.673
	McGucken Iosephus	1.602
	von Streng Franciscus	1.407
	Fares Armandus	1.400

		Suffragia
	Bélanger Valerianus	1.345
	Alves de Siqueira Antonius	1.210
	Benítez Fontúrvel Crispulus	1.030
	Van Cauwelaert Ioannes	973
	Renard Alexander	963
	Maricevich Fleitas Hannibal	946
	Puech Petrus	931
	Reh Franciscus	890
	Arai Lucas	854
	Muldoon Thomas	846
	Lallier Marcus	788

Commissio De Religiosis

Exc.mi Domini	Huyghe Gerardus	1.804
	Leiprecht Carolus	1.736
	Tabera Araoz Arthurus	1.587
	Bortignon Hieronymus	1.321
Em.mus D. card.	Landázuri Ricketts Ioannes	1.145
Exc.mus Dominus	Beck Georgius	1.099
Rev.mus Pater	Reetz Benedictus	1.089
Exc.mi Domini	Echeverria Ruiz Bernardinus	1.053
	Flahiff Georgius	1.045
	Daly Eduardus	1.040
	Tomizawa Benedictus	1.019
	Urtasun Iosephus	1.000
Rev.mus Pater	Sépinski Augustinus	934
Exc.mi Domini	Cahill Thomas	919
	McShea Iosephus	907
	Botto Paulus	884

Sunt sexdecim

Commissio De Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica

Exc.mi Domini	O'Boyle Patritius	2.059
	Silva Santiago Alfredus	1.750
	Olaechea Marcellinus	1.495
	Höffner Iosephus	1.462
	Daem Iulius	1.177
	Klepacz Michaël	1.152
	Cody Ioannes	1.123

	Suffragia
Colombo Ioannes	1.090
Bogarín Raymundus	947
Hurley Dionysius	930
Cazaux Antonius	927
Blanchet Aemilius	914
Márquez Tóriz Octavianus	899
Marchetti Vincentius	804
Pintonello Henricus	802
Paré Marius	781

Sunt sexdecim

* * *

Notam dein facio huic eximio et amplo coetui decisionem ex audientia Sanctissimi, data em.mo card. a Secretis Status, quae respicit secretariatum ad unitatem Christianorum fovendam. Hoc rescriptum sic sonat...[1]

Propterea, qui pertinent ad hunc secretariatum iuxta normam statutam, non possunt pertinere ad alias commissiones. Succedunt qui proxime electi sunt, quorum nomina ex ordine crastina publicabuntur. Etiam electiones factae a Summo Pontifice proximis diebus publicabuntur. Nunc, post aliquod intervallum, incipiet ordo diei cum relatione *de sacra Liturgia.*

Audiant omnes! In hac hodierna congregatione generali incipit examen textus constitutionis *De sacra Liturgia* prouti tempore opportuno nuntiatum est. Relationem habebit ipse em.mus praeses commissionis, nempe em.mus ac rev.mus D. Arcadius card. Larraona. Post relationem relatoris incipiet disceptatio, ita: antea tractabitur de principiis generalibus, deinde de singulis capitibus, servato ordine schematis.

Patres loquentur ex ordine, prout venia iis data fuerit a praeside; postquam autem locuti sunt, tradere velint scriptum suum sermonem assignatori loci, qui secretariae generali illum mittet.

In disceptatione omnes normae servabuntur quae in *Ordine Concilii celebrandi* statutae sunt. Si quis Pater illum forte nondum habeat, dicat assignatoribus, ita ut crastina distribui possit omnibus qui nondum *Ordinem* habeant. Incipit relatio.

---

[1] Cf. p. 78.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA *

PROOEMIUM

[157] Sacrosanctum Concilium, cum sibi proponat vitam christianam inter fideles in dies augere; institutiones ecclesiasticas, prout mutationibus obnoxiae sunt, nostrae aetatis necessitatibus melius aptare; quidquid ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere; et quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae vocandos concurrit, roborare; suum esse ducit peculiari ratione etiam de instauranda atque fovenda Liturgia curare.

Liturgia enim, per quam, maxime in suo centro,[1] divinae scilicet Eucharistiae Sacrificio, opus Redemptionis exercetur,[2] summe confert ut fideles vivant et aliis manifestent mysterium

---

Schema constitutionis *de sacra liturgia* a secretaria generali ad Patres missum est die 23 iulii 1962. Cf. Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum. *Schemata Constitutionum et Decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus.* Series prima, Typis Polyglottis Vaticanis, 1962. In hoc volumine continentur schemata: *de fontibus revelationis,* pp. 9-22;*de deposito fidei pure custodiendo,* pp. 25-69; *de ordine morali christiano,* pp. 73-96; *de castitate, matrimonio, familia, virginitate,* pp. 99-154; *de sacra liturgia,* pp. 157-200; *de instrumentis communicationis socialis,* pp. 205-248; *de Ecclesiae unitate,* pp. 251-268.

In voluminis initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut haec Constitutionum et Decretorum schemata, in Concilio Oecumenico Vaticano secundo discutienda ad eiusdem Concilii Patres transmittantur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIII mensis iulii anno MCMLXII.

✠ HAMLETUS IOANNES card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematum capitibus adiciuntur, schematum partem non habent: sed a Commissionibus Praeparatoriis ideo exaratae sunt, ut Patribus schemata pervestigantibus exstent subsidio ».

Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam: cuius proprium est [157] esse simul humanam et divinam, visibilem et invisibilem, Ecclesiam actionis et contemplationis, in mundo praesentem et tamen peregrinam; et ita quidem ut in ea quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem et quod praesens ad futuram civitatem quam inquirimus.[3] Unde, dum Liturgia Ecclesiam cotidie interne aedificat « in templum sanctum in Domino..., in habitaculum Dei in Spiritu » (Eph. 2, 21-22), usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi,[4] miro modo simul vires eius ad praedicandum Christum roborat, eamque iis qui sunt extra ostendit uti signum levatum in nationibus,[5] sub quo filii Dei dispersi congregentur in unum [6] quousque unum ovile fiat et unus pastor.[7]

Quare Sacrosanctum Concilium, dum declarat se in praesenti Constitutione nihil velle dogmatice definire, de fovenda tamen atque instauranda Liturgia quae sequuntur principia censet in mentem revocanda et practicas normas statuendas esse.

Et licet inter haec principia et normas multa habeantur quae etiam ad alios ritus, orientales et occidentales, applicari debeant aut possint, tamen ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare intellegenda sunt, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.

Traditioni denique fideliter obsequens, Sacrosanctum Concilium declarat, Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes aequo iure atque honore habere, in futuro servari et [158] omnimode foveri velle, atque optat ut, ubi hoc opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donentur.

NOTAE

* Huius Constitutionis mens est: tantum normas generales et « altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia » (cf. IOANNES XXIII, Motu Proprio *Rubricarum instructum* diei 25 iulii 1960), proponere, relinquendo Sanctae Sedi singula exsecutioni demandare.

1 Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 547.

2 Secreta dominicae IX post Pentecosten.

3 Cf. Hebr. 13, 14.

4 Cf. Eph. 4, 13.

5 Cf. Is. 11, 12.

6 Cf. Io. 11, 52.

7 Cf. Io. 10, 16.

Caput I

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS AD SACRAM LITURGIAM INSTAURANDAM ATQUE FOVENDAM

I - DE SACRAE LITURGIAE NATURA EIUSQUE MOMENTO IN VITA ECCLESIAE

[159] 1. [*Opus salutis a Deo praenuntiatum, in Christo eiusque opere impletur, ...*]. Deus, qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (1 Tim. 2, 4), « multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis » (Hebr. 1, 1), ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum Verbum carnem factum ad evangelizandum pauperibus, ad sanandos contritos corde,[1] « medicum carnalem et spiritualem »,[2] Mediatorem Dei et hominum. Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit causa nostrae salutis. Quare in eius persona et vita « nostrae reconciliationis processit perfecta placatio, et divini cultus nobis est indita plenitudo ».[3]

Hoc autem humanae Redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus, cui divina magnalia in populo Dei Veteris Testamenti praeluserant, adimplevit Christus Dominus, praecipue per suae beatae Passionis, ab inferis Resurrectionis et gloriosae Ascensionis paschale mysterium, ex quo Ecclesia nascitur, crescit et nutritur.

2. [*... in Ecclesia perseverat, et in eius Liturgia perficitur, ...*]. Nam, sicut Christus missus est a Patre, ita et ipse, « totius Ecclesiae mirabile sacramentum »[4] instituens, Apostolos eorumque successores misit, non solum ut, praedicantes evangelium omni creaturae,[5] annuntiarent Filium Dei morte sua nos a potestate satanae[6] et a morte liberasse, ac resurrectione sua in regnum Patris transtulisse, sed etiam ut opus salutis, quod annuntiabant, per Sacramenta efficerent. Per baptismum enim et cetera Sacramenta, circa quae vita liturgica ordinatur, homines paschali Christi mysterio inseruntur: commortui, consepulti, conresusci-

tati; [7] spiritum accipiunt adoptionis filiorum, et ita fiunt veri adoratores, quos Pater quaerit.[8] Quotiescumque demum dominicam cenam manducant, mortem Domini annuntiant donec veniat.[9] Et ideo, ipso die Pentecostes, quo Ecclesia mundo apparuit, « qui receperunt sermonem » Petri « baptizati sunt ». Et « erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus... collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem » (Act. 2, 41-47). Numquam posthac intermisit Ecclesia quin in unum conveniret ad paschale mysterium celebrandum, legendo « in omnibus Scripturis quae de ipso erant » (Lc. 24, 27), Sacramenta administrando, Eucharistiam celebrando, in qua « mortis eius victoria et triumphus repraesentatur », « gratias » agendo « Deo super inenarrabili dono » (2 Cor. 9, 15) in Christo Iesu, « in laudem gloriae eius » (Eph. 1, 10).[10] [160]

3. [*... ob praesentiam ipsius Christi in Liturgia, ...*]. Ad tantum vero opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actionibus liturgicis, ipse qui promisit: « ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (Mt. 18, 20). Ipse est qui loquitur dum verba Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur et explicantur; qui laudes Deo Patri indesinenter persolvit; qui opus salutis, quod degens in terra patraverat, in Sacramentis pergit; ipse denique nunc in Sacrificio Missae se offert « sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit ».[11]

In hoc opere perfectae Dei glorificationis et hominum sanctificationis perficiendo, Christus Ecclesiam, Sponsam suam dilectissimam, sibi semper consociat.[12]

Merito igitur Liturgia habetur uti Iesu Christi « sacerdotalis muneris exercitatio »,[13] in qua, sub signis sensibilibus, ea quae significant suo cuiusque modo efficientibus, homo sanctificatur et a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur.[14]

Proinde omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis eiusque Corporis, quod est Ecclesia, est « actio sacra praecellenter »,[15] titulo qui eodem gradu nulli alii actioni in Ecclesia factae convenit.

4. [*... quae est caelestis Liturgiae praelibatio*]. In terrena Liturgia caelestem illam praelibamus, quae in sancta civitate Ie-

[161] rusalem, ad quam peregrinamur, celebratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens, sanctorum minister et tabernaculi veri; [16] cum omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae Domino canimus; memoriam sanctorum venerantes partem aliquam et societatem cum eis speramus; Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, donec ipse apparuerit vita nostra, et nos appareamus cum ipso in gloria.[17]

5. [*Liturgia in se non amplectitur totum ambitum actionis Ecclesiae*]. Licet sacra Liturgia non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae, est tamen in suo centro, quod est divinum Eucharistiae Sacrificium, culmen ad quod omnia tendere debent, et simul fons a quo omnia procedunt.

Nam antequam homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem et conversionem vocentur: « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (Rom. 10, 14-15).

Unde Ecclesia non credentibus praeconium salutis annuntiat, ut omnes homines solum Deum verum et quem misit Iesum Christum cognoscant et a viis suis convertantur, paenitentiam agentes.[18] Credentibus vero semper fidem et paenitentiam praedicare debet, eos ad Sacramenta disponere, docere servare omnia quaecumque mandavit Christus,[19] et allicere ad omnia opera caritatis, pietatis et apostolatus, quibus manifestum sit eos de hoc mundo quidem non esse, sed tamen esse lucem mundi et Patrem glorificare coram hominibus.

6. [*Eucharistiae Sacrificium fons vitae Ecclesiae*]. Labores autem apostolici ad id tendunt, ut qui receperunt fidem et paenitentiam egerunt filii Dei fiant per Baptismum, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent et cenam dominicam manducent. Vicissim, ipsa Liturgia impellit fideles ut « paschalibus sacramentis » satiati, fiant « pietate concordes »; [20] orat ut « vivendo teneant quod fide perceperunt »; [21] renovatio vero foederis Domini cum hominibus in Eucharistia eos in urgentem caritatem Christi trahit. Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, ceu ex primo fonte, gratia nobis derivatur [22] et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam, uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera diriguntur.

7. [*Dispositiones personales requiruntur*]. Ex his necessarium esse apparet ut fideles cum recti animi dispositionibus ad sacram Liturgiam accedant, suam mentem voci concordent; et supernae gratiae cooperentur, ne eam in vacuum recipiant.[23] Ideo pastoribus advigilandum est, ut in actione liturgica non solum observentur leges ad validam et licitam celebrationem, sed ut fideles conscie, actuose et fructuose participent. [162]

8. [*Necessitas colendae pietatis in tota vita, etiam extra Liturgiam*]. Multum vero abest ut sacra Liturgia totam vitam spiritualem amplectatur. Etsi enim christianus quandoque ad orandum in communi vocatur, quandoque tamen invitatur ad intrandum cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret,[24] immo ab Apostolo docetur sine intermissione orare.[25] Et ab eodem Apostolo docemur mortificationem Iesu semper circumferre in corpore nostro, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.[26] Unde Dominum in Missa exoramus ut, « hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmetipsos » sibi perficiat « munus aeternum ».[27]

9. [*Pia exercitia approbata et commendata*]. Pia populi christiani exercitia, si legibus Ecclesiae conformia sint, valde commendantur, praesertim cum de mandato Sanctae Sedis fiunt.

Speciali quoque dignitate gaudent sacra Ecclesiarum particularium exercitia, quae de mandato Episcoporum celebrantur, secundum consuetudines aut libros legitime approbatos.

Ita vero, ratione habita temporum liturgicorum, illa ordinentur oportet, ut Liturgiae consentiant, ab ea quodammodo deriventur, ad eam populum manuducant,[28] utpote illa natura sua longe praecellentem.[29]

II - DE LITURGICA INSTITUTIONE ET DE ACTUOSA PARTICIPATIONE PROSEQUENDIS

Nihil carius habet Mater Ecclesia quam ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem ducantur, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur et ad quam populus christianus, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis » (1 Petr. 2, 9; cf. 2, 4-5), ius habet et officium.[30]

Quae totius populi plena et actuosa participatio, in instau-

[163] randa et fovenda sacra Liturgia, summopere est attendenda: est enim primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant;[31] et ideo in tota actione pastorali, per debitam institutionem, ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda.

Sed quia, ut hoc evenire possit, nulla spes effulget nisi prius ipsi animarum pastores spiritu et virtute Liturgiae penitus imbuantur in eaque efficiantur magistri, ideo pernecesse est ut institutioni liturgicae cleri apprime consulatur.[32] Quapropter Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur statuere decrevit.

10. [*Magistri in sacra Liturgia formandi*]. Magistri, qui sacrae Liturgiae scientiae in seminariis et facultatibus theologicis docendae praeficiuntur, ad munus suum in institutis ad hoc speciali cura destinatis probe instituendi sunt.

11. [*Liturgica institutio cleri*]. Scientia de sacra Liturgia in seminariis et facultatibus theologicis inter disciplinas principales est habenda,[33] et sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico tradenda. Curent insuper aliarum disciplinarum magistri, imprimis theologiae dogmaticae, sacrae Scripturae, theologiae spiritualis et pastoralis ita, ex intrinsecis exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti, mysterium Christi et historiam salutis excolere, ut exinde earum connexio cum Liturgia et unitas sacerdotalis institutionis aperte clarescant.

12. [*Vita liturgica in seminariis et institutis religiosis*]. Clerici, in seminariis domibusque religiosis, formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, cum apta manuductione qua sacros ritus intellegere et toto animo participare queant, tum ipsa sacrorum mysteriorum celebratione, necnon aliis pietatis exercitiis spiritu sacrae Liturgiae imbutis; pariter observantiam legum liturgicarum addiscant, ita ut tota vitae ratio in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu informetur.[34]

13. [*Vita liturgica sacerdotum*]. Sacerdotes, sive dioecesani sive religiosi, in vinea Domini iam operantes, omnibus mediis opportunis[35] iuventur ut plenius semper quae in functionibus sacris agunt intellegant, vitam liturgicam vivant, eamque cum fidelibus sibi commissis communicent.

14. [*Liturgica institutio et actuosa participatio populi*]. [164] Liturgicam institutionem necnon actuosam fidelium participationem, internam et externam, iuxta ipsorum aetatem, condicionem, vitae genus et religiosae culturae gradum, animarum pastores sedulo ac patienter prosequantur,[36] unum e praecipuis fidelis mysteriorum Dei dispensatoris muneribus absolventes; et gregem suum hac in re non verbo tantum, sed et exemplo ducant.

15. [*Transmissiones radiophonicae et televisificae*]. Transmissiones actionum sacrarum ope radiophonica et televisifica, praesertim si agatur de Sacro faciendo, discrete ac decore fiant, sub ductu ac sponsione personae idoneae, ad hoc munus ab Episcopis destinatae.[37]

III - DE SACRAE LITURGIAE INSTAURATIONE

A) *Normae generales*

Pia Mater Ecclesia, ut populus christianus in sacra Liturgia abundantiam gratiarum securius assequatur, ipsius Liturgiae generalem instaurationem sedulo curare debet. Nam Liturgia constat parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus mutationibus obnoxiis, quae decursu temporum variare possunt vel etiam debent, si quae in eas forte irrepserint, quae minus bene ipsius Liturgiae intimae naturae respondeant vel minus aptae factae sint.[38]

Qua quidem instauratione, textus et ritus ita ordinari oportet, ut res divinas, quas significant, clarius exprimant, easque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et communitaria participatione celebrare possit.

Quare Sacrosanctum Concilium generaliores has normas statuit:

16. [*Libri liturgici recognoscendi*]. Libri liturgici recognoscantur, peritis ex universo orbe adhibitis; et intra paucos annos edantur.

17. [*Partes fidelium praevidendae*]. In libris liturgicis revisendis, sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant.

[165] 18. [*Traditio servanda et legitima progressio admittenda*]. Ut sana traditio retineatur et tamen via legitimae progressioni aperiatur,[39] de singulis Liturgiae partibus recognoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis [40] semper praecedat. Insuper considerentur cum leges generales structurae et mentis Liturgiae, tum experientia ex recentiore generali instauratione liturgica [41] et ex singulis indultis passim concessis promanans. Innovationes, demum, ne fiant nisi vera utilitas Ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant.

Caveatur etiam, in quantum fieri potest, ne notabiles differentiae rituum inter finitimas regiones habeantur.

19. [*De mente biblica in instauratione liturgica inculcanda*]. Maximum est sacrae Scripturae momentum in Liturgia celebranda. Ex ea enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt et ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt. Unde ad procuranda sacrae Liturgiae instaurationem, progressum et aptationem, oportet ut promoveatur ille suavis et vivus sacrae Scripturae affectus, quem testatur venerabilis rituum cum orientalium tum occidentalium traditio.

B) *Normae ex principiis de aptatione ad ingenium et traditiones populorum*

Ecclesia, in iis quae fidem aut bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit; quinimmo, variarum gentium populorumque animi ornamenta ac dotes colit ac provehit, et quidquid, in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, in quantum potest, sartum tectumque servat.[42] Proinde:

20. [*Aptatio iuxta locorum necessitates*]. In substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus, locus relinquatur; et hoc in structura rituum et in rubricis instituendis opportune prae oculis habeatur.

21. [*Limites aptationis*]. Limites servandi in hac aptatione

facienda ita a legislatione ecclesiastica statuantur ut, intacta vi [166] editionis typicae librorum liturgicorum a Sancta Sede editorum aut edendorum, Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae Episcopali nationali, maior concedatur facultas divinum cultum ordinandi, imprimis autem quoad administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291).

22. [*Aptatio Liturgiae praesertim in Missionibus*]. Et quia in quibusdam regionibus, praesertim autem in Missionibus,[43] Liturgiae aptatio difficilior evadit et magis urget:

1) In Conferentiis Episcopalibus et in Commissionibus liturgicis sedulo et prudenter consideretur quid, hoc in negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit. Aptationes quae utiles vel necessariae existimantur Sanctae Sedi proponantur, de ipsius consensu introducendae.

2) Ut aptatio cum necessaria circumspectione fiat, quoties necessitas aut utilitas id exigit, Conferentiae Episcopali a Sancta Sede facultas tribuatur ut in quibusdam coetibus ad id aptis et per determinatum tempus necessaria praevia experimenta permittat et dirigat.

3) Quia leges liturgicae speciales difficultates in regionibus Missionum secum ferre solent, Sacrae Rituum Congregationi praesto sint viri simul in re missionali et liturgica periti, qui consulantur quando huiusmodi leges parantur.

C) *Normae ex indole didactica et pastorali Liturgiae*

Etsi sacra Liturgia est praecipue adoratio divinae maiestatis necnon donum gratiae Dei, magnam etiam continet populi fidelis eruditionem.[44] In Liturgia enim Deus ad populum suum loquitur; Christus adhuc evangelium annuntiat. Populus vero Deo respondet tum cantibus tum oratione.

Immo, preces quae a sacerdote, in persona Christi coetui praeeunte, ad Deum diriguntur, nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium dicuntur. Signa tandem visibilia, quibus utitur sacra Liturgia ad res divinas invisibiles significandas, a Christo vel Ecclesia delecta sunt. Unde non solum quando leguntur ea « quae ad nostram doctrinam scripta sunt » (Rom. 15, 4),

[167] sed etiam dum Ecclesia vel orat vel canit vel agit, participantium fides alitur, mentes in Deum excitantur ut rationabile obsequium Ei praestent, gratiamque Eius abundantius recipiant.

Exinde in instauratione facienda generales normae quae sequuntur observari debent:

23. [*Structura rituum*]. Ritus modo simplici et claro extruantur, sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles evitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim indigeant multis commentariis ut intellegantur.

24. [*Lingua liturgica*]. Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur.

Cum tamen « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere »[45] possit, amplior locus ipsi in Liturgia tribuatur, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus.

Sit vero Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae Sanctae Sedi proponere.[46]

25. [*Lectio sacrae Scripturae, praedicatio et catechesis liturgica*]. Ut clare appareat in Liturgia ritum et verbum intime coniungi:

1) In celebrationibus sacris abundantior, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur.

2) Locus aptior sermonis, utpote partis actionis liturgicae, prout ritus patitur, etiam in rubricis notetur; et fidelissime ac rite adimpleatur ministerium praedicationis. Haec vero imprimis ex fonte sacrae Scripturae et Liturgiae hauriatur, quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi, quod in nobis praesens semper adest et operatur,[47] praesertim in celebrationibus liturgicis.

3) Etiam catechesis directius liturgica omnibus modis inculcetur; et in ipsis ritibus, si necessariae sint, breves admonitiones, a sacerdote vel competenti ministro, opportunioribus tantum momentis, praescriptis vel similibus verbis, dicendae, praevideantur.

D) *Normae ex natura communitaria et hierarchica Liturgiae*

Actiones liturgicae non sunt actiones mere privatae, sed cele- [168] brationes totius Ecclesiae, quae est « unitatis sacramentum »,[48] scilicet plebs sancta sub Episcopo adunata et ordinata.[49]

Quare ad universum Corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis attingunt.

Quapropter:

26. [*Celebratio communis praeferenda*]. Quoties ritus, iuxta propriam cuiusque naturam, secum ferunt celebrationem communem cum frequentia et actuosa participatione fidelium, inculcetur, hanc, in quantum fieri potest, esse praeferendam celebrationi eorundem singulari et quasi privatae.

27. [*Actuosa participatio fidelium*]. Ad actuosam participationem promovendam, populi acclamationes, responsa, psalmodia, antiphonae, cantica, necnon actiones seu gestus et corporis habitus foveantur; atque, prout natura singulorum rituum patitur, preces litanicae inserantur.

28. [*Solius hierarchiae est aliquid in Liturgia mutare*]. Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet:[50] quae quidem est apud Sanctam Sedem et, ad normam iuris, apud Episcopos. Quapropter nullus omnino alius, etiamsi sit sacerdos, aliquid privato marte in Liturgia addat, demat, aut mutet.[51]

29. [*Singuli partem suam agant ...*]. In celebrationibus liturgicis quisque, sive ministrorum sive fidelium, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod sibi ex rei natura spectat.

30. [*... et optime instituantur*]. Non solum ministri, sed etiam ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam cantorum pertinent, vero ministerio liturgico funguntur.[52] Propterea munus suum tali sincera pietate et ordine exerceant, quae tantum ministerium decent quaeque populus Dei ab eis iure exigit. Ideo oportet eos spiritu Liturgiae, suo cuiusque modo, sedulo imbui, et ad partes suas rite et ordinate obeundas institui.

[169] 31. [*In Liturgia nulla sit acceptio personarum*]. In Liturgia, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caerimoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio, salvis consuetudinibus ab Ordinario loci approbandis.

IV – DE VITA LITURGICA IN DIOECESI ET IN PAROECIA FOVENDA

32. [*Vita liturgica in dioecesi*]. Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet.

Quare omnes vitam liturgicam dioeceseos circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus.[53]

33. [*Vita liturgica in paroecia*]. Cum Episcopus in Ecclesia sua ipsemet nec semper nec ubique universo gregi praeesse possit, necessario constituere debet fidelium coetus, inter quos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente Episcopi ordinatae, eminent: nam in se perfectius repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam.

Quare vita liturgica paroeciae eiusque relatio ad Episcopum in mente et praxi fidelium et cleri fovenda est; et adlaborandum ut sensus communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominicalis, floreat. Quamobrem nonnisi ex causa rationabili Baptismata, Confirmationes, primae Communiones, Matrimonia, funeralia extra propriam paroeciam fieri permittantur.

V – DE ACTIONE PASTORALI LITURGICA PROMOVENDA

Sacrae Liturgiae fovendae atque instaurandae studium merito habetur « veluti signum providentialium dispositionum Dei super nostra aetate, veluti transitus Spiritus Sancti in sua Eccle-

sia »; [54] et « vitam » ipsius, « immo huius nostri temporis universam rationem religiose sentiendi et agendi, nota propria distinguit ».[55] [170]

Quapropter, ad hanc actionem pastoralem liturgicam ulterius in Ecclesia fovendam, Sacrosanctum Concilium decernit:

34. [*Commissiones liturgicae nationales*]. In singulis Conferentiis Episcopalibus nationalibus instituatur Commissio liturgica nationalis, a viris in scientia liturgica, musica, arte sacra ac re pastorali peritis iuvanda, cui etiam, in quantum fieri potest, opem ferat quoddam Institutum Liturgiae Pastoralis, constans sodalibus, non exclusis si res ita ferat, laicis in hac materia praestantibus. Ipsius Commissionis erit et actionem pastoralem liturgicam in universa natione moderari, et studia atque necessaria experimenta promovere quoties agatur de aptationibus Sanctae Sedi proponendis.

35. [*Commissiones liturgicae dioecesanae*]. Eadem ratione, in singulis dioecesibus Commissio de sacra Liturgia habeatur, ad actionem liturgicam, moderante Episcopo, promovendam.[56]

Opportunum aliquando evadere potest ut plures dioeceses unam Commissionem constituant.

36. [*Commissiones de Musica sacra et de Arte sacra*]. Praeter Commissionem de sacra Liturgia, in quavis dioecesi constituantur, quantum fieri potest, etiam Commissiones de Musica sacra et de Arte sacra.[57]

Necessarium est ut hae tres Commissiones consociatis viribus adlaborent; immo non raro congruum erit ut in unam Commissionem coalescant.[58]

NOTAE

[1] Cf. Is. 61, 1; Lc. 4, 18.

[2] S. Ignatius Antiochenus, *Ad Ephesios,* 7, 2.

[3] *Sacramentarium Veronense* (ed. Mohlberg), n. 1265; cf. etiam nn. 1241, 1248.

[4] Oratio post secundam lectionem Sabbato sancto, ante instaurationem Hebdomadae sanctae.

[5] Cf. Mc. 16, 15.

[6] Cf. Act. 26, 18.

[7] Cf. Rom. 6, 4; Eph. 2, 6; Coloss. 3, 1; 2 Tim. 2, 11.

[171] [8] Cf. Io. 4, 23.

[9] Cf. 1 Cor. 11, 26.

[10] CONC. TRID., Sess. XIII, Decr. *De ss. Eucharist.,* c. 5: DENZ. 878

[11] CONC. TRID., Sess. XXII, Doctr. *De ss. Missae sacrif.,* c. 2: DENZ. 940.

[12] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) pp. 522, 528, 573.

[13] Ibidem, p. 529.

[14] Ibidem, pp. 528-529.

[15] PIUS XI, Const. Apost. *Divini cultus,* 20 dec. 1928: AAS 21 (1929) p. 33.

[16] Cf. Apoc. 21, 2; Coloss. 3, 1; Hebr. 8, 2.

[17] Cf. Philipp. 3, 20; Coloss. 3, 4.

[18] Cf. Io. 17, 3; Lc. 24, 27; Act. 2, 38.

[19] Cf. Mt. 28, 20.

[20] Postcommunio dominicae Resurrectionis, in utraque Missa.

[21] Oratio Missae feriae III infra octavam Paschae.

[22] De Eucharistia — et ideo de Liturgia, quae circa Sacrificium Missae tota exstruitur —, fine et fonte vitae Ecclesiae et a qua omnes gratiae derivantur, cf. v. gr. *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos, Pii V P. M. iussu editus,* pars II, c. IV, n. 47; S. THOMAS, *In 4 Sent.,* d. 8, q. 1, a. 1; *Summa Theol.,* III, 65, a. 3; 79, a. 1 ad 1; 63, a. 6.

[23] Cf. 2 Cor. 6, 1.

[24] Cf. Mt. 6, 6.

[25] Cf. 1 Thess. 5, 17.

[26] Cf. 2 Cor. 4, 10-11.

[27] Secreta feriae II infra octavam Pentecostes.

[28] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 583-587. Hinc fideles docere oportet de praecellentia precationis liturgicae et anni liturgici super ceteras devotionis formas: facile enim adhuc videri potest practica ordinatio pietatis fidelium, quae a cyclo liturgico abstrahit, aut etiam ipsi directe obversatur, ut fit v. gr. in quibusdam festis Sanctorum quae cum festis sollemnioribus anni liturgici occurrunt (ex. gr. processio in honorem S. Antonii in festo Pentecostes), aut in triduanis vel novendialibus supplicationibus quae temporibus liturgicis, etiam principalibus, ita superponuntur, ut eorum temporum memoria amplius non appareat. Cf. plura vota Episcoporum de cultu Sanctorum recte ordinando, in *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando, Appendix,* vol. II, pp. 342-349.

[29] Instructio S. RITUUM C.: *De ordine Hebdomadae sanctae rite peragendo,* 16 nov. 1955, n. 23: AAS 47 (1955) p. 847: « Edoceantur... fideles de summo valore sacrae Liturgiae, quae semper et his praesertim diebus ceteras devotionis species et consuetudines, quamvis optimas, natura sua longe praecellit ».

[30] Cf. PIUS XI, Const. Apost. *Divini cultus*: AAS 21 (1929) pp. 39-40; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 552, 555, 559, 560; Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) p. 724.

[31] Cf. S. PIUS X, Motu proprio *Tra le sollecitudini,* 22 nov. 1903, n. 3: ASS 36 (1903-1904) p. 330.

[32] Omnia documenta Summorum Pontificum et Sanctae Sedis, quae his ultimis decenniis de Liturgia egerunt, necessitatem liturgicae institutionis cleri fortiter inculcant. Inter alia cf.: anno 1945 Epist. circ. S. C. DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERS. *De institutione clericorum deque Officii divini recitatione,* in *Il Monitore ecclesiastico,* 71 (1946) pp. 157-163; anno 1947 PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 591-592; anno 1954, Allocutio diei 2 nov.: AAS 45 (1954) pp. 669-670. Tractatio materiae simul cum quaestione speciali de institutione in Musica sacra: S. PIUS X, *Tra le sollecitudini*: ASS 36 (1903-1904) pp. 329-339; PIUS XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) pp. 17, 23, 24; *Instructio S. Rituum C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958: AAS 50 (1958) pp. 659-663. [172]

[33] Hucusque enim sacra Liturgia, in ordinatione programmatum quibus universa ratio studiorum in facultatibus theologicis et in seminariis regitur, inter disciplinas auxiliares et non principales, computatur. Cf. Ordinationes S. C. DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVER., 12 iunii 1931: AAS 23 (1931) p. 271.

[34] Cf. can. 1367, 3°; PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, art. 37, § 1: « In novitiatu, necnon per totum subsequens tempus, alumni... sacram Liturgiam addiscant, eaque sese nutriant »; et art. 40, § 2, I: « Dilectio quoque et summa reverentia dignitatis munerumque sacerdotalium in ipsis evolvatur. Cultus publici sacrificalis, sacramentalis et deprecatorii, atque domus Dei decoris studium et praxis apud eos excitanda sunt omnique ope promovenda ».

[35] V. gr. mensilibus collationibus: cf. canones 131, 448 et 591.

[36] Cf. S. RITUUM C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 104-108.

[37] Cf. PIUS XII, *Adhortatio ad Italiae Ordinarios de Televisione,* 1 ian. 1954: AAS 46 (1954) pp. 22-23; Litt. Encycl. *Miranda prorsus,* 8 sept. 1957: AAS 49 (1957) pp. 796-800; S. RITUUM C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 74-79.

[38] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 541-542; Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) pp. 723-724.

[39] Ibidem.

[40] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 374-386.

[41] Cf. *Decretum de solemni Vigilia paschali instauranda,* 19 februarii 1951: AAS 43 (1951) pp. 128-137; *Decretum de facultativa celebratione instauratae Vigiliae paschalis ad triennium prorogata,* 11 ianuarii 1952: AAS 44 (1952) pp. 48-63; *Decretum quo liturgicus Hebdomadae sanctae Ordo instauratur,* necnon *Instructio de Ordine Hebdomadae sanctae instaurato rite peragendo,* 16 novembris 1955: AAS 47 (1955) pp. 838-847; *Ordinationes et declarationes circa Ordinem Hebdomadae sanctae instauratum,* 1 februarii 1957: AAS 49 (1957) pp. 91-95; *Decretum de rubricis ad simpliciorem formam redigendis,* 23 martii 1955: AAS 47 (1955) pp. 218-224, necnon *Codex rubricarum,* 25 iulii 1960: AAS 52 (1960) pp. 593-734; *Constitutio Apostolica de disciplina servanda quoad ieiunium eucharisticum,* 6 ianuarii 1953: AAS 45 (1953) pp. 15-24, necnon Motu Proprio *Sacram Communionem,* 19 martii 1957: AAS 49 (1957) pp. 177-178.

[173] [42] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) p. 429.

[43] Cf. v. g. PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus*: AAS 31 (1939), pp. 428-429; Allocutio diei 10 febr. 1946: AAS 38 (1946) p. 146; Litt. Encycl. *Evangelii praecones,* 2 iunii 1951: AAS 43 (1951) pp. 521-522. Cf. etiam *Acta et Documenta,* l. c., pp. 370-372; 638-639.

[44] Cf. CONC. TRID., Sess. XXII, Doctr. *De ss. Missae sacrif.,* c. 8: DENZ. 946.

[45] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 545.

[46] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 391-428.

[47] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 580.

[48] S. CYPRIANUS, *De cath. eccl. unitate,* 7.

[49] Cf. S. CYPRIANUS, *Ep. 66,* n. 8, 3.

[50] Cf. can. 1257; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 544.

[51] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 544; Allocutio diei 2 nov. 1954: AAS 45 (1954) p. 670; cf. *Commonitio S. Officii,* diei 14 febr. 1958: AAS 50 (1958) p. 114; cf. cann. 1257, 1259-1264.

[52] Cf. S. RITUUM C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 93: AAS 50 (1958) p. 656.

[53] Recolantur verba S. IGNATII ANTIOCHENI: « Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem, et presbyterium et apostolos; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Nullus sine episcopo aliquid operetur eorum quae conveniunt in Ecclesiam. Illa firma gratiarum actio reputetur, quae sub episcopo est, vel quam utique ipse concesserit. Ubi utique apparet episcopus, illic multitudo sit, quemadmodum utique ubi est Christus Iesus, illic catholica Ecclesia. Non licitum est sine episcopo baptizare neque agapen facere, sed quod ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum, ut stabile sit et firmum omne quod agitur » (Smyrn. 8). « Quemadmodum ... Dominus sine Patre nihil fecit, unitus existens, neque per seipsum neque per apostolos, sic neque vos sine episcopo et presbyteris aliquid operemini; ... una oratio, una deprecatio, unus intellectus, una spes in caritate, in gaudio non inquinato, quod est Christus Iesus, quo melius nihil est. Omnes ut in unum templum concurrite Dei, ut in unum altare, in unum Iesum Christum, ab uno Patre exeuntem et in unum existentem et revertentem » (Magn. 7). « Stude igitur una gratiarum actione uti; una enim caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix in unionem sanguinis ipsius; unum altare et unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis; ut quod facitis, secundum Deum faciatis » (Philad. 4).

[54] Cf. PIUS XII, Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) p. 712.

[55] Ibidem, p. 724.

[56] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p .562; S. RITUUM C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 118.

[57] Commissiones dioecesanae de Musica sacra constituendae sunt ad normam « Motu proprio » s. Pii X, diei 22 nov. 1903 (n. 24); Commissiones de Arte sacra pro Italia, per Litteras Circulares Secretariae Status, diei 1 sept. 1924 (Prot. 34215); Commissiones de sacra Liturgia per Litt. Encycl. *Mediator Dei* PII XII, diei 20 nov. 1947 (AAS 39 [1947] pp. 561-562).

[58] Quo expeditius et securius labor perficiatur, *Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia* (n. 118), consulit ut « tres memoratae Commissiones non seorsim, sed una simul conveniant et, collatis consiliis, communia negotia pertractare et solvere satagant ». [174]

CAPUT II
DE SACROSANCTO EUCHARISTIAE MYSTERIO

Salvator noster, in cena novissima qua nocte tradebatur, [175] Apostolis paschale convivium in sui memoriam donec veniat iterandum praecepit, ita ut « mortis eius victoria et triumphus »[1] repraesentaretur; et Ecclesiae dilectae Sponsae suae fieret magnum sacramentum pietatis, fons et exemplar unitatis, sacrificium laudis, pignus et figura caelestis convivii.

Itaque curat Ecclesia ut christifideles huic mysterio fidei non velut inertes et muti spectatores intersint, sed ut ritus et preces bene intellegentes, ea actuose, conscie et pie participent, mensa cum verbi tum corporis Domini reficiantur, gratias Deo agant, immaculatam hostiam una cum sacerdote offerendo seipsos offerre discant, et de die in diem ad perfectiorem unitatem transferantur ut sit Deus omnia in omnibus.

Quapropter Sacrosanctum Concilium, ut Sacrificio Missae restituat, etiam in forma rituali, plenam pastoralem efficacitatem, ea quae sequuntur decernit.

I - DE MISSA

37. [*Ordo Missae instaurandus*]. Ordo Missae ita recognoscatur, sive in generali dispositione sive in singulis partibus, ut clarius percipiatur et actuosam fidelium participationem faciliorem reddat.[2]

38. [*Lectiones in Missa*]. Ut fidelibus cum mensa eucharistica etiam ditior mensa verbi Dei paretur,[3] thesauri biblici largius aperiantur,[4] ita ut, decursu plurium annorum, praestantior pars Scripturarum sanctarum populo praelegatur.[5]

39. [*Homilia*]. Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae,[6] valde commendatur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto.

40. [*Oratio communis*]. Oratio communis, seu fidelium, post Evangelium et homiliam, saltem diebus dominicis et festis

[176] de praecepto, redintegretur,[7] ita ut, populo participante, obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia, « pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt ».[8]

41. [*Lingua*]. Linguae vernaculae in Missis cum populo congruus locus tribuatur,[9] imprimis autem in lectionibus, oratione communi et nonnullis cantibus, ad normam articuli 24 huius Constitutionis.

42. [*Communio sub utraque specie*]. Communio sub utraque specie, sublato fidei periculo, pro certis casibus a Sancta Sede bene determinatis, uti, v. g., in Missa sacrae Ordinationis, iudicio Episcoporum, tum clericis et religiosis, tum laicis concedi potest.[10]

43. [*Praeceptum Missae festivae*]. Liturgia Missae duabus partibus quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica. Hae duae partes tamen ita intrinsece coniunguntur, ut unicum actum cultus efforment. Proinde animarum pastores, in catechesi tradenda, fideles sedulo instruant ut integrae Missae celebrationi intersint.

II – DE CONCELEBRATIONE SACRAMENTALI

44. [*Usus amplificetur*]. Concelebratio tam in Ecclesia Orientali quam in Occidentali in usu hucusque remansit.[11] Concilio facultatem concelebrandi ad sequentes casus extendere placet:[12]

a) ad Missam chrismatis, feria V in Cena Domini;

b) ad conventus sacerdotum, si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit et de iudicio Ordinarii.

45. [*Opportunitas concelebrationis et numerus concelebrantium*]. De opportunitate concelebrationis et de numero concelebrantium, in singulis casibus, Ordinarii erit iudicare.

46. [*Ritus concelebrationis*]. Quoad ritum, servari possunt rubricae Pontificalis romani. Attamen quaedam aptationes fiant, scilicet:

a) ut concelebrantes, oblatione peracta, stent circa altare, vestibus sacerdotalibus, aut saltem alba et stola, induti;[13]

b) ut minuatur numerus precum a concelebrantibus simul dicendarum;[14] [177]

c) ut communicare possint sub utraque specie;[15]

d) ut solus celebrans principalis gestus faciat et benedicat.[16]

NOTAE

[1] CONC. TRID., Sess. XIII, Decr. *De ss. Eucharist.,* c. 5: DENZ. 878.

[2] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 262-288.

[3] Cf. *De imitatione Christi,* IV, 11.

[4] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943: AAS 35 (1943) p. 324.

[5] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 264-270.

[6] PIUS XII in Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947, inter actiones liturgicas, post lectiones, enumerat: « ac postremo homilia » (AAS 39 [1947] p. 529).

[7] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. 271, nn. 5, 7, 10, 11.

[8] 1 Tim. 2, 1-2.

[9] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 397-412; et etiam pp. 387-397.

[10] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 69, nn. 1-5.

[11] Praecipua documenta Ecclesiae de concelebratione sunt:

Pro tota Ecclesia occidentali can. 803: « Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missis ordinationis presbyterorum et in Missa consecrationis episcoporum secundum Pontificale romanum ». In Pontificali romano vero concelebratio episcoporum inscribitur expresse saltem a fine saeculi XII (M. ANDRIEU, *Le Pontifical romain,* I, p. 151). Concelebratio presbyterorum describitur iam in Pontificali Curiae tempore Innocentii IV (cf. *ibidem,* II, p. 349).

Pro Ecclesia Lugdunensi: Appendix ad Pontificale a card. de Bonald edita: Benedictio oleorum.

Pro Russis, tam unitis quam separatis: Cinovik, ex editionibus tam anni 1798 quam 1896; et Trabnik Petri Moghila, Kiev 1646.

Pro Ruthenis: Acta et Decreta Synodi provincialis Ruthenorum Galitiae, habitae Leopoli anno 1891, Romae anno 1895, pp. 150-168; Ordo celebrationis, Romae 1953, pp. 102-114.

Pro Graecis catholicis et Melchitis: Hieraticon, Romae 1950, pp. 265-272; Hieraticon syllliourgon. – BENEDICTUS XIV, Litt. Encycl. *Demandatam,* 24 dec. 1743; et Litt. Encycl. *Allatae sunt,* 26 iul. 1755, apud P. GASPARRI, *Fontes Iuris canonici,* I, p. 799, et II, p. 472.

Pro Maronitis: Synodus Montis Libani 1736, apud MANSI, 38 coll. 125-126.

Pro Coptis catholicis: Synodus Alexandrina Coptorum, habita Cairi anno 1898, Romae 1899, p. 107.

[12] *Rationes cur optatur extensio*:

a) Unitas Ecclesiae in unitate sacerdotii melius demonstratur: « Quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo, ideo non refert utrum per unum vel per multos hoc

[178] sacramentum consecraretur: nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari... Eucharistia est sacramentum unitatis Ecclesiasticae, quae attenditur secundum hoc, quod multi sunt unum in Christo » (S. THOMAS, *Summa Theol.,* III, q. 82, a. 2, ad 2 et 3).

b) Pietas magis fovetur, si plures sacerdotes simul litent, quam in diversis altaribus singillatim celebrent, sese invicem et populum molestia afficientes.

c) Vitantur difficultates practicae et incommoda provenientia ex numero sacerdotum sive e penuria altarium et supellectilis, sive ex brevitate temporis.

[13] In Pontificali Romanae Curiae saec. XII, quod diffusum est ubique, rubrica erat sequens: « Oblatione facta, presbyteri vadant ad altare, ad standum a dextera et laeva altaris cum missalibus suis » (M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain,* II, p. 349). Haec rubrica mutata est in Pontificali romano primum excusso anno 1485: « Presbyteri vero ordinati retro Pontificem vel hinc inde ubi magis commodum erit, in terra genuflexi, habeant libros coram se... ».

[14] In documentis antiquioribus, ex. gr. in Ordine Romano III (M. ANDRIEU, *Ordines Romani,* II, p. 131) presbyteri cardinales « canonem dicunt », non alia. Idem servabatur adhuc saec. XII, teste canonico Benedicto (FABRE-DUCHESNE, *Le Liber Censuum de l'Eglise Romaine,* II, p. 146).

Sed praeter rationes historicas, adest praecipue ratio practica: dicere simul tantam seriem orationum « distincte, morose », praesertim dum celebrans cantat vel gestus facit, est nimis prolixum et populum taedio afficit. In liturgia verbi, melius erit si concelebrantes silentio auscultent lectiones, participent cantum sive Proprii sive Ordinarii, solo celebrante principali dicente *Gloria in excelsis, Pax vobis, Dominus vobiscum,* orationes, *Credo.*

[15] Communio sub utraque specie fit semper in Missa consecrationis Episcopi; fit etiam a diacono et subdiacono in Missa papali; fiebat etiam in ordinationibus presbyterorum saec. XIII, teste Pontificali Romanae Curiae (M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain,* II, p. 350). Optatur hodie quia consentaneum est omnes celebrantes semper sub utraque specie communicare.

[16] Sic fit hodie in Missa Ordinationis presbyterorum, et sic faciebant olim presbyteri cardinales, quando concelebrabant cum Summo Pontifice.

CAPUT III

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

Sacramenta et Sacramentalia ordinantur ad cultum debite [179] Deo reddendum et ad hominem sanctificandum; [1] utpote vero signa « ad instructionem pertinent ».[2] Unde fidem non solum supponunt, sed « verbis ac rebus » alunt; et ita eorum celebratio liturgica fideles ad cultum Deo debite reddendum et ad gratiam fructuose recipiendam etiam proxime disponit. Ideo « sacramenta fidei » dicuntur.

Maxime proinde interest ut qui ad fidem vocantur, Baptismum verum signum fidei inveniant, et fideles, ad propriam vitam christianam alendam, Sacramenta impensissime frequentent. Per liturgiam enim Sacramentorum et Sacramentalium, fidelibus bene dispositis nullus iam fere eventus vitae gratia divina non sanctificatur, ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant; nullusque etiam rerum materialium usus, per se honestus, ad finem hominem sanctificandi Deumque laudandi non dirigitur. Quod sane facilius fit, si ipsa, quoad eorum liturgicam structuram, quoad textus et ritus, ita ordinantur, ut res divinas, quas significant et suo cuiusque modo efficiunt, sic exprimant ut a fidelibus possint facile percipi et actuosa atque communitaria participatione celebrari.

Cum autem, decursu temporum, non sine fidelium detrimento, quaedam in ea irrepserint quae praedictae eorum naturae minus bene respondeant, Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur decernit.

I - DE RITUALIBUS REVISENDIS

47. [*Ritualia particularia*]. In nova editione « typica » Ritualis romani paranda, clare indicentur partes, quae, in Ritualibus particularibus, lingua vulgari dici possunt. Super huiusmodi autem Ritualis romani editione, Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus aptata (cf. art. 21 huius Constitutionis), a Conferentiis Episcopalibus quam primum parentur,

[180] et, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291), in respectivis regionibus adhibeantur.[3] In his autem Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones pastorales et rubricales, quae in Rituali romano singulis ritibus praemittuntur.

II – DE SACRAMENTIS INITIATIONIS CHRISTIANAE

48. [*Restauratio catechumenatus*]. Instauretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, ita ut tempus catechumenatus, instructioni destinatum, de iudicio Ordinarii loci, sacris quoque ritibus successivis temporibus celebrandis, sanctificari possit.[4]

49. [*Elementa initiationis a traditione populorum derivata*]. In terris Missionum, praeter ea quae in traditione christiana habentur, illa etiam elementa initiationis admittantur, quae apud unumquemque populum in usu reperiuntur, quatenus ritui christiano aptari possunt.

50. [*Ordo Baptismi adultorum*]. Ritus ad baptizandos adultos recognoscatur,[5] ratione habita catechumenatus instaurati; et Missali romano Missa propria in collatione Baptismi inseratur.

51. [*Ordo Baptismi parvulorum*]. Ritus ad baptizandos parvulos condicioni reali infantis rationis nondum compotis aptetur;[6] partes etiam parentum et patrinorum in ipso ritu melius in luce ponantur.

52. [*Ordo brevior Baptismi*]. Conficiatur Ordo brevior Baptismi, qui, in terris Missionum, a catechistis, et generatim, in periculo mortis, a fidelibus, absente sacerdote vel diacono, adhiberi possit.

53. [*Ordo supplendi omissa in Baptismo*]. Loco « Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum », novus ritus conficiatur ad significandam receptionem infantis in Ecclesiam, qui ritu brevi fuerit baptizatus.[7] Item similis ritus conficiatur pro neoconversis iam valide baptizatis.

54. [*Benedictio aquae baptismalis*]. Aqua baptismalis, extra tempus paschale, in ipso ritu Baptismi, ex iusta et rationabili causa, formula breviore et apta, benedici potest. [181]

55. [*Ritus Confirmationis*]. Ritus Confirmationis ita recognoscatur,[8] ut clarius eluceat huius Sacramenti intrinseca connexio cum tota initiatione christiana; et ideo, pro opportunitate, Confirmatio etiam intra Missam conferri possit;[9] eamque praecedat renovatio promissionum Baptismi.[10] Ipsa administratio Sacramenti aptioribus liturgicis formulis introducatur.

III - DE POENITENTIA

56. [*Ordo Poenitentiae*]. Ritus et formulae Poenitentiae ita recognoscantur, ut effectum Sacramenti clarius exprimant.

IV - DE UNCTIONE INFIRMORUM

57. [*Nomen et natura Sacramenti*]. Sacramentum, quod communiter « Extrema Unctio » nuncupatur, deinceps « Unctio infirmorum » vocabitur; nam non est per se Sacramentum morientium, sed graviter aegrotantium,[11] ac proinde tempus opportunum illud recipiendi est statim ac fidelis in gravem morbum inciderit.

58. [*Collatio Sacramenti*]. Unctio infirmi regulariter locum habeat post Confessionem et ante receptionem Eucharistiae.[12]

59. [*Ritus Sacramenti*]. Unctionum numerus pro opportunitate aptetur (cf. art. 21 huius Constitutionis) et orationes, quae ritum Unctionis infirmorum comitantur, ita recognoscantur,[13] ut respondeant diversis condicionibus infirmorum, qui Sacramentum recipiunt.

60. [*Iteratio Sacramenti*]. Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando iterari potest.[14]

V – DE ORDINE

[182] 61. [*Ritus Ordinationum recognoscendi*]. Ritus Ordinationum a peritis, sive quoad caerimonias sive quoad textus, recognoscantur. Allocutiones Episcopi, initio cuiusque Ordinis, fiant lingua fidelibus nota.

VI – DE MATRIMONIO

62. [*Ritus Matrimonii*]. Ritus celebrandi Matrimonium, qui exstat in Rituali romano, funditus recognoscatur et ditior fiat, ita ut gratia Sacramenti clarius significetur.[15]

« Si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus et caerimoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat ».[16]

Insuper Conferentiis Episcopalibus relinquitur facultas exarandi ritum proprium (cf. art. 48 huius Constitutionis),[17] usibus locorum et populorum congruum, firma tamen lege ut sacerdos assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.[18]

63. [*Celebratio Matrimonii*]. Matrimonium ordinarie infra Missam celebretur, post lectionem Evangelii et homiliam, ante orationem fidelium.[19] Oratio super sponsam, ita opportune emendata ut supra utrumque coniugem recitari valeat, dicatur lingua vernacula.

Si vero Sacramentum Matrimonii extra Missam, sed in ecclesia, celebratur, lectiones de Epistola et Evangelio Missae pro Sponsis legantur in initio ritus.[20]

VII – DE SACRAMENTALIBUS

64. [*Recognitio Sacramentalium*]. Sacramentalia funditus recognoscantur, prae oculis habito principio de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis hodiernis necessitatibus. In Ritualibus recognoscendis, etiam nova Sacramentalia, prout necessitas expostulat, addi possunt.

Benedictiones reservatae, perpaucae, et in favorem tantum Episcoporum, habeantur.

65. [*Ritus vestitionis et professionis religiosae*]. Conficiatur ritus vestitionis et professionis religiosae et renovationis votorum, qui valde optatam unitatem,[21] sobrietatem et dignitatem inducat, ita tamen ut quidam ritus particulares non excludantur. [183]

Professio religiosa infra Missam fieri potest.

VIII - DE EXSEQUIIS

66. [*Ordo exsequiarum*]. Ritus exsequiarum sensum paschalem mortis christianae clarius exprimat, et condicionibus ac traditionibus singularum regionum melius aptetur.[22]

67. [*Exsequiae parvulorum*]. Ex integro recognoscatur ritus sepeliendi parvulos, ac propria Missa donetur.

NOTAE

[1] S. Thomas, *Summa Theol.,* III, 62, a. 5 et 63, a .6.

[2] S. Thomas, *De veritate,* 27, a. 4.

[3] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 384-385, nn. 10-12.

[4] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 12-13, nn. 1-9.

[5] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 12-15.

[6] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 16-17, nn. 9-18.

[7] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 19, nn. 35-36 et p. 22, n. 6.

[8] Ibidem, pp. 25-27.

[9] Ibidem, p. 27, nn. 15-18.

[10] Ibidem, p. 26, nn. 12-14.

[11] Nomen « Extrema Unctio » solummodo tardioribus saeculis (xii-xiii) invectum est; antea « Oleum infirmorum », « Oleum benedictum » appellabatur. Merito in Concilio Tridentino petitum est ut nomen primitivum restitueretur. Melius proinde nomen Sacramenti esset « Unctio infirmorum », quoniam agitur non de re sed de actione.

Dilatio ad ultima momenta in usum venit a saeculo fere x, quando Unctio insolubiliter coniuncta erat cum concessione paenitentiae sollemnis, qua tamen ei qui convaluerat onera gravissima ad dies vitae imponebantur. Vota Episcoporum de hac re cf. in *Acta et Documenta,* l. c. p. 95 nn. 1-6; pp. 96-97 nn. 7-13.

[12] Ex verbis Apostoli Iacobi: « Et (infirmus) si in peccatis sit, remittentur ei » (Iac. 5, 15), clare eruitur quod Unctio infirmorum spiritualiter pertinet ad paenitentiam. « Consummativum paenitentiae » hoc Sacramentum declarat Concilium Tridentinum (Sessio 14. Doctr. de Sacram. Extr. Unctionis. Prooemium); ideoque administrandum videtur post confessionem sacramentalem infirmi et antequam ille sacram Communionem recipiat. Nam Eucharistia est Sacramentum consummativum omnium aliorum Sacramen-

[184] torum. « Sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta... nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem... per paenitentiam etiam et *extremam unctionem* praeparatur homo ad digne sumendum Corpus Christi » (S. THOMAS, *Summa Theol.* III, 65 n. 3). Vota Episcoporum de hac re, cf. in *Acta et Documenta,* l. c. pp. 98-99; nn. 26-28.

[13] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 99-101, nn. 29-46.

[14] Praxis hodierna (can. 940, § 2), post monitum Concilii Tridentini (Sessio XIV, Doctr. *de Sacr. Extr. Unctionis,* c. 3), vetat in eodem vitae discrimine hoc Sacramentum iterare. Sed Unctionis iteratio, etiam in eadem infirmitate, fuit consuetudo Ecclesiarum usque ad saec. XIII. Nam aegrotus, maxime in diuturna infirmitate, saepius indiget solatio spirituali. Vota Episcoporum de hac re, cf. in *Acta et Documenta,* l. c. p. 97, nn. 14-17.

[15] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 175, nn. 2-4.

[16] CONC. TRID., Sess. XXIV, *De reformatione,* c. 1: DENZ. 990. Cf. *Rituale romanum,* tit. VIII, cap. 2, n. 6.

[17] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 177, n. 19.

[18] Can. 1095, § 1, 3°.

[19] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 175, nn. 5-7.

[20] Ibid., p. 175, n. 8.

[21] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 369, nn. 1-3.

[22] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 366-367, nn. 1-4.

CAPUT IV

DE OFFICIO DIVINO

[185] Summus Novi atque aeterni Testamenti Sacerdos, Christus Iesus, « humanam naturam assumens, terrestri huic exilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communitatem ipse sibi coagmentat, eandemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat ».[1]

Ecclesia autem, sacerdotio mirabili in suo Capite insignita, et divinam ipsius missionem in terris pergens, « pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum »,[2] ut Deum sine intermissione laudet et pro singulis interpellet. Quod munus absolvit non solum per celebrationem Eucharistiae, sed etiam per mirabile illud laudis canticum, in Officio divino exstans, quod christianorum omnium nomine eorumque in beneficium adhibetur Deo, cum a sacerdotibus aliisque fiat, in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis.[3] Omnes proinde qui hoc munere funguntur tum gravem Ecclesiae obligationem tum summum Sponsae Christi

honorem participant, quia unusquisque in Officio divino orando [185]
ante thronum Dei stat nomine Matris Ecclesiae.

Huiusmodi Ecclesiae precatio ex antiqua traditione ita est constituta, ut totus cursus diei ac noctis per sacrificium laudis, a labiis confitentium Deo oblatum, consecretur.

Quo vero divinum Officium a sacerdotibus aliisque Ecclesiae membris, in fragilitate humana atque difficillimis temporum adiunctis constitutis, « tamquam sanctificatio diversarum horarum diei »[4] facilius et perfectius peragatur, Sacrosancto Concilio ea quae sequuntur placuit decernere:

68. [*Cursus Horarum*]. Cum sanctificatio diei naturalis sit finis Officii divini, cursus Horarum ita instauretur ut « Horis » veritas, in quantum fieri potest, reddatur, ratione tamen habita diversarum condicionum vitae hodiernae in determinatione iuridica temporis ad satisfaciendum obligationi Officii divini recitandi.

Ut autem cursus traditionalis Officii divini servetur ac simul
hodiernae vitae necessitatibus cleri congruenter aptetur,[5] hae nor- [186]
mae prae oculis habeantur:

a) *Laudes* ac *Vesperae,* ex venerabili traditione Ecclesiae universalis duplex cardo Officii divini cotidiani, ubique tamquam Horae praecipuae celebrandae sunt.

b) *Completorium* ita instruatur, ut aperte appareat ipsius natura ultimae precationis in fine diei.

c) Hora quae *Matutinum* vocatur, quamvis indolem nocturnae laudis retinens, ita aptetur ut qualibet diei hora recitari valeat.[6]

d) *Horae minores* ita instruantur ut tempore competenti recitari possint, ad sanctificandum laborem cotidianum.

69. [*Psalmi*]. Ut cursus Horarum, in articulo praecedenti propositus, reapse observari possit, psalmi non amplius per unam hebdomadam, sed per longius temporis spatium distribuantur.[7]

Opus revisionis psalterii, feliciter inchoatum, perducatur ad finem, respectu habito latinitatis et usus liturgici.

70. [*Hymni*]. Hymni, in quantum fieri potest, ad pristinam formam restituantur, iis mutatis quae mythologiam sapiunt aut christianae pietati minus congruunt. Recipiantur quoque, pro opportunitate, alii, qui in hymnorum thesauro inveniuntur.

[186] 71. [*Lectiones*]. In revisendis lectionibus,[8] haec serventur:

a) Lectiones *Sacrae Scripturae* ita distribuantur, ut thesauri Verbi divini in pleniore amplitudine expedite adiri possint.

b) Doctrina Patrum debitum suum locum et modum, iuxta Ecclesiae traditionem, obtineat; proinde *lectio ex Patribus* et sublimioribus theologiae spiritualis Magistris, dummodo agatur de textibus a structura et mente Liturgiae non discrepantibus, mensura largiore instauranda est et simul revisenda.

c) Passiones seu *vitae Sanctorum* ad fidem historicam reddantur.

72. [*Orationes*]. *a*) In Laudibus ac Vesperis feriarum per annum dicantur *Orationes matutinales ac vespertinales,* quae praesto sunt in Sacramentariis.[9]

b) Vesperis cotidie *Preces* inserantur pro variis necessitatibus mundi et Ecclesiae.

[187] *c*) In fine Horarum minorum, loco orationis diei, dicatur oratio dominica seu *Pater noster.*

73. [*Obligatio*]. Cum infirmitas humanae naturae postulet ut quid minimum orationis praescribatur, et aliunde totum pensum divini Officii servandum sit, hae normae erunt observandae:

a) *Communitates choro obligatae* tenentur Officium divinum cotidie in choro celebrare et quidem:

— *totum Officium,* Ordines Canonicorum, Monachorum et Monialium;

— saltem *Laudes aut Vesperas,* Capitula residentialia;

— *totum Officium aut partem illius,* ceteri Ordines et Congregationes religiosae, secundum proprias Constitutiones.

Omnes autem illarum Communitatum clerici, si sunt in Ordinibus maioribus, et omnes sollemniter professi, exceptis conversis, tenentur ad recitationem totius Officii, etiam a solo factam, si totum aut partem in choro non absolvunt.

b) *Clerici choro non obligati,* si sunt in Ordinibus maioribus, cotidie, sive in communi, sive a solo, tenentur totum Officium persolvere.

c) Fratres, Sorores, ac laici cuiusvis *Instituti status perfectionis* observent Constitutiones proprias. Ipsis autem enixe commendatur ut, in quantum fieri potest, Laudes ac Vesperas celebrent sicut in Breviario.

74. [*Sodales religiosi*]. Sodales cuiusvis Instituti status per- [187]
fectionis, qui, vi Constitutionum, partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem publicam Ecclesiae agunt. Item, publicam Ecclesiae orationem agunt, si quod parvum Officium, vi Constitutionum, recitant, dummodo in modum Officii divini confectum ac rite approbatum sit.

75. [*Fidelium participatio in Officio divino*]. Curent animarum pastores ut Horae praecipuae, vel ad minus Vesperae,[10] potissimum diebus dominicis et festis sollemnioribus in ecclesiis et oratoriis celebrentur communes. Commendatur ut et ipsi laici celebrent Officium divinum, vel cum sacerdotibus, vel inter se congregati, vel immo unusquisque solus.

76. [*Tempus recitandi Officium divinum*]. Praestat, sive ad diem revera sanctificandum, sive ad ipsas Horas cum fructu spirituali recitandas, ut in Horarum absolutione tempus servetur [188]
quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae.

77. [*Lingua adhibenda in recitatione Officii divini*]. *a*) Iuxta saecularem traditionem Occidentalis Ecclesiae, in Officio divino lingua latina clericis servanda est.

b) Monialibus, necnon sodalibus, sive viris non clericis sive mulieribus, Institutorum statuum perfectionis, in Officio divino, tam in choro aut in communi quam a solo celebrando, a proprio Ordinario, annuente Sancta Sede, concedi potest ut lingua vulgari utantur.

c) Quivis Officio divino adstrictus, si Officium divinum una cum fidelibus laicis, vel cum iis qui sub *a*) et *b*) nominantur, lingua vernacula celebrat, suae obligationi satisfacit, dummodo textus versionis sit legitime approbatus.

78. [*Officium divinum in choro vel in communi*]. Cum Officium divinum sit vox Ecclesiae Deum publice laudantis, choro obligati et omnes in communi celebrantes munus sibi concreditum quam perfectissime, sive interna animi devotione, sive externa agendi ratione, peragant.

Praestat insuper ut Officium divinum in choro et in communi, pro opportunitate, cantetur.

NOTAE

[188] [1] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 573.

[2] Hebr. 5, 1.

[3] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947), p. 573.

[4] *Codex rubricarum,* l. c., n. 142.

[5] Ecclesia numquam admisit formam Breviarii, quae recitationem communitariam excludat. Officium divinum semper pro pluribus simul voluit: nam sic melius repraesentatur Ecclesia orans. Quare desiderandum non videtur duplex Breviarium, communitarium unum, privatum alterum, etsi plures favent huic duplici formae Officii divini (cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 303-305). E contra, Breviarium eius qui a solo recitat semper apertum sit fratribus, sacerdotibus sociis et plebi fideli.

[6] Commendandum videtur, sicut est in votis plurium Antistitum (cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 316-318), ut generatim uno tantum Nocturno constet. Officia vero perpulchra et antiquissimae traditionis, tribus « Nocturnis » insignita, ne destruantur, immo instaurentur, si opus sit.

[189] [7] Quaedam desideria circa distributionem Psalterii per spatium temporis maius quam unam hebdomadam et circa aliqualem selectionem psalmorum faciendam, videri possunt in *Acta et Documenta,* l. c. pp. 314-316.

[8] Plura desideria circa lectiones s. Scripturae vide in *Acta et Documenta,* l. c. pp. 318-322, nn. 1-32; quoad lectiones historicas, *ibidem,* pp. 322-325, nn. 33-50; quoad lectiones Ss. Patrum, *ibidem,* pp. 325-326, nn. 52-59.

[9] Vide, v. gr., *Sacramentarium Gregorianum* (ed. Lietzmann), n. 203, in quo habentur 8 orationes matutinales, et n. 204, qui continet 37 orationes vespertinales seu matutinales.

[10] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 575; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, n. 45.

CAPUT V

DE ANNO LITURGICO

Sponsi divini opera salutifera, statutis diebus in anni decursu pia Mater Ecclesia sacra semper recordatione celebrare contendit. Primo hebdomadae die, quem « dominicum » vocavit, memoriam habuit Resurrectionis Domini, quam etiam semel in anno, solemnitate magna Paschatis, una cum beata ipsius Passione, frequentavit. Totum vero Christi mysterium per anni circulum explicavit ab Incarnatione et Nativitate usque ad Ascensionem, ad diem Pentecostes et ad exspectationem beatae spei et adventus Domini. Recolendo taliter mysteria Redemptionis, aperuit fidelibus divitias virtutum atque meritorum Domini sui, ita ut omni tempore quodammodo praesentia fiant, et ipsi illa attingant et gratia salutis repleantur. Quin immo, per omnia mysterio Christi unitum, Sancta Ecclesia, in annuo festorum circulo, etiam mysterium beatissimae Dei Genetricis Mariae cum amore frequentat, in quo et praecellentem Redemptionis fructum merito exaltat, et veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur. [190]

Memorias insuper Martyrum aliorumque Sanctorum, qui per multiformem Dei gratiam et perfectionem provecti, atque aeternam iam adepti salutem, Deo in caelis laudem perfectam decantant, circulo anni inseruit Ecclesia. Sanctorum enim nataliciis praedicat paschale mysterium in Sanctis cum Christo compassis et conglorificatis, et fidelibus exempla eorum praesentat, omnes per Christum ad Patrem trahentia.

In exercitationibus denique, diversis anni temporibus, iuxta traditas disciplinas aggrediendis, fidelium formationem perficit, per illas animi et corporis actuositates, quae in precatione, in ieiunio et instructione vim suam attingunt.

Praestat igitur ut fideles virtutem mysteriorum Christi impensius hauriant, eandem in festis beatae Mariae Virginis pie prosequantur et colant, Sanctorum exempla devote imitentur, atque exercitationibus sacris ad sanctitatem contendant. Quapropter placuit Sacrosancto Concilio ea quae sequuntur decernere.

I – DE ANNO LITURGICO INSTAURANDO

[191] 79. [*Annus liturgicus in genere*]. Annus liturgicus ita recognoscatur ut, servatis aut restitutis sacrorum temporum traditis consuetudinibus et disciplinis iuxta nostrae aetatis condiciones, ipsorum indoles nativa retineatur, ad fidelium pietatem debite alendam in celebrandis mysteriis Redemptionis christianae, maxime vero mysterio paschali, quod est totius anni liturgici veluti centrum et culmen.

80. [*Dies dominicus*]. Peculiaris natura diei dominici pietati fidelium quam maxime proponatur et inculcetur, quatenus est « dies Domini » et hebdomadalis commemoratio mysterii paschalis et christianae fidelium regenerationis. Aliae proinde celebrationes, nisi revera sint magni momenti, ipsi ne praeponantur.

81. [*Proprium de Tempore*]. Fidelium animi dirigantur imprimis ad dies festos Domini, qui mysteria salutis in anno celebrant. Proinde « Proprium de Tempore » aptum suum locum obtineat super festa Sanctorum,[1] ut integer mysteriorum salutis cyclus debito modo recolatur.

82. [*Tempus quadragesimale*]. Duplex character temporis quadragesimalis, praeparatio nempe vel saltem memoria Baptismi et actio paenitentialis, tam in Liturgia quam in catechesi liturgica plenius in luce ponatur. Proinde:

a) ad profundiorem fidelium eruditionem, eorumque ad celebrandum mysterium paschale praeparationem, elementa baptismalia liturgiae quadragesimalis propria abundantius adhibeantur; quaedam vero ex anteriore traditione, pro opportunitate, restituantur;

b) idem autem fiat de elementis paenitentialibus. Quoad catechesim autem imprimis inculcentur animis fidelium socialis peccati indoles perniciosa, et partes Ecclesiae in actione paenitentiali; atque oratio pro peccatoribus urgeatur.

83. [*Praxis paenitentialis Quadragesimae opportune restituenda*]. Indoles paenitentialis temporis quadragesimalis non tantum spiritualiter et individualiter colatur, sed in vita quoque practica fidelium suam partem externam et socialem habeat. Instauretur, proinde, iuxta nostrae aetatis et diversarum regionum

possibilitates necnon fidelium condiciones, opportuna praxis pae- [192] nitentialis.[2]

Sacrum tamen esto ieiunium paschale, feria VI in Passione et Morte Domini, ubique celebrandum et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto producendum, ut ita, elato et aperto animo, ad gaudia dominicae Resurrectionis perveniatur.

84. [*Festa Sanctorum festis mysteria salutis recolentibus ne praevaleant*]. Festa Sanctorum mirabilia quidem Christi in servis eius praedicant, et fidelibus opportuna praebent virtutum exempla imitanda: attamen festis ipsa mysteria salutis recolentibus ne praevaleant. Immo plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Religiosae Familiae relinquantur celebranda,[3] iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes.

II - DE CALENDARIO RECOGNOSCENDO

85. [*Festum Paschatis certae dominicae assignandum*]. Ut festum Paschatis certae dominicae in calendario gregoriano assignetur,[4] assentientibus iis quorum intersit, praesertim fratribus separatis, Sacrosanctum Concilium commendat.

86. [*Calendarium fixum inducendum*]. Sacrosanctum Concilium declarat se non obstare mediis et inceptis, quibus tenditur ad calendarium perpetuum in societatem civilem inducendum.

Variorum autem systematum, quae ad calendarium perpetuum stabiliendum excogitata sunt, illis tantum non obstat, quae hebdomadam septem dierum servant et tutantur.[5]

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. sub titulo *De Calendarii reformatione* (pp. 430-441) passim.

[2] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 232-234: *De ieiunio quadragesimali;* et pp. 219-230: *De reformatione ieiunii et abstinentiae.*

[3] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. sub titulo *De Calendarii reformatione* (pp. 430-441) passim.

[4] Ibidem, pp. 442-443, nn. 2-12.

[5] V. gr. *Calendarium Orbis,* seu Calendarium a « World Calendar Association » propositum. Fuit etiam votum Congressus Unionis Astronomicae, Romae anno 1922 habiti (cf. *Ephemerides liturgicae,* 37 [1923], p. 39).

Caput VI

DE SACRA SUPELLECTILE

[193] Quantam Ecclesia adhibuerit curam ad decorem, ornatum et pretiositatem sacrae supellectilis in cultu sacro augenda, testatur traditio liturgica. Omnia pretiosa enim, quae aut natura ipsa protulerit aut humanum ingenium comparaverit, ea Ecclesia in cultum suum assumpsit, ut ita mirabilis laudis concentus Deo tribuendus plenior et perfectior efficeretur.

At ipsa quoque historia testatur temporum decursu nonnullos hac in re irrepsisse abusus. In externis enim cultus ornamentis amplificandis, quandoque humana vanitas irrepsit; ratio insuper et inclinatio temporum nonnumquam mutationes non parvas sive in formam sive in ornatum sacrae supellectilis invexit; dum, e contra, artis technicae progressus nova cotidie elementa producunt, quae elementis naturalibus usu traditis optime sociari possunt ad cultus decorem augendum.

Hinc profluit necessitas valde curandi materiam, formam et ornatum sacrae supellectilis et fideliter observandi leges artis sacrae, iuxta liturgicam traditionem.

Placuit ergo Patribus ea quae sequuntur principia affirmare et statuere.

87. [*Materia sacrae supellectilis*]. Leges generales circa materiam paramentorum et sacrae supellectilis in suo robore manent. Conferentiis tamen Episcopalibus facultas tribuitur materiis ex lege et traditione Ecclesiae acceptis alias admiscere aut sufficere, praesertim ex usibus et cultura populi sui traditis, dummodo vestis aut supellex exinde resultans decori, cultus reverentiae et usui liturgico respondeat, communi populi aestimatione magni habeatur atque persistens sit et duratura.

88. [*Forma sacrae supellectilis*]. Sacrae supellectilis, vestium et vasorum sacrorum forma sanctitati divini cultus studiose respondeat, congruenter usui consulat, reverentiam conciliet, ministrorum gradibus conveniat.[1]

Sanctae Sedis, vel Episcoporum in singulis regionibus, ad normam iuris, erit perpendere an in eorum forma, usu et ornatu

aliquid sit mutandum vel tollendum, iuxta articulum 21 huius [194]
Constitutionis.

89. [*Usus pontificalium*]. Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis, quae aut charactere episcopali, aut peculiari aliqua iurisdictione gaudent.

NOTA

[1] *Acta et Documenta,* l. c. pp. 449-451; quoad vestes pontificales, pp. 451-453.

CAPUT VII
DE MUSICA SACRA

Musica traditio sanctae Ecclesiae thesaurum constituit inae- [195]
stimabile, maxime excellens inter ceteras artis expressiones, cum Musica sacra efformet necessariam Liturgiae sollemnis partem et directe sacram Actionem comitetur. Efficaciam spiritualem sacri concentus in cultu divino laudibus extulerunt sancti Patres atque Romani Pontifices, qui hac nostra praesertim aetate, praeeunte sancto Pio X, Musicam sacram « ad fontes » revocantes, ipsius characterem ministerialem dominici servitii pressius ostenderunt. Etsi relationes statuantur, limites tamen in generibus musicis haud ponuntur, cum Ecclesia omnes verae artis expressiones, debitis praeditas dotibus, amplectatur et in cultum admittat.

Normas ac praecepta ecclesiasticae traditionis et disciplinae secutum, prae oculis habens finem ultimum Musicae sacrae, qui « gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium »,[1] Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur statuit.

90. [*Natura Musicae sacrae*]. Musica sacra tam nobilem in Liturgia locum ex Patrum traditione habet, ut ei velut ancilla seu administra famuletur,[2] modo orationem suavius exprimens vel unanimitatem fovens, modo ritus sacros maiore sollemnitate comitans. Tanto ergo pulchrior et sanctior erit, quanto actioni liturgicae arctius connectetur.

[195] 91. [*Liturgia sollemnis principem locum tenet*]. Forma nobilior celebrationis liturgicae est Liturgia sollemnis, lingua latina celebrata, cum participatione populi.

Ut autem fideles et scholae cantorum ad Liturgiam sollemniter celebrandam progressive ducantur, gradus ipsorum captui et condicioni accommodati statuantur.

Proinde sit Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus proponere ut nonnulli cantus lingua vernacula peragi possint, ad normam articuli 24 huius Constitutionis.

92. [*Participatio fidelium numquam excludenda*]. Quamvis
[196] thesaurus artisticus Musicae sacrae summa cura servandus et fovendus sit,[3] et scholae cantorum assidue provehendae, Episcopi ceterique animarum pastores sedulo provideant ut in qualibet sacra actione, vel sollemnissima, universus fidelium coetus actuosam participationem sibi propriam in cantu praestare possit.[4]

93. [*Institutio musica*]. Magni habeatur institutio et praxis musica in Seminariis, in religiosorum utriusque sexus novitiatibus et studiorum domibus, necnon in ceteris institutis et scholis catholicis; ad quam institutionem obtinendam, magistri, qui Musicae sacrae docendae praeficiuntur, sedulo praeparentur.[5]

Cantores vero et musicae artifices, praeter musicam, solida formatione liturgica donentur, iuxta Ecclesiae traditionem et pastoralem populi utilitatem, quibus eorum servitium spiritu ac mente perficiatur.[6]

Fideles quoque, iuxta ipsorum condicionem, sicut in sacra Liturgia ita in cantu sacro opportune edoceantur, « ut vocem suam sacerdotis vel scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent ».[7]

94. [*Cantus gregorianus et polyphonicus fovendus*]. Ecclesia Romana cantum gregorianum agnoscit tamquam suae Liturgiae proprium: ideo in actionibus liturgicis, ceteris paribus, principem locum obtineat.[8]

Alia tamen genera Musicae sacrae, praesertim vero polyphonia, in celebrandis divinis Officiis minime excluduntur, dummodo fidelium actuosam participationem ne impediant, neque dignitati, gravitati et sanctitati Liturgiae repugnent.

Eximii autem artis musicae viri incitentur non tantum ad modos conscribendos qui a maioribus scholis cantorum cani pos-

sint, sed praesertim ad modos etiam componendos qui parvis [196] quoque scholis conveniant et actuosam participationem totius communitatis fidelium foveant.

95. [*Editio typica librorum cantus gregoriani compleatur*]. Compleatur editio typica librorum cantus liturgici; immo paretur editio magis critica librorum iam editorum post instaurationem s. Pii X.

Pariter, altera paretur editio simpliciores modulos continens, in usum minorum ecclesiarum.

96. [*Cantus popularis religiosus*]. Cantus popularis religio- [197] sus sollerter inculcetur, ita ut in piis exercitiis et in ipsis liturgicis actionibus, iuxta normas et praecepta rubricarum, fidelium voces resonare possint.[9]

Cantus ad catholicae fidei doctrinam plene sint conformes, breves et faciles, lingua utantur plana et modulatione simplici. Verba autem a tumida et inani profluentia sint immunia [10] ac deriventur potissimum ex sacra Scriptura, specialiter ex psalmis et canticis biblicis, et ex fontibus liturgicis, sive orientalibus sive occidentalibus.

97. [*Musica sacra in Missionibus*]. Cum in regionibus Missionum gentes inveniantur quae propria polleant traditione musica, magnam partem in earum vita religiosa ac sociali habente, huic musicae respectus debitus necnon locus congruus praebeatur, tam in efformando earum sensu religioso, quam in cultu earum indoli aptando. Quapropter magnae curae sit in apostolatu missionario hanc musicam christianam tam in scholis quam in officiis sacris promovere. Commendatur, insuper, etiam instrumentorum indigenorum ad usum liturgicum aptatio, in quantum indoli cultus christiani respondent.[11]

98. [*Organum et instrumenta musica*]. Organum est instrumentum musicum traditionale Ecclesiae occidentalis, ad sacros ritus maiore sollemnitate donandos.

Cetera vero musica instrumenta, de iudicio et consensu loci Ordinarii in cultum divinum admitti possunt, quatenus usui sacro aptari possunt, templi dignitati congruunt, atque communi fidelium actuosae participationi favent.

Nova technicae artis inventa ad sonos producendos vel trans-

[197] mittendos, in sacris celebrationibus Ecclesia haud respuit, dummodo sonitum omnino decorum gratumque edant et talia instrumenta, non modo mere mechanico seu automatico, sed directa et personali artificis actione tractentur.[12]

NOTAE

[1] Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* 22 nov. 1903, n. 1.

[2] Ex tota traditione eruitur Musicam sacram in Ecclesia non adhiberi propter seipsam, quatenus artis operam, sed ad divinum cultum decore exercendum. Quod Urbanus VIII in decreto n. 823 S. C. Rituum diei 21 fe-
[198] bruarii 1643 enuntiavit his verbis: Musica sacrae Scripturae, non haec illi inservire debet; Musica Missae, non Missa Musicae famuletur. Eundem Musicae sacrae characterem ministerialem dominici servitii, nostra aetate pressius ostenderunt Romani Pontifices. Sanctus Pius X eam vocat humilem ancillam Liturgiae (Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 23), Pius XI ancillam nobilissimam (Const. Apost. *Divini cultus,* 20 dec. 1928: AAS 21 [1929] p. 35), Pius XII: Liturgiae quasi administram (Litt. Encycl. *Musicae sacrae,* 25 dec. 1955: AAS 48 [1956] p. 12).

[3] Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956) pp. 18-20; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, nn. 48-49: AAS 50 (1958) p. 646.

[4] Ex. gr. etiam in Missis Pontificalibus, saltem Symbolum et Sanctus generatim a populo cani deberent. Cf. *Prima Romana Synodus,* 1960, art. 576, § 1, n. 2: « In solemnioribus Eucharisticis Sacrificiis praestat ut *Credo* ab universo populo gregorianis modulis cantetur ».

[5] Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus,* n. IX: AAS 21 (1929) p. 40.

[6] Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 25; Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus*: AAS 21 (1929) p. 39; Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 589; Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956), pp. 23-24; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 115-117; cf. etiam Epistolam S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus *De Musicae sacrae studio in seminariis fovendo,* 15 augusti 1959: AAS 41 (1949) pp. 618-619.

[7] Cf. Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 27; Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus,* V-VI: AAS 21 (1929) p. 38; Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956) p. 23; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 98.

[8] Cf. Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 3; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 16.

[9] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 590; Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956) pp. 20-21; *Ordo Hebdomadae sanctae instauratus,* dom. II Passionis, n. 20; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 15.

[10] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956) p. 20.

[11] Quaedam Missae cum melodiis localibus iam conscriptae sunt in Africa, in Sinis, in India, instrumentis quoque indigenis comitantibus.

[12] Cf. S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 60 s.

CAPUT VIII

DE ARTE SACRA

Inter nobilissimas ingenii humani exercitationes, artes pul- [199] chrae pleno iure adnumerantur, praesertim autem ars religiosa eiusdemque culmen, ars nempe sacra, quippe quae natura sua ad infinitam pulchritudinem divinam spectent, humanis operibus aliquomodo exprimendam, et Deo eiusdemque laudi ac gloriae provehendae eo magis addicantur, quo nihil aliud eis propositum sit, nisi ut operibus suis ad hominum mentes pie ad Deum convertendas plurimum conferant.

Alma Mater Ecclesia, proinde, semper fuit pulchrarum, seu ingenuarum, artium amica, earumque liberum servitium, praecipue ut res ad sacrum cultum pertinentes vere sint dignae, decorae ac pulchrae, rerum supernarum signa et symbola, perenniter quaesivit, artificesque instruxit. Immo earum veluti arbitram Ecclesia iure semper se habuit, diiudicans inter artificum opera quae fidei, pietati, legibusque religiose traditis congruant, atque ad usum sacrum idonea habeantur.[1]

Placuit proinde Patribus hisce de rebus ea quae sequuntur decernere.

99. [*Omnem stilum artis Ecclesia admittit*]. Ecclesia nullum artis stilum veluti proprium habuit, sed omnium temporum modos semper admisit. Nostrorum etiam temporum atque omnium gentium et regionum ars liberum in Ecclesia campum habet, quae sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat; ita quidem ut eadem ad mirabilem illum gloriae concentum, quem summi viri per revoluta iam saecula catholicae fidei cecinere, suam queat adiungere vocem.[2]

100. [*Opera artis fidei et pietati contraria arceantur*]. Curent locorum Ordinarii ut artis opera quaecumque, quae fidei et moribus ac christianae pietati aperte repugnant sensumque vere religiosum, vel ob insanam formarum depravationem, vel ob artis insufficientiam, mediocritatem ac simulationem, offendunt, ab aedibus sacris arceantur ac prorsus expellantur.[3]

[200] 101. [*In diiudicandis artis operibus, periti adhibeantur*]. In diiudicandis artis operibus, Ordinarii curent audire Commissionem dioecesanam de Arte sacra et, si casus ferat, alios viros valde peritos.[4] In causis autem quae, undique spectatae, difficiliores evenerint, adeant consilia ceterorum provinciae vel regionis Episcoporum eorumque peritorum. Si etiam horum consultu iudicium tutum non invenitur, rem Sanctae Sedi proponant.

102. [*Commissiones de Arte sacra*]. Commissiones de Arte sacra tum dioecesanae, tum provinciales vel regionales vel nationales vel etiam internationales, congregentur, in quantum possibile, ex utroque clero et laicis peritis.

103. [*Artificum institutio*]. Episcopi, vel per se ipsos vel per sacerdotes qui peculiari facultate et amore praediti sunt, artificum curam habeant, ut eos spiritu Artis sacrae et sacrae Liturgiae imbuant.[5]

Artifices autem omnes, qui, ingenio suo vocati, gloriae Dei in Ecclesia sancta servire intendunt, semper prae oculis habeant agi de sacra quadam Dei Creatoris imitatione et de operibus cultui catholico, Ecclesiae aedificationi necnon fidelium religiosae instructioni destinatis.

104. [*Disciplina ecclesiastica de Arte sacra opportune revisenda*]. Canones et statuta ecclesiastica, quae rerum externarum ad sacrum cultum pertinentium apparatum spectant, praesertim quoad aedium sacrarum dignam et utilem constructionem, altarium formam et aedificationem, tabernaculi eucharistici nobilitatem et securitatem, baptisterii aptitudinem et honorem, necnon sacrarum imaginum, decorationis et ornatus convenientiam, moderationem et ordinem, recognoscantur: quae Liturgiae instauratae minus congruere videntur, emendentur aut aboleantur; quae vero ipsi favent, nova et vetera, retineantur vel introducantur.

105. [*Cleri institutio in Arte sacra*]. Clerici, dum sacrae Liturgiae studio incumbunt, instruantur etiam de mutuis relationibus inter Artis sacrae historiam et christianae fidei ac disciplinae evolutionem, quatenus Ecclesiae venerabilia quaecumque monumenta aestiment et servent, necnon artificibus, in novis

Artis sacrae operibus efficiendis, illuminata consilia praebere queant. [201]

Ad hoc obtinendum, in Universitatibus omnibus catholicis, sacrae Theologiae scholis necnon Facultatibus, principia et historia Artis sacrae doceantur.[6]

NOTAE

[1] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 591; Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) p. 11.

[2] Cf. Pius XII, *Epist. ad Exc. D. Jos. Freundorfer,* 27 iun. 1955: AAS 47 (1955) p. 596: « Die katholische Kirche ist nicht eins mit der abendlaendischen Kultur; wohl aber ist sie bereit, mit jeder Kultur einen Bund zu schliessen »; *Allocutio Conventui X internationali de Scientiis historicis,* 7 sept. 1955 (l. c., p. 680): « L'Eglise a conscience d'avoir reçu sa mission et sa tâche pour tous les temps à venir et pour tous les hommes, et par conséquent de ne pas être liée à aucune culture déterminée... L'Eglise catholique ne s'identifie avec aucune culture; son essence le lui interdit. Elle est prête cependant à entretenir des rapports avec toutes les cultures »; Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 590; S. C. S. Officii, *Instr. de Arte sacra,* 30 iun. 1952: AAS 44 (1952) p. 544.

[3] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 591; S. C. S. Officii, *Instr. de Arte sacra*: AAS 44 (1952) p. 544.

[4] Cf. Can. 1164 § 1; Litt. circulares Secretariae Status, 1 sept. 1924 (Prot. 34215); S. C. S. Officii, *Instr. de Arte sacra*: AAS 44 (1952) p. 545; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 118.

[5] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 591.

[6] Cf. S. C. S. Officii, *Instr. de Arte sacra*: AAS 44 (1952) p. 545.

2 – RELATIO EM.MI P. D. ARCADII LARRAONA PRAESIDIS COMMISSIONIS DE SACRA LITURGIA

Em.mi Praesides, em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Ad normam nostri *Ordinis* agendi, « quodcumque argumentum disceptandum in congregatione generali proponitur ac breviter illustratur a relatore, quem designavit competentis commissionis praeses ». Argumentum nunc ex legitimo praesidentiae iussu disceptandum est schema constitutionis *de sacra Liturgia.* Ipsum, et quidem commissionis *de sacra Liturgia* nomine et sensu, esset breviter illustrandum. Cum tamen commissio nostra ob temporis angustias nec generalem de re aggredi potuerit disceptationem, et ceterum haec, esto brevis ac generalis, schematis proprie dicta illustratio commissionem ligare iam posset atque in schema interpretandum influxum aliquem exercere, opportunius ducimus, potius quam illustrationem proprie dictam schematis, introductionem ad ipsum vobis, em.mi, exc.mi, rev.mi Patres, exhibere.

Ipsum rev.mo Patri secretario nostrae commissionis redigendum demandavi, statimque vobis ipse clariore mea voce perleget.

Quae commissio de schemate generali diiudicanda dicendaque censuerit post absolutum examen generale in aula ad propositas emendationes factas, postquam ad ipsam transmissa fuerint, sincere dicere non omittet commissio, ad normam articuli 58.

Et nunc, venia vestra, ad introductionem perlegendam gradum facimus.

Rev. P. Ferdinandus Antonelli:

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Mandato em.mi praesidis commissionis conciliaris *de sacra Liturgia* parens ad normam art. 31 *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi,* brevem illustrationem circa schema constitutionis *de sacra Liturgia* proponam.

Liceat tamen quaedam brevissime praemittere veluti praeambula ad ipsius schematis originem et indolem facilius intelligendam.

Itaque, in Concilio iam Tridentino emendatio librorum liturgicorum statuta fuit, quae quidem emendatio deinceps meliori quo tunc fieri poterat modo a Summis Pontificibus peracta est, praeeunte Sancto

Pio V qui anno iam 1568, id est, tribus annis post absolutum Concilium, Breviarium Romanum ex decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, anno vero 1570 Missale Romanum in lucem protulit.

Inter postulata ad Concilium Vaticanum I delata, nonnulla quoque inveniuntur Sacram Liturgiam respicientia quibus praesertim petitur ut nova Breviarii Romani emendatio fiat.

Nihil proinde mirum si in Concilio quoque Vaticano II constitutio proponitur *de sacra Liturgia,* eo vel magis quod quaestio haec, seu capitulum *de sacra Liturgia* non tantum magni momenti ex natura sua sed et summae actualitatis in praesens censendum est duabus praesertim de causis:

— Primo quia quam plurimi Sacri Pastores et omnes in re viri periti unanimi sententia, gravibus quidem suffulta argumentis, tenent libros liturgicos, seu textus ac ritus in illis contentos, genuina profecto servata liturgica traditione, opportuna indigere emendatione et ad nostrae aetatis ingenium ac necessitates accommodatione.

— Accedit, secundo, ratio pastoralis gravissima. Inde siquidem a media aetate, multisque de causis quas hic recensere non possumus, christifideles in liturgicis actionibus adstantes, muti potius spectatores facti sunt quam actores prouti res ipsa postulat. At neminem fugit vitae christianae instaurandae et alendae maxime conferre si fideles ad fontes gratiae quae in sacra Liturgia apertae manent, reducantur actuosae illius ac personalis participationis capaces effecti quam nostro ineunte saeculo S. Pius X providentissime coepit commendare. Ex hac quidem commendatione, motus ille liturgicus ortus est qui paulatim per catholicum orbem diffusus, vitae christianae instaurandae quam plura eaque optima emolumenta contulit. Horum autem emolumentorum numerus ac momentum ita succrevit ut post ultimum bellum Summus Pontifex Pius XII f. r. consilium, a praedecessore suo S. Pio X iam conceptum, de generali liturgica instauratione promovenda reassumpserit et specialem ad hoc pontificiam commissionem anno 1948 constituerit.

Quae quidem commissio, generale in primis peragendae liturgicae instaurationis programma, ponderoso ad hoc edito volumine confecit, paulo vero post exemplum quoddam practicum futurae instaurationis exhibuit, Vigiliam Paschalem prius anno 1951, Ordinem deinde totius Hebdomadae Sanctae instauratum parando, quem, praehabito em.morum Patrum Sacris Ritibus tuendis praepositorum favorabili suffragio, idem Summus Pontifex Pius XII promulgandum anno 1955, ac in posterum servandum mandavit. Postquam vero, ineunte anno 1959, Summus Pontifex Ioannes XXIII, quem divina Providentia diu sospitem servet,

felicissimum edidit nuntium de Oecumenico Concilio Vaticano II mox coadunando, consentaneum erat ut generalis instaurationis studia intermitterentur, eo quidem consilio ut altiora principia generalem liturgicam instaurationem respicientia, prouti expresse idem S. P. Ioannes XXIII scribebat in suo Motu Proprio diei 25 iulii anni 1960, Patribus in Concilio Vaticano II coadunatis ad iudicandum proponerentur.

Quod utique factum conspicitur in proposito schemate constitutionis *de sacra Liturgia.*

Huiusmodi autem schema confectum est a pontificia commissione praeparatoria de sacra Liturgia, quam Summus Pontifex die 5 iunii anni 1960 constituit, quaeque, praeter praesidem ac secretarium, viginti quattuor membris constabat, inter quae 7 numerantur episcopi, et 35 consultoribus quorum 5 episcopali dignitate aucti. Adnotare iuvat omnes hos exc.mos ac rev.mos viros ea ratione fuisse selectos ut et omnes mundi partes in sinu commissionis repraesentarentur, et una simul ut viri seligerentur scientiae liturgicae et pastoralis necnon et caeremoniarum sacrarum, musicae et artis sacrae praeclarissimi cultores. Qui quidem exc.mi ac rev.mi viri prae oculis habentes copiosissima episcoporum vota ad Concilium Oecumenicum Vaticanum II apparandum proposita, sub praesidentia em.mi card. Caietani Cicognani, commissionis praeparatoriae praesidis, schema constitutionis *de sacra Liturgia* navi studio parandum susceperunt, sequentibus criteriis potissimum innixi, nimirum:

a) maximam habendam esse curam de sacro patrimonio liturgico servando;

b) altiora principia esse statuenda, quibus futura generalis liturgica instauratio peragi debeat;

c) dispositiones practicas ac rubricales e fundamento doctrinali esse derivandas;

d) clericos magis magisque liturgico spiritu esse imbuendos, in eoque profundius instituendos ita ut eiusdem spiritus apti fiant magistri ac duces inter fideles;

e) fideles denique magis in dies ad activam participationem adducendos esse.

His itaque generalioribus innixi principiis, exc.mi ac rev.mi viri commissionis praeparatoriae, schema confecerunt quod tandem, multis interiectis disceptationibus et emendationibus, definitive ab ipsis probatum fuit mense ianuario vertentis anni 1962. Idem schema deinceps, referente em.mo card. Larraona, qui post mortem em.mi ac desideratissimi card. Caietani Cicognani in eius locum successit, a commissione praeparatoria centrali examinatum, emendatum probatumque fuit.

Quo factum est ut, ad novissimam hanc formam reductum, schema em.morum ac rev.morum Patrum Conciliarium iudicio nunc subiciatur.

Schema autem, quod in exhibito volumine prostat a pag. 155 ad pag. 201, praeter generale quoddam prooemium, quo momentum praesertim extollitur sacrae Liturgiae in vita Ecclesiae, octo complectitur capita, quorum argumentum iuvat statim indicare.

Cap. I agit *de principiis generalibus ad sacram Liturgiam instaurandam atque fovendam.* Cap. II, *de sacrosancto Eucharistiae mysterio.* Cap. III, *de sacramentis et sacramentalibus.* Cap. IV, *de officio divino.* Cap. V, *de anno liturgico.* Cap. VI, *de sacra supellectile.* Cap. VII, *de musica sacra.* Cap. VIII et ultimum, *de arte sacra.*

Ex his octo capitibus, longe maioris momenti et amplitudinis est cap. I, quippe quod fundamenta doctrinalia proponat de sacra Liturgia et de principiis agat generalioribus, quae valent etiam pro materia in reliquis capitibus contenta; principia proinde quae semel hic proponuntur ne postea in singulis capitibus repeti debeant.

Universum vero cap. I quinque sectionibus constat:

Sectio I, quae inscribitur *De sacrae Liturgiae natura eiusque momento in vita Ecclesiae,* conceptum theologicum sacrae Liturgiae tradere intendit, et locum designare qui sacrae Liturgiae competit, respectu habito sive ad externam actuositatem Ecclesiae, sive ad vitam spiritualem fidelium, sive ad alia pietatis exercitia quae extra ambitum Liturgiae celebrantur.

Secunda Sectio, cui titulus *De liturgica institutione et de actuosa participatione prosequendis,* tractat de liturgica institutione sive clericorum sive fidelium, et diversae proponuntur dispositiones quae ad finem assequendum aptae existimatae sunt.

Tertia Sectio, quae titulum habet *De sacrae Liturgiae instauratione,* peculiaris sane momenti est. Pro futura itaque generali liturgica instauratione peragenda, quinque principia fundamentalia enunciantur:

1) omnem obscuritatem in sacris ritibus exstruendis, quantum fieri potest, esse vitandam;

2) traditionem liturgicam religiose esse servandam at, una simul, legitimum progressum esse admittendum;

3) hunc vero progressum, seu potius hanc sacrae Liturgiae novis necessitatibus occurrentibus adaptationem, specialissimo modo pro Missionibus esse commendandum;

4) attenta indole catechetica et pastorali sacrae Liturgiae, structuram rituum ita fidelium captui esse accommodandam ut multis non indigeat explicationibus. Praeterea, attenta didactica sacrae Liturgiae

indole, ritus ipsos elementis didacticis e Sacra Scriptura desumptis auctos esse debere quae argumentum pro catechesi praebeant;

5um denique principium desumitur ex natura hierarchica et communitaria sacrae Liturgiae, et eius adspectum dynamicum respicit qui postulat ut omnes adstantes, iuxta eorum condicionem, veri sacri ritus participes fiant, numquam vero muti spectatores.

Sectio IV, quae inscribitur *De vita liturgica in dioecesi et in paroecia fovenda,* spiritum illum ecclesialem sacrae Liturgiae instaurare intendit quo fideles paroeciae circa parochum, paroeciae vero circa episcopum coadunatos quodammodo se sentiant, constituentes familiam Dei.

Sectio denique quinta et ultima cui titulus *De actione pastorali liturgica promovenda,* apta indicat media ad sacram Liturgiam fovendam, inter quae merito primum locum obtinent commissiones liturgicae sive nationales sive dioecesanae, necnon et aliae commissiones collaterales de musica et de arte sacra.

Haec sunt praecipua quae de primo ac praestantiore capite huius schematis recensenda censui. De aliis capitibus, saltem pro nunc, nil addendum esse putarem, nisi forsan aliquid de capite IV, quod ratione materiae summi momenti dici debet; agit namque de officio divino. Huiusmodi itaque caput compositum fuit a commissione praeparatoria prae oculis habitis episcoporum votis ad rem anno 1956 a felicis memoriae Pio Papa XII postulatis.

Aliorum capitum argumenta, quae graves quandoque quaestiones tangunt, tali sobrietate et perspicuitate sunt proposita ut fusiore commentario, ad generalem saltem illustrationem quae nunc requiritur, indigere non videantur. Dixi.

Praeses card. GILROY:

Et nunc ad animadversiones veniamus. Sunt 25 Patres qui verbum petierunt ad sermonem habendum de schemate in genere. Em.mi cardinales, exc.mi patriarchae et exc.mi archiepiscopi enumerantur ordine canonicae praecedentiae; exc.mi episcopi, absque ordine.

3 – PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Schema propositum quasi est testamentum Pii Papae XII, piae recordationis, qui vestigiis S. Pii Papae X inhaerens audacter inchoavit inaugurationem sacrae Liturgiae.

Hoc schema commendatur per linguam qua utitur vere plenam spiritu Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum, linguam modestam et vere pastoralem. Hoc schema commendatur per postulationes valde moderatas praesertim quoad usum linguarum vernacularum. Hoc schema commendatur per pondus ipsius materiae quam tractat; nam sacra Liturgia non est tantum res externa et formalis, non tantum modus orandi Ecclesiae, sed continet ipsam intimam vitam Ecclesiae, communionem mysticam inter Deum et homines, continuam repraesentationem mortis Domini Nostri Iesu Christi ante conspectum Patris omnipotentis.

Proponere audeo sequentia:

1. Textus originalis huius schematis qui propositus erat commissioni centrali iterum imprimatur et omnibus Patribus exhibeatur cum declarationibus, quia hoc modo quod nunc adhuc est abstractum et indefinitum in schemate quod in manibus habemus, clarius apparebit.

Declarationes quae pertinent ad usum linguarum vernacularum inserantur in schema definitivum.

2. Nota, quae est in prima pagina, in qua dicitur exsecutionem huius constitutionis reliquendam esse Apostolicae Sedi, deleatur quia iam est in ipso textu in n. 16 et quidem melius, quia ibi dicitur: *Libros liturgicos infra paucos annos esse retractandos scilicet a Sancta Sede peritis ex universo orbe adhibitis.*

3. Quoad usum linguarum vernacularum restituatur textus primigenius in quo dictum erat esse Conferentiarum Nationalium statuere, quid liceat in hac re *actis a Sancta Sede recognitis;* id est modus qui valet pro Synodis Dioecesanis.

4. Ubi agitur de musica sacra in lingua vernacula addatur: « *Curent episcopi ut fideles instituantur in exercendo cantu gregoriano quippe*

qui est cantus proprius et officialis linguae latinae ita ut si fideles diversarum linguarum conveniunt, una voce laudare possint Deum ».

De cetero censeo esse nobile officium huius almi Concilii instaurationem sacrae Liturgiae a Papa demortuo inceptam ad felicem finem perducere. Dixi.

Textus scripto traditus:

Schema de S. Liturgia est quasi testamentum Pii Papae XII p. m., qui vestigiis S. Pii X inhaerens audacter inchoavit instaurationem S. Liturgiae. Commendatur hoc Schema per linguam qua utitur spiritu S. Scripturae et SS. Patrum plenam, modestam et vere pastoralem; commendatur per postulationes moderatas, praesertim quoad usum linguae vulgaris; commendatur per pondus ipsius materiae, quia S. Liturgia non est res mere formalis et externa sed continet ipsam intimam vitam Ecclesiae, communionem mysticam inter Deum et homines, repraesentationem continuam mortis Domini nostri Iesu Christi ante conspectum Dei Patris omnipotentis.

Proponere audeo:

1) Ut textus originalis huius Schematis, qui Commissioni Centrali propositus fuerat cum suis declarationibus, denuo imprimatur et omnibus patribus exhibeatur, ut quod in textu quem nunc in manibus habemus est nimis abstractum et indefinitum clarius appareat. Declarationes quae pertinent ad usum linguae vulgaris inserantur in textum definitivum.

2) Deleatur Nota in prima pagina apposita, secundum quam Sedi Apostolicae relinquitur exsecutio Constitutionis, quia idem iam dictum est in n. 16, et quidem melius, ordinando, libros liturgicos intra paucos annos esse recognoscendos, sc. ab Apostolica Sede, « *peritis ex universo orbe adhibitis* ».

3) Quoad usum linguae vernaculae restituatur textus primigenius, secundum quem est conferentiarum nationalium statuere, in quantum lingua vulgaris adhibeatur « actis a Sancta Sede recognitis », non tantum ut nunc dicitur « Sanctae Sedi proponere ».

4) Quoad cantum apponantur n. 24 vel 41 haec verba: « Curent Episcopi, ut fideles instituantur in exercendo cantu gregoriano, quippe qui est proprius et officialis ecclesiae latinae, ita ut si sint uniti cum fidelibus aliarum linguarum una voce cum iis possint laudare Deum ».

De cetero mihi videtur nobile officium huius Concilii opus instaurandae S. Liturgiae a Papa demortuo coeptum ad finem felicem perducere.

2

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Parcite mihi si canam extra chorum.[1] In prooemio, pag. 1, lin. 31-33, legimus: *Ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare intelli-*

genda sunt, nisi agatur de his quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.

Submisso animo opinor in Concilio Oecumenico, praecipue quia oecumenicum est, sanciri debere quae ad universam Ecclesiam pertinent, non quae solum ad ipsius partem. In Italia e. g. habetur etiam venerandus ritus ambrosianus, cur iste negligeretur? Cur nihil de sacris ritibus orientalibus?

Proinde nunc ea tantum principia (seu normae) tractanda et statuenda mihi videntur quae convenire censentur tum ritui romano, tum reliquis ritibus; peculiaria autem quae ad singulos ritus pertinent decernenda demandentur Congregationi Sacrorum Rituum vel, si agatur de ritibus orientalibus, Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali.

Quod si schema, prout nobis exhibetur, perpendendum censetur, quaedam saltem aperte addantur pro reliquis venerabilibus ritibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

3

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

Venerabiles Patres,

1. Censeo disceptationem hanc primam schema constitutionis *de sacra Liturgia* in genere seu globatim sumptum prospectare; in sequentibus autem congregationibus puto singula capita seu articulos Patrum examini esse subiicienda.

2. Circa ergo schema ita globatim sumptum ante omnia compertum habeo Patres quibus schema ipsum elapso mense iulio missum fuerat, quique suam mentem aperire poterant intra *decimam quintam diem* [1] septembris *subsequentis,* [2] nonnullas utique animadversiones — non *equidem omnes* [3] eiusdem ponderis — circa singula elementa aut etiam *singula* [4] verba diligenter proposuisse; omnes vero, quantum mihi *nosse est datum,* [5] ipsum schema globatim acceptum habuisse.

3. Et revera, illud *in suo complexu mihi* [6] consideranti, haec indubia apparent:

a) Haec constitutio *de sacra Liturgia* in deductionibus suis semper praesentem habet theologicam doctrinam.

In prooemio revera et in primo capite principia theologica prospectantur; neque tamen eo intentu ut tractatus theologiae, prout fit in

scholis, exhibeatur; sed ut solidum praebeatur fundamentum duplici subsequenti constructioni, quae nempe est ad fovendam Sanctam Liturgiam et ad eam « instaurandam », ut verbo isto « instaurare » utar, quo *iam*[7] inde ab anno 1951 documenta pontificia *pluries*[8] sunt usa, cuiusque technicum — ut ita dicam — sensum et significationis ambitum consecrarunt.

Neque in hac tali principiorum theologicorum summa constitutio contendit ad technicam definitionem S. Liturgiae pervenire, sed tantum exhibet descriptionem illarum notarum quae ab omnibus S. *ipsi*[9] Liturgiae propriae agnoscuntur; quod enim n. 3 exprimitur non classica definitio est per genus proximum et differentiam specificam (quod inquirendum studiosis relinquitur), sed sufficiens conceptus ad S. Liturgiae ambitum et opus cognoscendum; prout etiam evenit et in Litteris Encyclicis *Mediator Dei.*

Doctrina enim constitutionis eadem prorsus est ac doctrina in illis Litteris Encyclicis exposita; erat tamen constitutionis munus doctrinam hanc summatim revocare ut, quae secuturae sunt normae, solidum haberent fundamentum.

b) Normae generales — quae sequuntur inde a n. 16 ad n. 31 — clarae exinde apparent; et solide fundatae; illae quoque quae desumuntur ab adaptatione Liturgiae ad ingenium et traditiones populorum, quaeque inspirantur normis a Summis Pontificibus inde a Papa Benedicto XV f. r. proclamatis *circa opus missionarium;*[10] eaedem normae magis *ac magis*[11] videntur urgendae hoc historiae momento, dum gentes omnes culturalem...[12] et civilem promotionem ambiunt feliciter et consequuntur.

c) Applicationes Normarum ad singulas actiones liturgicas et ad singula liturgica elementa — inde nempe a cap. II usque ad cap. VIII — utique, in particularibus, animadversionibus *et emendamentis*[13] obnoxiae sunt; sed clare in suo complexu apparent consonae actioni Sedis Apostolicae, praesertim inde a Pio XII...[14]

Etenim revera in traditione semper fundantur. Principium quidem amplectuntur ulterioris perfectionis seu sanae — ut utar verbo quod in Litteris *Mediator Dei* pluries — *decies ni fallor*[15] — recurrit — *sanae*[16] « progressionis », prout de cetero proprium est omnis...[17] viventis: — Liturgia ut ait Pius XII, est « aliquid vivum » — sed, immo praecise propter hoc, semper in eodem principiorum et traditionis spiritu.

Neque revera has applicationes ampliores aut maioris momenti aut novitatem magis sapientes quis dixerit quam instaurationes iam a S. Sede probatas, immo promotas: prout sunt e. g. Vigilia nova Paschalis et

felicissima illa nova ieiunii eucharistici disciplina et concessio Missarum in horis vespertinis.

d) Opportunae vero, imo necessariae illae applicationes apparent ut magis conscia, actuosa et fructuosa evadat participatio fidelium sacris mysteriis.

Non enim ex sterili archeologismo aut ab insano novitatis pruritu illae promanant, sed ab instantia quotidiana pastorum *et ab exigentiis* [18] pastoralibus, cum participatio actuosa S. Liturgiae sit, iuxta memoranda verba S. Pii X, prima et insubstituibilis fons spiritus christiani.

Velint, oro, Episcopi Ecclesiarum illarum quae nunc temporis heroicum testimonium Iesu Christo feliciter reddunt, non silentes sed voce magis quam sanguinis *voce Abel* [19] loquentes, quaeque scholis, diariis, laicorum coetibus et conventibus carent, et solam sacram *servant* [20] Liturgiam, velint, oro, dicere nobis quae sit Liturgiae efficacia et vis ad animos efformandos fortes in fide.

Velint et Pastores nascentium Ecclesiarum confiteri quanta qualisve sit pastoralis necessitas instaurationis, quam schema nobis propositum prospicit et promovet.

Quod ad me attinet, humillime testari possum vitam liturgicam muneri meo pastorali, vitae spirituali communitatis fidelium, iustitiae praesertim et *caritatis sensui educando,* [21] esse veraciter et feliciter ditissimum et pretiosissimum adiutorium.

Quapropter, proposito schemati globatim sumpto et salvo de particularibus emendationibus iudicio, meam adprobationem libentissime in Domino dabo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] diem decimam quintam. [2] deest. [3] omnes equidem. [4] deest. [5] datum est nosse. [6] mihi in suo complexu. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] de opere missionario. [11] magisque. [12] politicam. [13] deest. [14] f. r. [15] (decies?). [16] deest. [17] rei. [18] ab exigentiis nempe. [19] Abel voce. [20] habent. [21] caritati.

4

EM.MUS P. D. IOANNES B. CARD. MONTINI
Archiepiscopus Mediolanensis

Liceat mihi quoque, ut metropolitae regionis Longobardiae et moderatori ritus ambrosiani, votum proferre, quo schema propositum quoad substantiam aperte approbem et hunc Patrum coetum amplissimum rogem, ut principio faveat, quo totum schema mihi videtur inniti: hoc

principium eo spectat ut S. Liturgiae maxima efficacia pastoralis tribuatur.

Etenim schema videtur magnopere commendari propter ea quae in par. 5 affirmantur, scilicet: *Licet sacra Liturgia non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae, est tamen in suo centro, quod est Divinum Eucharistiae Sacrificium, culmen ad quod omnia tendere debent, et simul a quo omnia procedunt.*

In hoc igitur schemate *de sacra Liturgia,* si totum spectetur, vera quaedam aequabilitas habetur, ut opinor, inter duas sententias, quae pariter fini pastorali Concilii officiunt, scilicet:

1. Schema non est huiusmodi ut cedatur iis, qui cum levitate animi et ad suum arbitrium innovationes inducere volunt, vel, quod peius est, hoc modo damnum inferunt rebus divinis et humanis, magni aestimandis, quae in sacra Liturgia continentur et ad gentem christianam per tot saeculorum decursum transmissae sunt, germanae huius traditionis unitate, quoad substantiam, servata. Ii qui ritum ambrosianum sequuntur, peculiari ratione, ad hoc quod attinet, se fideles praebere cupiunt.

2. Schema insuper non favet opinioni eorum, qui asserunt ritum debere esse omnino immutabilem, seu qui caerimoniis historia traditis nimis adhaerent et formam, qua cultus exprimitur, praeferunt ei, quod hac ipsa forma essentialiter significatur...[1]

Itaque propositum schema efficere videtur, ut duabus rebus constanter inhaereatur: essentiae ipsius Liturgiae, quae omnino defendi debet atque servari, et formae traditae seu historicae, scilicet modo, quo celebratio divinorum mysteriorum quasi vestitur; quae quidem forma mutari potest, prudenter tamen sapienterque et ad aptiores rationes revocari. Schema igitur nequaquam imminuit cultus catholici patrimonium divinum et a maioribus acceptum, sed permittit et suadet, ut commissiones post Concilium instituendae — in quibus etiam episcopi qui pastores sunt animarum, praesentes esse debent — idem patrimonium reddant planius, magis comprehensibile et utilius hominibus nostrae aetatis, quibus ut pastores ex conscientia officio obligamur.

Etenim propter onus nostri, quo traditionem formarum ecclesiasticarum tueri debemus, nihil detrahere licet de obligatione etiam maiori, qua tum Deo et Christo, tum populo christiano et hominibus temporum nostrorum devincimur. Novimus enim societatem hanc nostram, tanto in discrimine versantem quoad religionem, praesertim ope verbi liturgici hodie ad Christum, ad Ecclesiam, ad salutem pervenire posse.

Hoc recogitandum est, maxime cum agitur de lingua in cultu adhibenda, usus linguae antiquae et a maioribus traditae, videlicet linguae

latinae pro Ecclesia latina, firmus sit ac stabilis in iis partibus ritus quae sunt sacramentales ac proprie vereque sacerdotales. Hoc ideo fieri debet, ut unitas Corporis Mystici orantis...[2] accuratio sacrarum formularum religiose serventur. Tamen ad populum quod attinet, quaevis difficultas intelligendi auferatur in partibus didacticis sacrae Liturgiae, ac detur fidelibus quoque facultas exprimendi verbis comprehensibilibus preces suas, quas Deo adhibent.

Non enim licet nobis oblivisci quod S. Paulus in cap. 14, *1 Cor.* diserte docet, scilicet affirmat eum qui orat in Ecclesia, mente intelligere debere id, quod ore efferat et respondere « *Amen* » scientem quid dicat. Liturgia nempe pro hominibus est instituta, non homines pro Liturgia. Ipsa est precatio communitatis christianae; si cupimus, ne haec communitas templa nostra deserat, sed ut eo libenter accedat ibique ad interiorem animae vitam formetur et fidem suam digne exprimat, prudenter, sed sine mora et cunctatione, amoveri debet impedimentum linguae quae intelligi nequit, vel admodum paucis tantum est accommodata, quaeque gentem nostram non ad participandum cultum divinum allicit, sed ab eo abalienat, quemadmodum egregie enuntiatur in par. 24 constitutionis examinandae.

Sententiae Sancti Augustini meminisse vanum non erit, quae monet: *Melius est reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi* (in *Ps.* 138, 20).

Item laudandum mihi videtur principium vi cuius caerimoniae in simpliciorem formam redigendae sint, non ad minuendam cultus pulchritudinem et uberem significationem, sed ad efficiendum ut caerimoniarum brevitati recte consulatur et repetitiones omnesque implicationes vitentur; quo principio reformatio liturgica, quae annuntiatur, innititur, idemque indoli hominum, etiam piorum ac fidelium, qui nostra aetate sunt, valde congruit.

Quasdam autem animadversiones peculiares scripto consignatas mihi addere placet, quae commissioni ad quam spectat proponuntur, illam imprimis, quae respicit Liturgias religiosorum; optarem enim ut pag. 169 post par. 32 mentio fiat vel nova paragraphus inducatur de liturgiis, rite recognitis, si opus fuerit, religiosorum exemptorum ob historicum earum momentum et spiritualem dignitatem...[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] hoc autem eo pertinet, ut inter Deum et animam, inter Deum et communitatem christifidelium intimae rationes intercedant. Illi vero ignorare videntur mutationes et necessitates gravissimas quae in vita hominum recentissima hac aetate ortae sunt. [2] et. [3] Quoad schema constitutionis de S. Liturgia haec mihi videntur peculiari ratione animadvertenda:

pag. 167, par. 25: Una conficiatur S. Scripturae authentica versio in singulos sermones vulgares, qua omnes uti debeant sive in liturgicis ritibus sive in catechesi tradenda. Pag. 169, par. 31, linn. 6-7: « salvis consuetudinibus... »: haec exceptio, cum vim omnem auferat normae propositae, meo iudicio expungenda est. Pag. ib., par. 32: auctoritas, qua quivis episcopus in sua cathedrali ecclesia polleat, maior sit ea, qua aetate nostra uti potest in iis, quae ad cultum et administrationem pertinent. Pag. 176, par. 44, lin. 23: loco « aliter » scribatur « digne ». Pag. 180, par. 48: instauratio catechumenatus adultorum, in plures gradus divisi, non est facile ad usum deducenda; sit summum in cuiusque libera facultate posita. Pag. 182, par. 63: nova paragrapho inducta enuntietur cardinalis dignitatem religioso quodam ritu esse impertiendam. Pag. 187, par. 72, lin. 1-2: orationi dominicae ad Laudes et Vesperas dignior locus tribuatur, ita ut haec oratio iis in horis quasi fastigium emineat. Symbolum apostolicum seu *Credo* in Officio Divino, saltem die dominica, iterum suum locum obtineat.

5

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

De principiis generalibus ad sacram Liturgiam instaurandam et fovendam, optime exponitur sub nn. 1 et 2 sacrae Liturgiae natura eiusque momentum in vita Ecclesiae, liturgica institutio et actuosa participatio. Sine dubio maxima cura adhiberi debet ad procurandam tam in clero quam in populo christiano consciam, actuosam et fructuosiorem participationem sacrarum celebrationum, et cavendum est a mera divulgatione et participatione tantum externa, quae forsitan speciem praebet verae vitae liturgicae, sed ab adoratione in spiritu et veritate multum distat.

Sub n. 3 agitur de sacrae Liturgiae instauratione. Bene recolitur liturgiam constare parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus mutationibus obnoxiis, quae decursu temporum variare possunt vel etiam debent. Eiusmodi mutationes admitti possunt quatenus ad legitimam progressionem requiruntur et ad veram utilitatem Ecclesiae conferunt, quae ut attingatur, retinenda est sana traditio et instituenda accurata investigatio non solum theologica et historica, sed etiam pastoralis. Sunt quidem tam inter clerum quam inter populum qui, imbuti potius quodam « historicismo » quam vero sensu pastorali, magnas innovationes exoptant quin utilitatem fidelium satis perpendant.

In his rebus pastores animarum non semper idem sentiunt ac illi qui aspectum speculativum et historicum cognitum habent. Ex. gr. pa-

rochus *semper* [1] curam habere debet multorum millium fidelium, qui diebus dominicis et festivis S. Sacrificio assistunt.

Caveatur ne structura liturgica, quae fortasse opportuna videatur in monasteriis, in domibus religiosis, vel etiam in paroeciis exiguis, non sine fidelium detrimento omnibus totius Orbis paroeciis imponatur. Quare ne fiant innovationes nisi vera Ecclesiae utilitas id exigat, et adhibeatur cautela ut novae formae liturgicae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant (p. 165, n. 15, lin. 10).

Eadem prae oculis habeantur in libris liturgicis recognoscendis, et sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant (p. 164, n. 17), praesertim quatenus permulti ex plebe christiana assueti sunt ad Missale Romanum adhibendum dum Sacro assistunt.

Ecclesia, in iis quae fidem aut bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit (p. 165, a lin. 22). Ideo in substantiali unitate ritus romani legitimis varietatibus et aptationibus locus relinquatur pro diversis coetibus, regionibus et populis, praesertim in Missionibus. Ne autem imponantur novae varietates in locis ubi formae usitatae ad populi ingenium et traditiones iam inventae sunt aptissimae. Sic, v. g. in aliquibus regionibus unio desideratissima inter fideles et Sacerdotem celebrantem efficacius obtinetur usu Librorum Missalium quam praxi Missae sic dictae « dialogatae ». His in rebus opus est maxima prudentia, ne fides et devotio populi potius debilitentur quam foveantur.

Etsi unitas fidei servanda admitti nequit tamquam unicum principium in Liturgia ordinanda, in genere est norma maxima. Ideo adprobanda non esse videntur praevia experimenta quibusdam coetibus praestanda (p. 166, n. 22), utpote apta ad confusionem, admirationem et damnum populi christiani inducendum. Fideles, praesertim simpliciores, facile scandalizari possunt cum videant Ecclesiam immutabilem saepius in ritibus mutari. Ex altera parte, milites nostri et alii per varias mundi partes peregrinantes, semper admirantur mirificam Ecclesiae in lingua ritibusque unitatem, ex qua multum lucrantur. Etiam acatholici admirantur praestantem unitatem tum doctrinalem tum ritualem Ecclesiae catholicae. Notandum etiam quod huiusmodi « experimenta » et innovationes augent tam pro fidelibus quam pro clero impensa, quae apud multos iam inveniuntur perdifficilia. Eadem de causa, si quae aptationes et innovationes in ritibus et libris liturgicis necessariae iudicantur, multum prodest non singulis interdum aliam post aliam, sed multas simul promulgare.

Quoad quaestionem de lingua liturgica distinguenda sunt, ex una

parte Sacrificium Eucharisticum, et ex altera parte Sacramenta, Sacramentalia et aliae actiones liturgicae.

Ad Sacrificium Eucharisticum prae primis applicanda sunt verba huius constitutionis: *Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur* (p. 167, n. 24).

Lingua latina enim, quae est lingua vere catholica, immutabilis, non vulgaris, sicut per plura saecula ad unitatem Ecclesiae occidentalis custodiendam contulit, ita etiam nunc inter populos christianos vinculum arctissimum efficere potest, praesertim cum adhibetur in celebrando S. Sacrificio, quod est centrum totius Liturgiae et essentialiter actio est, quae participationem actuosam requirit. Ii qui linguam latinam non intelligunt ad manus habere possunt libros « *Missales* » cum versione in lingua vernacula, qua actionem S. Sacrificii sat facile sequi possunt.

In eadem constitutione proponitur ut linguae vernaculae tribuatur congruus locus in Missis cum populo celebrandis (p. 176, n. 41). Hoc autem intelligendum est de lectionibus, de oratione communi et nonnullis cantibus, non de ritibus ad ipsam Missam pertinentibus. Praeterea statuitur ut eiusmodi usus linguae vernaculae fiat ad normam art. 24 huius constitutionis, secundum quam Conferentiae Episcopalis erit limites et modum linguae vernaculae in Liturgia admittendae S. Sedi proponere.

Ad Sacramenta quod attinet, prae oculis habendum est ea ad hominum sanctificationem ordinari eorumque Fidem verbis ac rebus erudire et alere. Ideo in eis administrandis amplior locus tribui potest linguae vernaculae ut plenius attingatur finis pastoralis. In hac constitutione statuitur: « *In nova editione* typica *Ritualis romani, clare indicentur partes, quae in Ritualibus particularibus lingua vulgari dici possunt* » (p. 179, n. 47).

Ritus Baptismi, primi Sacramenti initiationis in Christum et Ecclesiam, iam magna ex parte peraguntur in lingua vernacula, quae eadem ratione adhiberi potest in administrando Sacramento Confirmationis, quo ea mystica initiatio perficitur. Sacramentum Unctionis infirmorum, dato peculiari eius fine, bene se praebet *administrandi*[2] in lingua vernacula. Sacramentum Matrimonii universaliter administratur in lingua vernacula, ut vix aliter fieri potest, cum ipsi sponsi illud sibi mutuo administrent. Ideo convenit etiam ut eis eadem lingua praebeantur instructiones, adhortationes et preces. In hac constitutione proponitur ut oratio super sponsam ita opportune emendetur, ut supra utrumque coniugem recitari valeat et dicatur lingua vernacula (p. 182, n. 63).

Ad Sacramentalia quod attinet, benedictiones rerum in lingua latina retineri possunt, sed Sacramentalia quae fidelibus praesentibus peragun-

tur vel eis administrantur, cum eundem finem pastoralem *habent,*[3] opportune peragentur in lingua vernacula, v. g. benedictio mulieris post partum.

Denique in actionibus liturgicis praeter Missam, amplior locus tribui potest linguae vernaculae in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et canticis (p. 167, n. 24).

In his omnibus servanda erit norma art. 24, scilicet quod Conferentiae Episcopales limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae S. Sedi proponent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] saepe. [2] administrationi. [3] habeant.

6

Em.mus P. D. IULIUS Card. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Fratres,

Libenter assentiens ex corde commendo constitutionem *de sacra Liturgia* nobis propositam; quippe quae inter schemata *hac vice* [1] nobis oblata, optimum laboris conciliaris praebet exordium...[2]

Certe [3] inter vota valde divergentia *episcoporum ante Concilium* [4] feliciter medium tenens iter, constitutio *nostra* [5] canones nobis praebet vere moderatos. Fideliter servat traditionem venerabilem Ecclesiae Romanae, non destruens, sed aedificans secundum exigentias temporis nostri et probata principia experientiae pastoralis.

Quod innumeri fideles a Concilio exspectant — *exspectant vere* [6] —, constitutio implet. Omnibus fidelibus, etiam laicis, locum in S. Liturgia unicuique in ordine hierarchico competentem assignat. Viam parat, ut omnes in auditione Verbi et celebratione mysteriorum necnon in orationibus Sanctae Matris Ecclesiae actuose participent. Portas etiam quam latissime aperit, ut fideles ex omni gente et lingua cum plena intelligentia et perfecto cordis affectu sequi possint, quod externe agunt.

Neque obliviscitur constitutio sacerdotum in opere nobis cooperatorum...[7] Etiam ipsis latius aperiuntur portae, ut in angustiis vitae hodiernae pastoralis facilius atque uberius possint haurire de fontibus Salvatoris tum ex Missae Sacrificio, tum ex Officio Divino atque tota S. Liturgia.

In hoc assentio [8] rev.mo card. Frings, quod optandum esset ut Patribus declarationes, brevae et lucidae, quae ad singulas paragraphos a

commissione praeparatoria praeparatae sunt, ad utilitatem Patrum in manus darentur.

Quoad notam praeviam in calce tituli (pag. 155), quae non subiacuit commissioni centrali, hoc (etiam cum em.mo card. Frings) advertendum videtur: erronee putare quis posset in constitutione nostra non valere regulas concretas, quae minime desunt, sed solummodo principia generalia. Magnum damnum, ut mihi videtur, ex hoc emergeret, si a Concilio solummodo principia generalia statuerentur. Opportunum esse videtur propter extentionem Ritus Romani et exspectationes multorum fidelium, in Concilio etiam regulas concretas de Ritu Romano tractandas esse. Tunc enim — si solummodo principia generalia tractarentur — nova experimenta et iteratae mutationes necessaria fierent et finalis Liturgiae instauratio nimis protraheretur. Certissime, cum hisce in temporibus sacrae Liturgiae cognitio in dies evadat profundior sacrorumque rituum evolutio expedite progrediatur, maxime hodie opus est patientia in illis multis a nobis desideratis immutationibus temporis anteacti; tamen valde desiderandum est, ut denique forma stabilis introducatur, sicut natura et dignitas cultus divini exigit et auctoritas Ecclesiae.

Proinde propono, ut haec Sacra Synodus humiliter petat a Summo Pontifice, ut hac constitutione pertractata nominetur commissio, quae statim ex mandato ipsius S. Synodi et secundum regulas ab eadem in hac constitutione decretas atque a Summo Pontifice confirmatas suscipiat laborem et intra paucos annos exaret novos libros liturgicos, incipiendo a breviario.

Specialem merentur considerationem, quae de lingua liturgica statuuntur in nostro schemate, praesertim in n. 24 (pag. 167). Magna cum temperantia proceditur ad solutionem problematis, quae magis in dies urget. Uti munere episcopi ecclesiae Berolinensis *annis anteactis* [9] functus experiendo novi, saepissime *pro fidelibus in territorio atheo infensis ac inimicis Ecclesiae,*[10] S. Liturgia praecipuus, immo aliquoties fere unicus est fons vitae religiosae et instructionis catecheticae atque unica occasio orationis communis fidelium. *Ibi saepe non prosunt commentatores et missalia, sed necesse est ut structura Liturgiae ipsa clara sit, simplex, et uti possint etiam ipsi celebrantes in locis opportunis lingua vernacula.*[11] Sed et in aliis regionibus vita spiritualis praecipue pendet a fructuosa *et viva* [12] participatione Liturgiae. Unde valde placent, quae statuuntur hac in re...[13] et principium, quod eis subiacet, scilicet: servetur linguae latinae usus, *propter diversa emolumenta de quibus iam audivimus*;[14] admittatur tamen lingua vernacula, ubi salus animarum seu actuosa participatio populi hoc suadet.

In fine autem huius n. 24 restituatur, — *etiam in hoc assentio*

em.mo card. Frings,[15] — textus a commissione praeparatoria exaratus, ita ut Conferentiae Episcopales regionum ipsae statuant limites et modum linguae vernaculae in Liturgia admittendae, actis *scilicet*[16] a S. Sede recognitis in analogia ad can. 291. Quod enim *nostra*[17] constitutio, *sicuti nunc iacet,*[18] declarat, scilicet res supradictae S. Sedi proponi posse, non eget, *ut mihi videtur,*[19] decreto conciliari...[20] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] In partibus theologicis sapit sanam S. Scripturae et Traditionis doctrinam, cui innititur. Lingua spiritu Ss. Bibliorum inuncta effulget, ita ut S. Liturgia appareat in splendore suo genuino. Oboediens expressae Suae Sanctitatis voluntati, Commissio praeparatoria sollerter auscultavit votis episcoporum, quae in ipsa Constitutione nobis proposita saepissime ex « Actis *et* Documentis » citantur. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] qui portant nobiscum « pondus diei et aestus » in vinea Domini. [8] loco « In hoc assentio ... et auctoritas Ecclesiae » legitur: Constitutionis schema, cum commissioni centrali proponeretur, continebat post singulas paragraphos declarationes breves et lucidas, utilitati Patrum destinatas, minime autem partes textus officialis facientes. Sine dubio Patres grati essent Consilio Praesidentiae, si eis saltem praestantiores ad manus darentur ad melius intelligendum tenorem Constitutionis. *Ad singulos articulos Constitutionis* plura adhuc animadvertenda essent; verba autem mea limitare volo ad « Notam » in pag. 155 in calce tituli positam necnon ad tria quaedam argumenta in schemate a commissione praeparatoria exarata olim plenius exposita, in praesenti autem textu post disceptationes commissionis centralis confecto mutata et restricta, quae vero tanti momenti mihi esse videntur, ut nihilominus iterum considerationi et discussioni subiiciantur. Quoad notam praeviam in calce tituli (pag. 155), quae non subiacuit commissioni centrali, hoc animadvertendum videtur: erronee putare quis posset in constitutione non valere regulas concretas, quae quidem minime desunt, sed principia tantum generalia. Magnum damnum emergeret, si a Concilio solummodo principia generalia statuerentur. Opportunum est Concilium tractare de *ritus romani* instauratione, etsi sensu stricto est ritus particularis, propter eius extensionem maximam et exspectationem fidelium. Tunc enim nova experimenta et iteratae immutationes necessaria fierent et finalis Liturgiae instauratio nimis protraheretur. Certissime cum hisce in temporibus S. Liturgiae cognitio in dies evadat profundior sacrorumque rituum evolutio expedite progrediatur, maxime nobis opus est patientia; tamen valde desiderandum est ut denique forma stabilis introducatur, sicut natura et dignitas cultus divini exigit et auctoritas Ecclesiae. Cui scopo constitutio proposita optime respondet. [9] deest. [10] deest. [11] Considera v. g. regiones sub dominatione athea, ubi celebratio liturgica revera tanquam unica via remansit, qua homines verbum Dei seu veritatem audire et communiter orare possunt. [12] deest. [13] a constitutione. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] Quae sequuntur non legebantur, sed tenentur.

In n. 44 (pag. 176), *ubi de usu concelebrationis sacramentalis amplificando agitur,* restituantur, quae a Commissione praeparatoria proposita erant; i. e. post litteram *a*), quae non est mutata, sequatur:

b) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis, ubi plures sacerdotes adsunt, quam utilitas fidelium requirit, salva semper cuiusque

sacerdotis libertate individualiter celebrandi, non tamen in eadem ecclesia, eodem tempore;

c) ad conventus sacerdotum, ut sunt exercitia spiritualia, cursus studiorum, peregrinationes etc., praesertim ubi singulae Missae sine incommodo celebrari nequeunt;

d) ad extraordinarias celebrationes festivas, exempli causa occasione Synodi dioecesanae, visitationis pastoralis (concelebratio episcopi una cum clero illius parochiae).

Ratio huius petitionis est:

Textus hic praeiacens concelebrationem quasi ut meram exceptionem et concessionem raram, ad providendum difficultatibus extrinsecis destinatam, exhibere videtur. E contra concelebratio fuit usus vere legitimus in Ecclesia Romana Medii Aevi et apud fratres Orientales usque ad nostra tempora ut talis magni aestimatur. Proinde in omnibus casibus supra indicatis concelebrationem non solum ad superandas difficultates practicas, sed etiam fovendae pietatis causa admittendam esse duco.

In n. 77 (pag. 188) *de lingua adhibenda in recitatione Divini Officii tractante,* in linea 6 restituatur paragraphus a commissione centrali deleta, quae sic sonabat:

Ubi tamen cognitio linguae Latinae valde insufficiens est neque adest spes legitima rem funditus mutatum iri, Conferentiarum Episcopalium erit in singulis regionibus normas statuere circa usum alterius linguae, ad normam art. 24 huius constitutionis.

Declaratio:

Pluribus in regionibus sacerdotii candidati in scholis publicis, quas deficientibus scholis ecclesiasticis frequentare conati sunt, insufficienter tantum instruuntur cognitione linguae Latinae. Unde textus breviarii non satis intelligere possunt. Hoc factum autem gravia incommoda secumfert:

Vita spiritualis illorum sacerdotum contabescet, cum divitiae breviarii ab eis praeclusae remaneant. Quidam mere externe persolvunt Divinum Officium; alii anxietate conscientiae torquentur; alii invocant principium theologiae moralis, secundum quod lex ecclesiastica positiva non obligat dato incommodo gravi extrinseco, et adhibent editionem breviarii in lingua vernacula confectam. Praedicatio illorum sacerdotum arida et sterilis fit, cum non sit informata sapientia ex lectione cotidiana sacrorum textuum hausta. Detrimentum patitur etiam glorificatio Dei; quantumvis nempe etiam oratio in lingua ignota Deo placere potest propter intentionem bonam orantis, tamen ad perfectionem orationis certe requiritur, ut etiam interne et corde vivo preces effundantur.

7

EM.MUS P. D. PETRUS CARD. TATSUO DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Em.mi, exc.mi et ven. Patres,

Schema constitutionis *de sacra Liturgia* in genere placet quia est bene exaratum et utile ad augendam participationem fidelium in sacra Liturgia.

Valde optanda est maior aptatio sacrae Liturgiae ad mentem et gustum populorum extremi orientis.

Ideo Conferentiis episcoporum singularum Nationum concedatur amplior facultas ordinandi sacram Liturgiam ad hunc finem, sicut proponitur in schemate. Dixi.

8

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Post attentam considerationem constitutionis sacrae Liturgiae a me et ab aliis confratribus meis factam, sincere desidero de schemate gratulari membris commissionis praeparatoriae. Constitutio enim, in sua substantiali structura, sollicitudinem curamque Pastorum bene explanat. Gratias proinde publice excipiant omnes qui ad schema quocumque modo adlaboraverint.

Nunc vero aliquas volo annotationes generales praebere ad ipsum optimum schema perficiendum.

Ante omnia autem ex ipso expungenda est affirmatio quaedam in prooemio inserta, quae nihil in eo vellet dogmatice definiendum. Hanc expunctionem peto quia talis negativa declaratio extenuat vim Magisterii extraordinarii huius S. Synodis Oecumenicae; insuper autem dogmaticae definitiones ex ipso verborum tenore clare constare debent, quod quidem in praesenti schemate nullibi videtur accidere.

Meae ergo annotationes *generales* [1] sunt hae quinque:

1. Cum mysterium supremum in tota revelatione et historia salutis sit ipse Deus in sua intima vita trinitaria, constitutio deberet apertius et expressioribus verbis hoc maximum mysterium indicare, ad

quod cognoscendum ac fruendum Angeli in caelo et homines in terris procreati sunt. Schema iam plene Scripturas Sacras et mysterium Christi optime sapit, sed pretium eius certe augeret si melius Trinitatis mysterium collustraret, praesertim si maiorem locum daret Spiritui Sancto, qui est revera ipsius Ecclesiae anima ac totius vitae liturgicae intimus actor.

2. Ista maior instantia in vivificatrici opere Divini Spiritus, qui ipse est personaliter Amor, secumferre deberet explicitam, etsi brevem, enuntiationem primatus caritatis in vita Ecclesiae, unde clarius in activitate liturgica excludatur periculum alicuius, ut ita dicam, « formalismi », qui caritatem non spectaret uti culmen vitae christianae. Suprema in terris baptizatorum industria est actus caritatis, et actus caritatis maxime exprimitur in martyrio; martyrium autem non est per se actio liturgica, quamquam procedit ex supernaturali gratia de Liturgiae fonte promananti.

3. Necessarium videtur in constitutione proponere synthesim biblico-patristicam de doctrina sacerdotii spiritualis laicorum, quia Baptismatis character est participatio sacerdotii Christi. Cum autem, ex una parte Concilium nostrum de laicis habeat specialem sollicitudinem, et ex altera parte Liturgia sit exercitium sacerdotii Christi in omnibus eius membris, utilis videtur non ambigua pronuntiatio de laicorum baptismali sacerdotio.

4. Censemus insuper esse vere magni momenti, opportunum atque fructuosissimum tradere Conferentiis episcoporum specialem auctoritatem. Quamvis huius constitutionis non sit de episcopatus doctrina peragere (quam quidem in congruo schemate quam primum aperte proponendam exoptamus), prorsus necessarium iudicamus istis Conferentiis tribuere munus plura expedite moderandi, secundum temporum ac regionum diversitatem, ita ut vitetur illa sic dicta exaggerata « centralizatio » quae pastoralem laborem debilitat.

5. Denique autem gratulari iterum cupimus membris commissionis praeparatoriae quia quam plurimorum Pastorum petitiones prae oculis habuerunt ad linguae vernaculae usurpationem in Liturgia occidentali. Necessarium arbitramur linguam vivam communitatis orantis locum idoneum in Liturgia habere. Sacramentalia signa (verba autem et lingua sunt in signo partes privilegiatae) adhibentur non ad mysteria velamine contegenda, sed ad ipsa manifestanda. Primaeva autem Ecclesia non statuit dialectum aramaeam, qua Iesus locutus est, esse linguam liturgicam, et ipsa antiqua Ecclesia Romana linguam graecam pro latina in Liturgia mutavit quando fideles ipsam iam non intelligebant.

Absque dubio ista innovatio plura involvit problemata; difficultates

tamen non debent prohibere determinationem quae certe fructuosissima erit pro supernaturali vita fidelium.

Perspicua tamen distinctio facienda est inter usum linguae vernaculae in Liturgia et studium latinae linguae in seminariis, ubi melius ac gravius alumni in linguam latinam incumbere debent.

Istis quinque adnotationibus generalibus iunctae sunt aliae observationes concretae et ad singulas paragraphos primi capitis pertinentes, quarum lectio in decem momentis impossibilis evadit. Ipsas Secretariatui tradam ut in considerationem commissionis veniant...[2] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Omnes annotationes istae proveniunt ex studio ac disceptationibus meorum in episcopatu fratrum, qui pro Christi Ecclesia strenue adlaborant in dioecesibus reipublicae chilensis.

9

Exc.mus P. D. PAULUS II CHEIKHO
Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum

Em.mi ac rev.mi Patres,

Valde optatur a parte mea ut applicetur Ecclesiis Orientalibus magna pars materiae quae dicta est in schemate constitutionis *de sacra Liturgia.* Etenim ea quae in capitibus I et V et VIII referuntur non solo ritui romano, sed singulis ritibus conveniunt.

In capite I agitur de principiis generalibus ad sacram Liturgiam instaurandam atque fovendam.

In capite V agitur de anno liturgico.

In capite VIII agitur de arte sacra.

De his omnibus eodem modo ac in istis capitibus tractatur in ritibus orientalibus. Dixi.

10

Exc.mus P. D. AEGIDIUS VAGNOZZI
Archiepiscopus tit. Myrensis

Em.mi ac rev.mi Patres,

Haec animadvertenda a Patribus humiliter censeo:

1. Ne nimio innovationis spiritui indulgeatur, quia Liturgia, sicuti nunc est, sacrum et venerabile monumentum fidei Ecclesiae Catholicae est, tum in ritibus occidentalibus tum in ritibus orientalibus.

2. Schemata istius sectionis liturgicae saepe verbosa apparent, magis poetico et ascetico, quam stricto theologico sermone concinnata, et tractatus liturgicus magis quam schema conciliare videtur.

3. Sermo theologicus saepe vagus quandoquidem inexactus apparet; humiliter censeo principia doctrinalia Liturgiae a S. Pontifice Pio XII melius et strictiore formula in Encyclica *Mediator Dei* enunciata, a Concilii Patribus verbatim adoptari possent, potius quam schemata nobis proposita. Dixi sermonem theologicum quandoquidem inexactum esse quia ex. gr. in schemate V huius capitis pag. 161 lin. 10 dicitur: *Sacra Liturgia ... est tamen in suo centro, quod est divinum Eucharistiae sacrificium, culmen ad quod omnia tendere debent, et simul fons a quo omnia procedunt.* Sed reapse et theologice, culmen ad quod omnia tendere debent et simul fons a quo omnia procedunt est Deus Unus et Trinus, qui cum Eucharistiae sacrificio non identificatur.

Meo iudicio haec ante omnia et uno obtutu enuncianda et statuenda oporterent:

Primo: Sacra Liturgia nititur, veluti suo fundamento, opere Redemptionis quod Christus peregit.

Secundo: Sacra Liturgia constituit cultum publicum a Mystico Corpore Christi exhibitum.

Tertio: Sacra Liturgia efficit sanctificationem hominis quae operante et exercitante Sacerdotio Christi attingitur.

In secunda paragrapho istius capitis de uno tantum e mysteriis vitae Christi fit mentio, seu de Paschatis mysterio, ceteris omnibus mysteriis intermissis, praesertim Christi incarnatione. Id sane non confert ad aequi ponderis rationem instituendam inter sacram Liturgiam et vitam hominis christianam.

In fine,[1] Patribus Concilii...[2] propono ut integra pars doctrinalis istius sectionis liturgicae subiciatur examini commissionis de Doctrina fidei et morum, quae suas observationes offerat antequam ultimam decisionem singuli Patres emittant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] postremo. [2] humiliter.

11

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Em.me Praeses,

Cum omnia quae dicere volui iam bene dicta sunt, quamvis forsitan non ab ultimo exc.mo oratore, brevitatis charismate motus, iuri loquendi renuntio.

Textus scripto traditus:

Faustum indubie est quod schema pro prima disceptatione propositum illud sit de liturgia. Pulcherrimum schema est, suavi et vivo Sacrae Scripturae affectu, ut verbis ipsius schematis utar, repletum. Fortiter optandum est ut et cetera schemata eodem spiritu vivificentur. Debemus ex intimo corde commissioni praeparatoriae gratias agere pro schemate tam bene confecto.

Id quod prae caeteris mihi placet est expositio illa lucida in schemate contenta de vera et genuina liturgiae natura eiusque in vita Ecclesiae momento. Uti clare e schemate elucet, finis primarius et supremus Ecclesiae est Deum glorificare.

Ecclesia sane tota sua natura tendit ad salutem animarum, seu, ut melius nostris temporibus dicitur, ad salutem populi Dei. Sed salus populi est gloria Dei, secundum verba illa psalmi 105:

« Salvos nos fac, Domine, Deus noster,
Et congrega nos de nationibus,
Ut celebremus nomen sanctum tuum,
Et gloriemur de laude tua ».

Quo magis, igitur, aliquid in Ecclesia Deum glorificat, eo vehementius ad finem primarium Ecclesiae tendit. Nunc autem medium supremum, quamvis, ut schema bene notat, certe non unicum, ad Deum glorificandum est ipsa liturgia, atque praecipua manifestatio Ecclesiae habetur in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in celebrationibus liturgicis.

Praeterea id quod maxima consideratione dignum est relate ad liturgiam est quod Ecclesia non potest Deum glorificare sine eo quod immediate et abundanter a divina largitate dona pretiosissima accipiat — dona vitae divinae, fidei, spei, amoris et zelus apostolici. Motus liturgicus semper duplex est: motus adorationis populi ad Deum Patrem per Christum Caput a Spiritu Sancto incitatus, et motus misericordiae a Deo Patre ad populum suum per Christum Caput in Spiritu Sancto. Dona illa aedificant corpus Christi, populum Dei, communitatem christianam.

Schema argumentum hoc aptissime illustrat verba citans Actorum Apostolorum: « Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus ... collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem » (*Act.* 2, 41-47). Verba haec bene indicant tria illa elementa quae sunt manifestationes principaliores externae vitae Ecclesiae et actionem apostolicam quasi constituunt, scilicet doctrinam, liturgiam et « gratiam ad populum » seu testimonium vitae christianae. Vita Ecclesiae natura sua apostolica et missionaria est, et ad spi-

ritum apostolicum constituendum necessaria sunt illa tria elementa, doctrina, liturgia, et testimonium vitae christianae.

Ecclesia Hierosolymitana, elementis illis ditissime praedita, fuit kat'exochen communitas caritatis et zelus apostolici. Quando propter persecutionem dispersi sunt fideles, facti sunt nuntii verbi in omnibus regionibus in quibus recepti sunt, in Iudea et Samaria (uti legimus in capite 8 Actorum Apostolorum) et in Phoenice, Cypro et Antiochia (uti in capite 11 apparet).

Si spiritum apostolicum in Ecclesia renovare volumus (et hoc, ut censeo, finis est huius Concilii Oecumenici) necessarium erit vitam liturgicam restaurare, non quidem separatim a renovatione catechetica et morali sed in consociatione intima cum illis. Et haec restauratio fieri potest, mihi videtur, tantum si expositionem schematis de momento liturgiae ardenter amplectimur, eiusque vota de participatione fidelium, necnon de accommodatione structura et lingua liturgica fideliter prosequimur.

Animadversiones hae ore prolatae non sunt, cum auctor iudicavit rem ab oratoribus prioribus sufficienter iam tractatam esse.

12

Exc.mus P. D. GUILFORD CLYDE YOUNG

Archiepiscopus Hobartensis

Em.mi Principes,

Et, si licet, et salva reverentia, Fratres venerabiles in Christo.

Iam ea quae ego volebam dicere, bene, pulcherrime dicta sunt ab omnibus illis qui valde commendarunt hoc schema. Proinde ius meum subiicio.

13

Exc.mus P. D. ALOISIUS DEL ROSARIO

Archiepiscopus Zamboangensis

Venia vestra, em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres, velim duas quaestiones vestrae considerationi humiliter ac breviter proponere.

Prima quaestio est de nomenclatura adhibita. Cuilibet legenti schemata et instructiones circa methodum servandam patet tria nomina ibidem legi: *constitutiones, decreta, canones.* Iamvero magnopere expedit scire an haec tria nomina unam eamdemque rem significent vel potius tres normas iuridice diversas exprimant. In hac secunda hypothesi oportet etiam quaerere quodnam est discrimen iuridicum inter haec tria.

Altera quaestio est de ordine laborum. Codex Iuris Canonici iam initio libri primi proponit normas servandas post promulgationem Codicis Canonici; quaenam scilicet ex conventionibus cum S. Sede, ex pri-

vilegiis, ex indultis, ex consuetudinibus, ex legibus universalibus et particularibus manebunt et quaenam censeri debeant abrogata. Fortasse oporteat etiam in hoc Concilio Vaticano II eamdem methodum sequi ita ut, ante omnia, sciamus normas servandas post promulgationem huius Concilii; quaenam scilicet manere debeant ex iure vigenti, quaenam autem censeri debeant abrogata vel mutata. Dixi.

Textus scripto traditus:

Venia Vestra, Eminentissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Patres, velim duas quaestiones vestrae considerationi humiliter ac breviter proponere.

Prima quaestio est de nomenclatura adhibita. Cuilibet legenti schemata et instructiones circa methodum servandam patet tria ibidem legi... constitutiones, decreta, canones. Iamvero magnopere expedit scire utrum haec tria unam eamdemque rem significent, vel tres normas iuridicas diversas exprimant; et in hac secunda hypotesi ulterius quaeri potest quomodo hae tres normae inter se iuridice distinguantur.

Altera quaestio est de ordine laborum. Codex Iuris Canonici iam initio libri primi dat normas servandas post promulgationem eiusdem Codicis; quid nempe sentiendum de conventionibus cum Sancta Sede initis, de iuribus quaesitis, de consuetudinibus, de privilegiis, et de legibus tam universalibus quam particularibus. Quaenam scilicet ex his vigere pergent post promulgationem Codicis, quaenam mutata vel abrogata censeri debeant.

Iamvero fortasse oporteat ut nos in hoc Concilio Vaticano Secundo eamdem methodum sequamur; ita ut iam ab initio nobis dentur normae servandae post promulgationem huius Concilii. Quaenam scilicet ex legibus vigere debeant quaenam abrogari vel mutari post promulgationem huius Concilii.

Hoc facto Excellentissimi Patres melius cognoscent gravitatem sui muneris et, meliore cognitione rerum agendarum muniti, tutius et liberius sua vota dare poterunt.

14

EXC.MUS P. D. IOANNES B. SCAPINELLI DE LEGUIGNO
Archiepiscopus tit. Laodicensis ad Libanum

Multa quidem et bene dicta sunt; unum tantum dicam.

In praesenti schemate mihi videtur non haberi tam clara, uti desideraretur, distinctio inter ritum quatenus est *forma liturgici cultus* et ritum quatenus est complexus legum et legitimarum consuetudinum, quae constitutionem hierarchicam, regimen et disciplinam spectant.

Etenim ritus, in hoc altero sensu, comprehendit non solum formam liturgici cultus, sed etiam omnes particularitates constitutionis hierarchicae, regiminis et disciplinae lege vel consuetudine legitime introductas, seu significat communitatem vel Ecclesiam quae tali universitate legum et consuetudinum regitur; *exinde dicitur, v. g. Ecclesia ritus latini, ritus*

byzantini, ritus armeni, etc. Quamobrem ad evitandas dissensiones utile mihi esse videtur ut in prooemio huius schematis, si et quatenus id fieri poterit et Patribus opportunum videbitur, modo explicanda differentia ritus adnotetur, et deinde, ut declaretur quod hic agitur de forma liturgici cultus quae viget in Ecclesia ritus latini. Dixi.

Textus scripto traditus:

Licet in praesenti schemate inter principia et normas multa habeantur, quae ex ipsa rei natura Ecclesiam, non tantum latini ritus, sed etiam orientalium rituum respiciunt vel eidem applicari debeant aut possint, nihilominus nonnullae hinc inveniuntur normae disciplinares, quae per se praeiudicium sacris Liturgiis orientalibus afferre possunt. Ratio in eo praecise consistit, quod in praesenti schemate non habetur tam clara, uti desideraretur, distinctio inter ritum quatenus est *forma liturgici cultus* et ritum quatenus est *complexus legum et legitimarum consuetudinum,* quae constitutionem hierarchicam, regimen et disciplinam spectant. Etenim, ritus, in hoc altero sensu, comprehendit non solum formam liturgici cultus, sed etiam omnes particularitates constitutionis hierarchicae, regiminis et disciplinae lege vel consuetudine legitima introductas, seu significat Communitatem vel Ecclesiam quae tali universitate legum et consuetudinum regitur; exinde dicitur v. g. Ecclesia ritus latini, ritus byzantini, ritus armeni etc. ...

Quamobrem, ad evitandas inutiles disceptationes vel dissensiones, utile esse videtur, ut in prooemio huius schematis vel alio in loco, si et quatenus id fieri poterit et Patribus opportunum videbitur, modo explicata differentia ritus adnotetur et, deinde, ut declaretur quod hic agitur de forma liturgici cultus, quae viget in Ecclesia ritus latini.

15

EXC.MUS P. D. HENRICUS DANTE
Archiepiscopus tit. Carpasiensis

Em.mi et exc.mi Patres,

Schema constitutionis *de sacra Liturgia,* uti nobis proponitur, non in omnibus mihi placet. Haec, meo humili iudicio, animadvertenda esse puto.

1. Concilium statuere debet tantum principia et normas generales ad S. Liturgiam instaurandam atque fovendam, et non ad nimia particularia descendere. Hoc opus ad varias commissiones pertinet a Concilio statuendas quae, a peritis in re liturgica compositae, suo tempore revisionem, instaurationem et aptationem S. Liturgiae peragent, praesertim in libris liturgicis...[1] in Sacrosancto Missae Sacrificio, in administratione Sacramentorum et aliis rebus sacris.

2. Saepe in isto schemate innovationes, aptationes, revisiones demandantur Conferentiis episcopalibus, vel etiam ipsis episcopis; bene

quidem si agatur tantum de proponendis, non autem de approbandis mutationibus. Iudicium et approbatio cuiuscumque mutationis unice S. Sedi reservari debet. Hoc postulat unitas et uniformitas liturgiae in Ecclesia latina.

3. Lingua adhibenda in ritu romano in integra Missa et Officio divino sit lingua latina. Vernaculae linguae unice adhibendae sunt in catechesi et sermone ad populum.

4. Communio sub utraque specie omnino reicienda est. Hoc postulant rationes quae inde a pluribus saeculis hunc usum reliquerunt, pericula insita in ista administratione, et rationes hygienicae.

5. Etiam concelebratio non videtur admittenda, praesertim si agatur de Missis privatis. Si agatur de concelebratione facienda cum episcopo, in casibus particularibus, opportunitas et concessio huius concelebrationis sicut et numerus concelebrantium unice iudicio S. Sedis reservetur.

6. Infra Missam nulla fiat administratio Sacramentorum, nisi Ordinis et Episcopatus: quae directam relationem habent cum Sacrosancto Sacrificio. Forsan hoc extendi potest ad Professionem sollemnem Ordinum et Religionum clericalium. Pariter eliminetur abusus offerendi infra Missam dona quam maxime disiuncta, sed tantum panis et vinum, materia Sacrificii, offerri potest.

7. Officium divinum conservetur, quantum fieri potest, in sua actuali divisione per Horas, et recitatio totius psalterii in duas hebdomadas, non ultra, absolvi potest.

8. Recitatio in lingua latina Officii divini remaneat obligatoria pro iis qui a iure adstringuntur ratione ordinis sacri, beneficii aut regulae religiosae.

9. Nihil dicitur in schemate de Sanctorum cultu et de Martyrologio Romano reformando. Corpora sic dicta sancta, quae e coemeteriis, praesertim urbis, extracta sunt recentioribus saeculis, omnino a cultu removeantur.

10. Nihil insuper dicitur in schemate de reformandis processibus in causis beatificationis et canonizationis, qui tamen indigent revisione.

11. Nihil dicitur de sacris reliquiis, de eorum recognitione et veneratione.

12. Nihil tandem de aliis ritibus a romano distinctis, praesertim Ecclesiarum orientalium: qui et ipsi revisione et aptatione indigent.

De his omissionibus rogo commissionem conciliarem de sacra Liturgia ut nobis schemata proponantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Missali, Breviario, Rituali etc.).

16

Exc.mus P. D. FIDELIS GARCÍA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Em.mi et rev.mi Patres,

...[1] Sequentes circa schema in genere *de sacra Liturgia* emendationes sacri Concilii iudicio reverenter *subicio*:[2]

1. Optandum esset ut totius schematis materia, retentis quoad substantiam sensu generali ac decretis eiusdem, in breviorem et magis compendiarium textum, quantum fas sit, contrahatur.

2. At, ex alia parte, ut caput, quod deest, addatur de cultu sacrarum reliquiarum, in quo cultu non pauci dantur abusus cum Religionis dedecore. In hoc capite id, inter alia, decernendum foret: ut omnes Sanctorum reliquiae, quae vera careant authenticitate, immo, quae non solum hominibus impiis vel multitudini advenae, quae *turistica* dicitur, sed etiam ipsis fidelibus christianis aliquantulum excultis, potius quam pietatis, irrisionis occasionem praebent; ut exempla quaedam indicemus harum pseudoreliquiarum, quae in ipsis celebrioribus et cathedralicis templis exhibentur, sint: portiones ex manna deserti, ex Aaronis virga, ex tenebris Aegypti, ex lacte B. V. M., ex cingulo S. Ioseph, etc. etc.; decernendum — inquam — foret ut hae omnes pseudoreliquiae, vel nulla saltem authenticitate gaudentes, sub altari aliquo Ecclesiae reverenter sepeliantur, quin de ipsis in posterum mentio ulla fiat.

Alia habeo proponenda circa singula capita schematis, quae suo tempore, cum de his agatur, dicam.[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Infrascriptus Concilii Pater. [2] submittit. [3] deest.

17

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF
Episcopus Limburgensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Schema propositum *de sacra Liturgia,* bene respondere videtur intentioni Summi Pontificis f. r., qui sacro Concilio Oecumenico vitam Ecclesiae, ut dicit, in venas huius temporis inicere vult, cum praedictum

schema programma quoddam renovationis religiosae et ecclesiasticae contineat. Sperandum enim est multos impulsos a praedicta renovatione sacrae Liturgiae esse processuros. Duo vero desideria proponere liceat quoad principia haec generaliora.

1. In renovatione sanctae Liturgiae id studendum videtur ut ad mentem traditionis liturgicae respiciantur formae hodiernae vitae socialis. Talia enim signa liturgica sint oportet ut homo modernus sentiat actione sacra, conditiones suae ipsius vitae religiosae atque socialis intendi ac agi.

2. Respiciantur item tendentiae oecumenicae sanae et legitimae. Sacra Liturgia renovanda minuat dissentiones inter diversas confessiones earumque ritus. Item augeat communem thesaurum orationum et cantuum. Dixi.

18

Em.mus P. D. LAUREANUS Card. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

Praeses, em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Episcopi Continentis Africae, Madagascar et Insularum unanimiter magno cum gaudio, schema hoc *de sacra Liturgia* receperunt et ego, eorum nomine auctoribus schematis ex animo debitam gratitudinem exprimendam esse censeo.

Omnium oculis praefulget influxus quem sacra Liturgia ex ipsa sua natura exercet in populum christianum, qui fidem suam per ipsam Liturgiam exprimit.

Hoc schema tum inspiratione tum ipsis verbis respondet expectationi christianorum populorum nostrarum regionum, in quibus Ecclesia viget usque ac floret, et pro certo habemus haec, si probentur, initium fore efflorescentiae novae novique influxus Liturgiae pastoralis.

In primis, quidem, quia culturis non occidentalibus possibilitatem praebet, ut modo suo, laudes divinas exhibeant et instructionem religiosam christianis nostris, modo ipsis consono, impertiant.

In discussione schematis episcopi nostri occasionem non omittent de rebus singulis, ubi visum fuerit, propriam sententiam declarare. Attamen, in universum, quia ipsi vel ex eisdem culturis originem ducunt, vel cum ipsis per multos iam annos intime coniunguntur, eo pluris faciunt momentum huiusce schematis, eiusque pro futuris temporibus utilitatem.

Quapropter speciali modo gaudent quod schema Liturgiae id Con-

ferentiis episcopalibus committat, ut, cum apostolicae Sedis approbatione, adaptationes opportunae in cultum divinum inducantur, quae traditionibus ingenioque singulorum populorum magis congruant. Dixi.

19

Exc.mus P. D. CAROLUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Em.mi Praesides et exc.mi et rev.mi Fratres,

Quae dicam non spectant solum ad schema de Liturgia, sed ad omnia schemata. Humiliter et sincere haec dicere audeo: est sententia mea, quod, quae in huius sacratissimae Synodi schematibus ex serie prima a commissionibus antepraeparatoriis, necnon a commissione centrali scripta sunt, haec omnia, secundum meam sententiam, apprime collata, redacta et exposita sunt, difficulter melius fieri potest; potest quidem, sed mihi videtur non oportere melius fieri. Reapse fere semper schema nihil exponit nisi ipsam doctrinam catholicam de qua nemo dubitat. Et proinde peto a Patribus Conciliaribus: decernatur neminem velle apparere cum meliore expositione constitutionum, flagitare correctiones in eis rebus quae doctrinam explicant. Erit tempus perdere, fortasse quis meliorem redactionem facere possit, ast non oportet, quia omnia, ut videre licet, satis bene declarata sunt. De illis tantum theoretice Patres opinionem propriam exponant, quae eis fortasse non sufficienter doctrinam catholicam exhibere videatur, aut quando forsitan sentiant rem errores continere, sive si certe exsistiment, quidquam non esse satis clare exhibitum.

Theoretice, omittamus alia: quia finis Concilii non est theoretice aliquid dicere, sed, sicut dixit et scripsit SS. Dominus Noster, finis Concilii est « aggiornamento » rerum ecclesiasticarum; ergo ad practicam, ad pastoralem solummodo studium nostrum applicemus. Eapropter rogo Patres ut solummodo ad decreta mentem suam vertant. Statuatur nemo opiniones suas longius et latius expandat quasi episcopi disserere opus esset. Longior expositio esset magna probatio patientiae nostrae. Ad rem nihil conferret, insuper tempus inutiliter adhiberetur necnon dignitati episcoporum paulum consuleret. E contrario si quis aliquid, ad maius bonum Ecclesiae, Concilii Patribus proferre velit quod valde utile et desiderandum omnino est, primo sententiam suam claris et paucis verbis aperiat, secundo concrete loquatur, non generalibus verbis, concrete loquatur, dicens quid agendum vel statuendum sit, fortasse exemplar ferat, exemplar suae opinionis, quo statim videatur quae ita proponenda tradatur.

Resumitur. Primo de constitutionibus nihil disceptetur nisi aliter exprimi debeat. In disceptationibus decretorum concrete. non generalibus verbis aliquid praesentetur. Dixi.

Textus scripto traditus:

1. Quae in huius *Sacrosanctae Synodi* Schemate primo, serie prima, a Commissionibus Ante-praeparatoriis necnon Centrali scripta sunt, apprime collata, redacta, exposita inveniuntur. Difficulter melius fieri potest. Reapse Schema nihil expandit, nisi ipsam Doctrinam Catholicam, de qua non dubitatur.

Quare:

1) Peto, ut a Patribus Conciliaribus decernatur, neminem velle apparere cum meliore expositione *Constitutionum,* vel flagitare correctiones in eis rebus, quae doctrinam explicant; erit tempus perdere. Fortasse quis meliorem redactionem facere possit, ast non oportet, quia omnia, ut dictum est et videri licet, declaratissime et ultro valde adaequate sunt dicta.

2) De iis tantum *theoretice* Patres opinionem propriam exponant, quae eis fortasse non sufficienter doctrinam catholicam exhibere videantur; aut, quando forsitan censent rem errores continere, quod non reor; sive, si certe existiment quidquam non esse satis clare exhibitum.

2. Attamen Concilium ad hoc non est a Pontifice coadunatum, ut imprimis theorice et abstracte Doctrina Ecclesiae explanetur. Etsi necessarium, quidem, non est haec ratio Concilii, tamen. Iuxta mentem et verba Romani Pontificis finis Concilii est « *aggiornamento* » rerum ecclesiasticarum. Ad hunc finem practicum et pastoralem omne studium Patrum Conciliarium applicandum.

Eapropter:

3) Rogo Patres, ut solummodo ad *Decreta* mentem suam vertant; in quibus, si quid *concretius* stabiliri est, praesentetur.

4) Statuatur, nemo opiniones suas longius et latius expandat. Quasi Episcopi doceri opus esset! Longior expositio esset magna probatio patientiae, ad rem nihil conferret, insuper tempus inutiliter adhiberetur, necque dignitati Episcoporum consuleret.

5) E contrario, si quis aliquid ad maius bonum Ecclesiae, Concilii, Patrum proferre velit, quod valde utile et desiderandum omnino est:

a) sententiam suam *claris et paucis verbis* aperiat;

b) *concrete* loquatur, dicens quid agendum vel statuendum sit; fortasse exemplum — ut ita dicam exemplar — suae opinionis praebeat, quo statim videatur, quid a Proponente tradatur, seu quid postuletur.

Resumitur: 1. De Constitutionibus nihil disceptetur, nisi ubi evidenter appareat, aliquid aliter exprimi *debere.*

2. In disceptationibus Decretorum propositiones *concrete,* non generalibus verbis, praesententur.

20

Exc.mus P. D. ALFONSUS M. UNGARELLI

Episcopus tit. Azurensis, prael. null. Pinerensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Sollemne et pulcherrimum, prout convenit materiae disserendae, est prooemium schematis constitutionis sacrae Liturgiae.

Sed humiliter animadvertere auderem, conclusionem prooemii quasi arctare finem Concilii, necnon et ipsos terminos instaurationis liturgicae. Etenim:

1. Non videtur oecumenicum, *scil. universale* [1] in hoc Concilio agi tantum de ritu romano, cum Concilium convocatum sit ad res agendas totius Ecclesiae. Et si agimus tantum de ritu romano, ipsi ritui romano revera summum et fere unicum pondus attribuimus, quamvis dicatur Concilium in pari honore habere omnes alios ritus orientales et occidentales. Saltem in prooemio perlucide explicandum esset cur non agatur de ritibus orientalibus.

2. Attamen, deterius videtur quaestionem ita proponere ut excludatur quaevis immutatio maioris momenti, ut v. g. creatio novorum rituum, quos plures Patres forsitan necessarios aut convenientes censeant.

In schemate enim constitutionis, sermo est de Liturgia occidentali, immo de ritu romano, ideoque de lingua latina quae, in liturgia occidentali, sola adhiberi debet in toto orbe terrarum: in regionibus ergo sicuti Africa, India, China, Japonia, etc. in quibus nihil commune cum Occidente reperitur.

Sed hoc postulatum, i. e. quod lingua latina adhibenda sit in mundo universo, non videtur convenire fini sacrae Liturgiae his rationibus:

Prima ratio: Huiusmodi postulatum videtur obstare unioni Ecclesiarum.

In Concilio Vaticano I, ex definitione infallibilitatis, in tuto posita est unitas regiminis — unus pastor — sed nunc consulendum est de universo populo christiano in unum colligendo, ut impleatur optatum D. N. I. C.: *Pro eis* (*rogo*), *qui credituri sunt in me, ut omnes unum sint, ut credat mundus quod Tu me misisti* (*Io.* 17, 20-21).

Iam vero, si universa Liturgia occidentalis servare debet usum linguae latinae (p. 167, n. 24, lin. 10-11), ...[2] impedimentum retinetur non necessarium conciliationi cum Fratribus separatis, ex. gr. cum protestantibus, qui lingua vernacula utuntur, et in Ecclesiam catholicam forsitan facilius introirent, dempto impedimento linguae...[3]

Secunda ratio: Postulatum quod diximus videtur plus etiam obstare evangelizationi infidelium, ad quam Christus Dominus nos omnes compellit: *Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere* (*Io.* 10, 16), *Euntes ergo docete omnes gentes* (*Mt.* 28, 19).

Revera valde opportunum videtur quod saltem disseratur de convenientia instituendi novas Liturgias, quae non sint Liturgia latina, pro gentibus ad religionem christianam vocatis, speciatim pro illis quae florent eruditione et doctrina penitus alienis ab humanitate graeca et latina.

Non tantum locutio et dictio, sed et ipsa forma mentis et ratio vitae penitus coniungitur cum lingua cuiusque populi. Fieri non potest quin lingua latina secum trahat permultas institutiones humanas quae, etsi venerabiles sint, nullatenus debent aliis gentibus imponi. Gentes enim non obstringuntur nisi ad nuntium divinum accipiendum, minime ad humanitatem occidentalem accipiendam, sua posthabita humanitate.

Ita christiana religio linguae latinae, ideoque humanitati occidentali inserta, populis non latinis videbitur prorsus aliena, et habita erit pro religione extera, quae in discrimen dat mores et institutiones patrias.

Catholica religio, igitur, fit religio invisa, non ex natura Verbi Divini praedicati, sed ex apparatu humano quo Evangelium vestitur.

Hic videtur invenienda ultima ratio debilitatis actionis missionariae catholicae inter gentes altioris humanitatis, ut puta, Chinam, Indiam et Japoniam; quae debilitas sane minor apparet in populis minus eruditis, ex eo quod eruditione et doctrina evoluta carentes, minorem difficultatem experiantur in studiis et litteris occidentalibus excipiendis.

Quapropter necessarium aestimamus linguam latinam reservandam esse gentibus vere occidentalibus, ita ut populis humanitate occidentali non imbutis novae Liturgiae accommodentur in suis propriis linguis exaratae. Si hoc non facimus, evangelizatio mundi languidiores et tardiores progressus faciet.

Tertia ratio: Nolumus hic praetermittere quod si excipiantur liturgiae in lingua vulgari, facilior redderetur institutio eorum qui vocati sunt ad ministerium sacerdotale, quod res magni momenti esse potest, ubi Ecclesia angustiatur propter penuriam sacerdotum.

3. Denique, prooemium nobis videtur aliquo modo discors, ex sequentibus rationibus:

Prior ratio: Hinc dicitur in schemate: *Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes aequo iure atque honore habere, in futuro servari, et omnimode foveri velle* (Prooem., pag. 157, lin. 35; pag. 158, lin. 1-2). Ergo, varietas rituum nunc exsistentium pro magno bono habetur.

Ex altera parte vero, in eodem schemate ne possibilitas quidem animadvertitur novos ritus instituendi, quasi fecunditas Ecclesiae exhausta esset prioribus saeculis. Sed si antiquitus idoneum visum est instituere ritus diversos, et talis idoneitas immutata manet, cur hodie idoneum non erit institutio novorum rituum, si multis in locis res se habent plus minusve sicut antiquis temporibus? Et si magno honore habentur illi veteres ritus, tamquam monumenta venerabilia, nonne maioris momenti erit imitari praxim Ecclesiae priorum saeculorum, quae mire se accommodabat ad ingenium omnium populorum ut omnes ad Christum perduceret?

Altera ratio. ...[4]

Praeses: Satis, satis!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] etsi insuper exigitur ut novationes liturgicae in lingua vernacula conformari debeant editioni typicae ritualis romani. [3] Ceterum in ipso populo catholico occidentali, post Concilium Tridentinum, lingua latina arctius haesit liturgiae et tanquam adversatio populi catholici contra novatores protestantes, et quia usque ad saeculum XVIII lingua latina erat lingua virorum doctorum, etiam in privatis et publicis negotiis adhibita. Hodie hae rationes non amplius vigent. Videtur ergo nihil obstare quin, in futurum, in quibusdam regionibus, in ipsa liturgia occidentali ritus institui possint non necessario linguae latinae obstricti. [4] Schema, quam saepissime, urget momentum Liturgiae ad pietatem populi christiani informandam, modo fideles in actione liturgica, conscie, actuose, et fructuose participent (cap. 1 n. 8; p. 162, linn. 6-7; p. 160, lin. 32; p. 162, linn. 2-3; p. 172, linn. 28-29; p. 164, linn. 23-25; p. 165, linn. 22-25; p. 175, linn. 7-9, etc.). Sed quo pacto possent fideles, linguam latinam non intelligentes, immo et ipsi sacerdotes — si qui sunt (proh dolor) linguam latinam non satis intelligentes — quo pacto possent actuosam et consciam participationem habere in actione liturgica? Quaedam remedia quae in schemate Constitutionis proponuntur, ut puta nonnullae orationes, cantus, exclamationes, etc. in lingua vernacula, nobis videntur non sufficientia pluribus in regionibus quas liturgia occidentalis amplectitur. Ne portae praecludantur ad ampliorem usum linguae vernaculae; immo ad novos ritus instituendos.

Conclusio: Ad normam igitur art. 33 Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi, proponimus ut conclusio prooemii, inde a lin. 29 p. 157 ita emendetur:

« Et licet ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare intelligenda sunt, traditioni fideliter obsequens, S. Concilium declarat S. Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes aequo iure et honore habere, atque optat ut, ubi hoc opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur, et novo vigore pro hodiernis adiunctis et necessitatibus donentur.

Fatetur denique haec S. Synodus nihil obstare quin, vera necessitate urgente, spectatis condicionibus aliquarum regionum, examinetur convenientia instituendi, praeter ritus legitime iam existentes, sive orientales sive occidentales, novos ritus melius respondentes ingenio et moribus quorundam populorum ».

21

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. Cluniensis

Nonnulla, em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres, nonnulla de schemate in genere et speciatim de prooemio.

1. Ad notam in pagina ...

Praeses: Habe me excusatum: non est necessarium loqui de prooemio, cras erit discussio de prooemio; de schemate in genere solummodo.

Orator: Ergo dico solummodo quod ad schema in genere refertur, relinquendo cetera pro sequentibus sessionibus.

Iudicium de schemate in genere sumpto. Generatim loquendo, schema, mea quidem sententia, adamussim confectum est ita ut Patrum Conciliarium approbationem mereatur, salvis tamen correctionibus, si quae forte opportunae visae fuerint, introducendis.

Praefatum schema magni momenti in genere habendum esse existimo et valido fore adiumento, spero, ad substantiam mentis et vitae christianae renovandam, iuxta verba et vota Ioannis Pp. XXIII in Allocutione ad commissiones praeparatorias priusquam suam operam et laborem aggrederentur.

Argumenta quibus mea sententia nititur haec sunt:

a) Sua auctoritate sancit atque ordinat studium et praxim rei liturgicae quae magna cum animarum utilitate iam in Ecclesia viget.

b) Theologicam extollit substantiam et doctrinam quae in sacra Liturgia continetur, eamque modo, uti dicitur, vitali proponit atque formulis utitur ex Sacra Scriptura et ecclesiastica Traditione depromptis.

c) Altiorum principiorum ope quae ibidem exponuntur, optima et vera sternitur via ad christifidelium in vita liturgica Ecclesiae participationem. Dixi.

CONGREGATIO GENERALIS V

23 octobris 1962

CONGREGATIO GENERALIS V
23 octobris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Exeant omnes! Manere possunt tantum Patres Conciliares, periti, officiales atque observatores, et pro tempore inthronizationis Sancti Evangelii cantores.

Procuratores, si qui sint, sciant se ad normam *Ordinis Concilii celebrandi* interesse posse tantum sessionibus publicis.

[*Intervallum*]

Faveant sedere.

[*Intervallum*]

Fit inthronizatio Sacri Evangelii. Velint omnes surgere.

[*Intervallum*]

Praeest huic congregationi generali em.mus ac rev.mus D. Franciscus card. Spellman, arch. Neo-Eboracensis.

Communicantur nomina Patrum qui sufficiunt illos sodales, qui in aliis commissionibus iam partem habent.

In commissione *De Ecclesiis Orientalibus* loco rev.di P. Minisci Theodori suffectus est exc.mus D. Kavukatt Matthaeus cum suffragiis 724.

In commissione *De fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis* loco em.mi ac rev.mi card. Wyszyński Stephani suffectus est exc.mus D. Morris Thomas cum suffragiis 672.

De mandato consilii praesidentiae. Cum plures Patres petierint aliquas explicationes dari de ratione procedendi in examine schematum, haec, iuxta *Ordinem Concilii celebrandi,* meminisse iuverit:

1. Post illustrationem schematis a relatore factam, fit disceptatio in qua Patres, qui id tempore opportuno petierint, verba proferunt. Antea fit disceptatio de schemate in genere, dein de singulis eius partibus, iuxta ordinem qui a secretaria, iussu praesidis, indicatur.

2. Patres, qui loquuntur, velint suam orationem clare et distincte et quatenus opus est lente pronuntiare; intra terminos statutos sive materiae sive temporis, suum sermonem continere atque in emendationibus proponendis textum substituendum, clare, praecise, concrete afferre neque repetere quae ab aliis iam dicta sint.

3. Patres rogantur sermonem suum scriptum atque subscriptum secretariae generali vel per assignatores locorum tradere.

4. Omnes animadversiones atque emendationes propositae, a secretario generali competenti commissioni tradentur ut illas perpendant atque emendationum indicem conficiant.

5. Emendationum index typis impressus Patribus tempore opportuno distribuetur.

6. Die designata, intercepta, si opus sit, disceptatione, fit in congregatione generali suffragatio de singulis emendationibus adhibendo schedulas terebratas seu perforatas cum formulis *Placet, Non placet.* Cetera suo tempore melius enucleabuntur.

Nunc repetitur variis linguis.

[*Intervallum*]

Versio hispanica

(P. D. Casimirus Morcillo González, subsecretarius)

Como muchos Padres han pedido alguna explicación sobre el procedimiento que se ha de seguir en el estudio de los esquemas, por mandato del Consejo de Presidencia y en conformidad con el reglamento del Concilio, debemos recordar:

1. Inmediatamente después de la exposición del esquema, hecha por el relator, se inicia la discusión, en la cual los Padres que hayan pedido previamente la palabra pueden expresar su voto. Primeramente se discute del esquema en general, luego de cada una de sus partes por el orden que la Secretaria vaya indicando según mandato del Presidente.

2. Los Padres que hagan uso de la palabra sírvanse limitar su discurso a los límites de tema y tiempo establecidos por el reglamento, y al proponer sus enmiendas propongan también claramente y con toda precisión las palabras que han de sustituir al texto enmendado, y no repitan lo que por otros ya haya sido dicho.

3. Se ruega a los Padres que entreguen por medio del acomodador más próximo su voto o discurso escrito y firmado a la Secretaría General.

4. Todas las enmiendas y observaciones que se propongan serán entregadas por la Secretaría General a la Comisión Conciliar a que correspondan, para que las estudie y haga una ordenada relación de las mismas.

5. Esta relación será impresa y entregada en el momento oportuno a todos los Padres.

6. En el dia señalado, interrumpida si es necesario la discusión, se hará en Congregación General la votación sobre cada una de las enmiendas, por medio de las tarjetas perforadas y con las fórmulas: *Placet, Non placet, Placet iuxta modum;* las demás cosas se irán declarando en el momento oportuno. Y añado un ruego que nos han hecho llegar muchos Padres, y es que todos

los oradores procuren hablar lentamente y con toda claridad, par que puedan ser bien oidos y entendidos por el auditorio.

[*Intervallum*]

Por mandato de la Presidencia debo rectificar un detalle del punto sexto: al votar sobre las enmiendas, solamente se puede votar con el *Placet* y el *Non placet,* nunca con el *Placet iuxta modum.*

Versio gallica

(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

De nombreux Pères ayant demandé que des explications soient fournies sur la manière de procéder dans l'examen des Schémas, voici, suivant les instructions reçues du Conseil de la Présidence, ce qu'il a semblé utile de rappeler en conformité avec le Règlement du Concile:

1. Après la présentation du Schéma faite par le Rapporteur a lieu la discussion, durant laquelle les Pères qui l'ont demandée en temps voulu prennent la parole. Cette discussion porte tout d'abord sur l'ensemble du Schéma, puis sur chacune de ses parties, suivant l'ordre indiqué par le Secrétaire Général au nom du Président.

2. Les Pères qui prennent la parole sont priés de s'exprimer distinctement et lentement, de s'en tenir à l'objet de leur intervention et de ne pas dépasser le temps fixé pour celle-ci. Lorsqu'ils proposent des amendements, qu'ils veuillent bien formuler avec clarté et précision, de façon concrète, le texte qu'ils souhaitent voir substituer à celui du Schéma. Les Pères sont également priés de ne pas répéter ce qui a déjà été exprimé par d'autres.

3. Le texte écrit et signé de chaque intervention doit être transmis au Secrétariat Général par l'intermédiaire des clercs chargés des places.

4. Toutes les remarques et tous les amendements proposés par les Pères sont adressés par les soins du Secrétariat Général à la Commission compétente, afin que celle-ci les examine et qu'elle établisse la liste des amendements.

5. Cette liste, imprimée, sera distribuée à tous les Pères, quand le moment viendra.

6. Au jour fixé, la discussion en cours à la Congrégation Générale étant interrompue s'il y a lieu, on procèdera au vote sur chaque amendement en utilisant pour cela les fiches perforées. Le vote sur les amendements s'exprime par l'une ou par l'autre des formules *Placet* ou *Non placet.* D'autres indications seront fournies ultérieurement.

Versio anglica
(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention please.

Since many of the Fathers have inquired about the methods of procedure in examining the schemata, the Council Presidency has directed to recall to your attention the following provisions of the Ordo celebrandi (the Rules of Procedure). These books have been distributed. If you need another copy, the ushers will obtain it for you.

In the first place, the Relator presents with explanations that section of the schema which is to be considered. The Council Fathers, who at least three days prior had submitted their request to speak, will then present their views from the written text. Discussion first will be directed to the broad topic, the schema in general of the particular section, and then to the individual parts, according to the order indicated by the Presidency to the Secretariat.

The Fathers who speak are respectfully asked to speak clearly, distinctly, deliberately, and to the point, staying within the limits of the subject matter under consideration, and of the allotted time. Those who propose a change in the text, an emendation, should incorporate the changes clearly, concisely, and concretely, and submit the changed text. The Fathers are asked to refrain from repeating things already said by others.

Thirdly. The Council Fathers are asked to submit the exact text of their talk in writing, and signed, by means of the ushers, to the table of the Secretary.

Fourthly. The Secretary in turn refers all the observations and proposed changes submitted to the competent Commission which assumes the responsability of studying and indexing all the proposals.

Fifthly. The indexed list of changes proposed will then be printed and in opportune time distributed to all the Council Fathers for their study.

Lastly, after the lapse of a few days, on a designated day, if necessary the discussion of the subject current will be interrupted, the Fathers will vote on each of the proposed changes, using the perforated ballots and simply voting *Placet* or *Non placet.* Further instructions will be given as the need arises.

Thank you.

Versio germanica
(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Da eine Reihe von Konzilsvätern gebeten haben, man möge einige Erläuterungen geben über die Art und Weise, wie bei der Behandlung der Schemata zu verfahren sei, werden hiermit gemäss Weisung des Präsidiums die folgenden Punkte im Sinne der Geschäfstordnung Artikel 31 bis 36 in Erinnerung gebracht.

1. Zunächst, wird das zu behandelnde Schema durch einen Referent kurz erläutert. Dann beginnt die Aussprache, in der jene Väter zu Wort kommen, die rechtzeitig, das heisst, drei Tage vor der Debatte, ihre Wortmeldung eingereicht haben. Die Aussprache befasst sich zuerst mit dem Schema als Ganzem, sodann mit seinen einzelnen Abschnitten, und zwar wird jeweils durch das General-sekretariat angezeigt, wieviel das Präsidium behandelt wissen möchte.

2. Die einzelnen Redner sind gehalten, bei ihren Ausführungen weder die Grenzen der Zeit, noch der anstehenden Materie zu überschreiten. Sie mögen ihre Vorschläge möglichst klar, präzis und konkret formulieren, und nicht Dinge von neuem bringen, die von Vorrednern bereits gesagt worden sind.

3. Die Väter werden ferner gebeten, den Text ihrer Ausführungen schriftlich und mit ihrer Unterschrift zu versehen, und dann durch die Platzanweiser dem Konzilssekretariat zu vermitteln.

4. Sämtliche Bemerkungen und Verbesserungsvorschläge werden vom Konzilssekretariat an die zuständige Kommission weitergeleitet, die sich ihrerseits eingehend damit befasst und eine Gesamtübersicht der Änderungsanträge zusammenstellt.

5. Die Gesamtübersicht der Änderungsanträge wird gedruckt und rechtzeitig den Vätern zugestellt.

6. Zu einem festgesetzten Zeitpunkt, wenn nötig nach abgekürzter Debatte, erfolgt die Abstimmung über die einzelnen Verbesserungsvorschläge mit Hilfe der Lochkarten. Bei dieser Abstimmung gilt nur die Alternative *Placet* oder *Non placet.*

Sollten noch weitere Hinweise notwendig werden, so erfolgen sie zu ihrer Zeit.

Versio arabica

(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

طلب كثيرون من الآباء ان تبسط امامهم طريقة البحث في مواضيع المجمع . فأمر مجلس الرئاسة بتفسير ما يأتي ممّا جاء في قانون المجمع المعقود .

١ ـ يبسط الموضوع مقرر ، ثم يجرى جدلا عليه يشترك فيه الآباء الذين طلبوا الكلام في حينه . اما الجدل فيبدأ في الموضوع عامة ثم في اجزائه الخاصة بحسب الترتيب الذى تضعه امانة السر بامر مجلس الرئاسة .

٢ ـ على الآباء الذين يرغبون في الكلام ان يتكلموا بمهل ووضوح وان يحصروا كلامهم في الوقت المحدد ، وان يعرّفوا اقتراحاتهم في نصوص واضحة دقيقة وعملية ، وان لا يعيدوا ما قاله غيرهم .

٣ ـ يطلب من الآباء ان يقدموا اقتراحاتهم خطّيا ، وان يوقعوها بامضائهم ويسلّموها الى دليل المجالس القريب منهم .

٤ ـ ترسل كل الملاحظات والاصلاحات المنشودة المقدمة الى امانة السر العامة ، ترسل الى اللجان المختصّة لكي تدرسها وتضع بيانا شاملا للاصلاحات التي اجريت .

٥ ـ امّا بيان الاصلاحات فيطبع ثم يوزّع في حينه على الآبا .

٦ ـ وفي اليوم المعيّن تعرض الاصلاحات للبحث والجدل في جمعيّة عامة ثم يقترع عليها بندا بندا باستعمال لوحة التصويت وكتابة كلمة الرضى ـ Placet ـ او عدم الرضى ـ non Placet ـ وما بقي يشرح في حينه شرحا اوفى .

Exc.mus P. D. Pericles Felici, *secretarius generalis*:

Cum aliqui Patres petant aliud exemplar schematum, oportet dicere librum schematum datum iri tantummodo iis Patribus qui illum forte nondum acceperint.

PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Venerabiles Patres,

Cum pastores, non solum parochi sed praesertim episcopi, maxime autem episcopi in Concilio collecti, in exponendis rebus doctrinalibus debeant semper claris, nitidis, limpidis expressionibus uti et relinquere ea quae ambigua possunt esse, vel obnoxia diversae interpretationi, puto esse suggerendum ut saltem pars doctrinalis — quia constitutio liturgica invasit quodammodo campum doctrinalem —, puto partem saltem doctrinalem istius constitutionis esse subiciendam, sicut iam a quodam Patre concinne propositum fuit, esse submittendam recognitioni theologorum.

Possum quaedam exempla exhibere necessitatis huius clarificationis saltem: non quod sint res non iustae, non quod sint res non verae, sed quaedam sunt saltem obnoxia duplici interpretationi; verbi gratia in pag. 157, lin. 13, dicitur Ecclesiam esse visibilem et invisibilem: hoc potest esse obnoxium falsae interpretationi. Item dicitur in pagina sequenti humanitatem Christi Verbo unitam esse causam nostrae salutis: theologi explicant esse causam non simpliciter, sed instrumentalem. Non quod ego petam ut terminus scholasticus inseratur, sed idea clarificetur. Item, quando dicitur salutem factam esse mysterio paschali, passionis, mortis, resurrectionis et ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, non video cur relinquatur maximum mysterium quo redemptio incepta est, videlicet mysterium Incarnationis Domini Nostri, Verbi Dei. Item dicitur, verbi gratia, Christum morte sua nos a potestate daemonis liberasse, et resurrectione sua ad caelum evehisse. Hanc distinctionem non puto esse admittendam. Iam theologi retinent animas, quae erant in limbo, post ipsam mortem Iesu esse ereptas in caelum. Sed quidquid cogitent theologi, est S. Scriptura: Dominus Noster Iesus Christus in ipsa cruce latroni poenitenti dixit « hodie », scilicet in ipso die mortis Domini, « hodie mecum eris in paradiso ». Non erat exspectanda resurrectio.

Item vellem ut in tota constitutione verbum illud auctoritativum « recognoscatur »..., recognoscatur... recognoscatur..., quod sonat quod-

dam iussum... Cui datur hoc iussum? Summo Pontifici? Igitur recognoscatur etiam sub hoc aspectu ipsa constitutio!

Ceterum, vellem exprimere ideam, quod ex ipsa exaggeratione liturgistarum... Est exaggeratio dicere verbi gratia quod tota ratio vitae in seminariis debet esse spiritu liturgico imbuta, quod Liturgia debet esse materia principalis, inter principales instructionis theologicae. Sunt quaedam exaggerationes. Nos omnes amamus Liturgiam, utique, sed cum moderatione iusta, cum debita proportione.

Et in tota illa constitutione, non habetur ulla ratio diversae functionis Ecclesiae, scilicet non solum ministerii, sed etiam imperii et magisterii authentici.

Igitur, non quod ego possim nunc proponere sicut nunc dictum est a Secretaria, formulas, quia ego non suggero formulas, suggero emendationem faciendam a theologis. Possunt facere hoc quin remittatur ad commissionem theologicam; possunt facere etiam optimi theologi qui sunt in commissione liturgica, sed res redicenda est.

Nunc autem ad modum appendicis, licet non tangat ipsam constitutionem, sed quia est res liturgica. Nos videmus optime celebrari Missam in ritu latino qualibet die; cum Ecclesia sit circumdata varietate rituum, optimum mihi videretur suggerere ut etiam aliis ritibus orientalibus, religiosorum, et cetera, celebrentur Missae in initio nostrarum sessionum. Dixi.

Textus scripto traditus:

Cum a pastoribus Ecclesiae, praesertim in Concilio adunatis, expressiones adhibendae sint, quae genuina claritate et limpiditate emineant, nonnulla videntur clarificanda in Constitutione, quae apparere possunt obscura vel ambigua.

Exhibeo exempla:

1) In prooemio, in pag. 157, in lin. 13, Ecclesia dicitur « visibilis et invisibilis », quod sane male intelligi potest.

2) In capite primo, in pag. 159, in lin. 8 et ss., dicitur « ipsius (seu Christi) humanitas, in unitate personae Verbi, fuit causa nostrae salutis ». Theologi, maiore precisione, dicunt humanitatem Christi causam instrumentalem fuisse. Igitur limpidiore quadam locutione utamur.

3) In pag. 159, in lin. 12 et ss., dicitur: « Humanae Redemptionis ... opus » adimpletum esse a Domino « praecipue per suae beatae passionis, ab inferis resurrectionis et gloriosae ascensionis paschale mysterium »; cur vero inter praecipua quibus redemptionis opus adimpletum est omittitur ipsa Verbi incarnatio a qua redemptionis opus initium sumpsit?

4) In capite primo, in pag. 159 in lin. 22, 23, 24, Christus dicitur: « morte sua nos a potestate satanae liberasse et resurrectione sua in regnum Patris transtulisse ». Distinctio illa inter effectum mortis et effectum resurrectionis Christi non mihi videtur satis fundata, nam secundum communem theologorum sententiam, iustorum animae quae in limbo erant statim post mortem Christi in caelum fue-

runt receptae; ceterum sufficiat exemplum boni latronis cui dixit Dominus: « Hodie (scilicet in ipso die mortis Domini), mecum eris in Paradiso ».

Duae animadversiones indolis generalis videntur addendae:

1) In rebus practicis, in futuro exequendis, iuxta vota Patrum, non est adhibenda formula imperativa, ut verbi gratia « recognoscatur ». Hoc enim iussum implicite dirigitur ad Summum Pontificem.

2) In tota hac constitutione vita Ecclesiae ita in vita liturgica comprehensa videtur, ut non satis appareat distinctio inter triplex munus: imperii, ministerii et magisterii authentici.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Fratres,

Necessitate, seu utilitate, renovationis Ecclesiae iam accepta, nihil a priori excludendum est e scrutinio et accommodatione nisi essentia Corporis Mystici eiusdemque instituta divinae originis. E contrario methodi, instituta aliaque humana prioris saeculi exactissime examinanda sunt sub lumine utilitatis et necessitatum hodiernarum. Hac ratione, haec sacrosancta Synodus non potest indifferens stare quaestioni utrum Liturgia reformanda, seu renovanda, sit. *Quaestio ponenda est* aperte et sincere. *Et ei respondendum* est sive affirmative sive negative. Mihi videtur talis reformatio non tantum optabilis sed valde necessaria.

Ipsa natura tum Liturgiae, tum Ecclesiae fortiter suadet, etiamsi non demonstrat, necessitatem reformationis.

Consideremus primo naturam et munus Liturgiae. Ipsa sacrosancta Oecumenica Synodus Tridentina docuit: « Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam ... (et) caeremonias instituit ... (ut) et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis ac pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur » (Sess. XXII, cap. 5).

Item docuit eadem Synodus: « Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire iudicaret » (Sess. XXI, cap. 2).

Munus, seu finis, saltem partiale Liturgiae est psychologice afficere « mentes fidelium », — causare, nutrire, perficere in eis devotionem

et cultum internum. Propterea dispositiones psychologicae et mentales hominis contemporanei debent esse elementum normativum et determinativum uniuscuiusque institutionis liturgicae. Quantum ergo est discrimen inter hominem hodiernum et hominem saeculi XVI, tanto fortis est indicatio necessitatis reformationis liturgicae.

Idem constat etiam ex natura ipsius Ecclesiae, cui lex vitae est « unitas in necessariis, libertas in ceteris ». Perfectio altioris gradus humana, quae vocatur « civilisatio » seu « cultura » et possibilis est solum in societate, exigens unitatem in fundamentalioribus, nihilominus consistit in varietate perfectionum partialium et complementarium. Ecclesia, proinde, cuius munus altissimum est non dolere sed subducere omnia naturalia sublimata Christo qui reddat eadem Patri, debet suadere et promovere prosecutionem tum privatam tum publicam talium perfectionum diversarum. Uniformitas ergo, sine necessitate vel maxima utilitate, etiam in Liturgia contradicit ipsi fini et muneri Ecclesiae. Nam sola Liturgia quae existit in maxima conformitate cum vita hominis quotidiana potest operari ut elementum integratum et integrans eiusdem vitae.

Argumenta etiam « a posteriori » eamdem necessitatem clare et fortiter demonstrant. Petitio reformationis, quae clamorosa et insistens oritur ex omnibus regionibus, etsi inanis et sine ratione in aliquibus, nihilominus manifestat ex parte christifidelium necessitudines urgentiores et ex parte pastorum efficaciam inaniter impeditam et restrictam. Petitiones paucorum vanae ne excludant nostram sollicitudinem pro genuinis multorum indigentiis. Hoc saeculo longe procedimus ad recognitionem practicam iurium et officiorum christifidelium membrorum Corporis Mystici Christi. Nec sufficit haec agnoscere quoad apostolatum, sed necessarium est etiam quoad ministerium Ecclesiae sacerdotale, — utique secundum id quod est proprium unicuique. Sed reddere possibilem illam participationem ampliorem quae est ius et officium laicorum significat accommodare institutiones liturgicas conditionibus actualibus.

Deinde Christus semetipsum morti tradidit « ut exhiberet ipse sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam..., sed ut sit sancta et immaculata » (Eph. 5, 27), et dedit sacramenta ut signa et fontes gratiae huic effectui sufficientis. Si talem conditionem Ecclesia ne quidem approximat, debemus in omnibus et per omnia inculcare vitam sacramentalem pleniorem, profundiorem, perfectiorem. Ne excludatur accommodatio institutionum liturgicarum quae, secundum Synodum Tridentinam, ita ordinandae sunt « pro rerum, temporum et locorum varietate », ut « et maiestas tanti sacrificii (et sacramentorum) com-

mendetur et mentes fidelium ad rerum altissimarum contemplationem excitentur », et ut magis expediant « suscipientium utilitati et ipsorum sacramentorum venerationi ».

Venerabiles Fratres, mihi videtur schema *de sacra Liturgia* esse admirabile pro sua aptitudine, rectitudine et prudentia. Agnoscit necessitatem accommodationis; commendat finem et directionem huius accommodationis; cetera relinquit prudentiae Ordinariorum qui, in coniunctione cum Sede Apostolica, accommodent institutiones liturgicas, saltem in parte, necessitatibus pastoralibus suarum dioecesium. Res cum ita sint, reiicere hoc schema — secundum meum iudicium et, nisi omnino fallor, secundum iudicium plurimorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae —, iterum dico, reiicere hoc schema esset reiicere accommodationem qua talem, esset in basi negare maximas evolutiones quae per tot saecula locum obtinent in vita tum orbis terrarum, tum Ecclesiae. Hoc non debemus, non possumus etiam contemplare!

Commendo ergo acceptationem huius schematis in genere, non intendens tamen praecludere disceptationes de particularibus. Dixi.

3

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES
Archiepiscopus Catacensis - episcopus Squillacensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Quasdam animadversiones proponere intendo circa schema constitutionis de sacra Liturgia: [1]

1. Liturgia est expressio fidei catholicae in cultu quem diversis formis et modis Deo exhibemus in Ecclesia catholica, apostolica, romana. Ergo evidens appareat nexus inter Liturgiam et fidem.

2. Insisto in hac consideratione ex motivo peculiari: haec constitutio si promulgabitur a Concilio Oecumenico, revera fiet « magna charta » apud omnes cultores atque promotores Liturgiae ad suam actionem tutandam, fovendam, amplificandam: ergo ne desit inculcatio nexus inter fidem et Liturgiam. Quo arctius apparebit huiusmodi nexus, eo ampliores erunt fructus pietatis in animis fidelium in tota Ecclesia. Et ita praecaveri possunt omnes errores in hac re, vel saltem exaggerationes, quae efficiunt ut non semper ab omnibus aequo ac sereno animo quae ad Liturgiam pertinent considerentur atque aestimentur.

3. In mundo hodierno, attendendum est maxime ad unitatem fovendam in sacra Liturgia: facilitas aggrediendi itinera efficit ut quicumque homo cosmopolita considerandus sit. Ergo fidelis catholicus,

ubicumque invenietur, possit fidem suam profiteri atque per cultum manifestare modo unitario: quod obtinetur per unitatem Liturgiae; quae revera erit una si unice, sicut nunc est, ab Apostolica Sede disponetur, attentis utique votis episcoporum in toto orbe dispersorum, nulla data facultate aliis novitates introducendi, etc.

Sit ergo una lingua, id est latina (et in aliis ritibus lingua uniuscuiusque ritus); fiant explicationes in lingua vulgari; attendatur quidem ad peculiares indoles populorum: sed maxime ad unitatem servandam attendatur. Providebit Sedes Apostolica ad omnia elementa consideranda et in unum redigenda, ut tutetur fides, ut pietas amplificetur, ut omnes, sive privatim sive publice, augmentum caritatis in Deum et proximum adipisci possint.

4. Ritus sint simplices vel simplificentur. Ritus simplificati sint in facili captu apud omnes (sunt enim signa quibus homines manuduci possunt ad intelligenda divina). Huiusmodi rituum intelligibilitas sit connexa cum expressione verae fidei; et ita cultus procedet ex fide, alet spem, inducet ad amorem Dei, qui colendus est « in spiritu et veritate ».

5 et ultimum.[2] – Ultimum adiungere desidero: textus Sacrae Scripturae qui in constitutione inducuntur, revisioni subiciantur ut revera in sensu scripturistico adhibeantur. Item verba temperarem quibus in prooemio edicitur interdictio definitionis dogmaticae. Demum, constitutio procedat non ut tractatus sed ut documentum solemne Concilii Oecumenici. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

4

Exc.mus P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Em.mi et exc.mi Patres et Fratres,

Hoc nostrum votum intendit, maxima cum humilitate, aliquomodo illustrare altiora principia quae divini cultus instaurationem respiciunt. Mihi videtur aliquam sacrosancti Concilii explicitam declarationem vel recommendationem fore valde utilem et proficuam ad finem intentum. Votum meum iis verbis potest formulari:

De sollemnibus quibusdam cultus liturgici formis simplificandis.

Ex accuratis investigationibus historicis constat, in externo exercitio potestatum Ecclesiae non pauca irrepsisse, quae potius sunt humanae

pompae praeteritarum aetatum vestigia, aut dominii terreni temporalisque reliquiae, aut personalium privilegiorum ab Imperatoribus vel Principibus obtentorum indicia, aut usus vel emolumenta, quae magis quam ex supernaturalibus Ecclesiae exigentiis, ex humanis potius ac temporalibus commodis ortum habuerunt, atque minus hodie ad christiani populi aedificationem conferre videntur.

Quapropter censeo in hac re oportere illa omnia corrigere, quae forte possent « occasionem dare adversario maledicti gratia » (1 Tim. 5, 14), adeo « ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis » (Tit. 2, 8), prout S. Paulus, ad Timotheum et Titum scribens, congruenter monuit.

Humana ex his aliqua etiam in liturgicum cultum, in pontificalium etiam usum, subrepsisse videntur, quae forte ad accidentalia externa fidelium attentionem nimis attrahunt, atque essentialia mysteriorum divini cultus aliquantulum obnubilant.

Igitur, salvis omnino iis, quae ad divini cultus splendorem et fidelium pietatem vere conducere censeantur, conandum esse existimamus, ut in externo divini cultus apparatu omnino exsplenderent et fidelium oculis paterent in primis pietas, simplicitas et dignitas, quae magis consentaneae sint genuino Evangelii spiritui, nostrorum temporum hominibus vel maxime placent, atque pergratae poterunt esse, ni fallor, dilectis in Christo fratribus separatis.

Postulare igitur a Sancta Synodo auderem, ut in divini cultus sollemnitatibus supprimerentur illa omnia, quae vel in externis actionibus, vel in sacra supellectile, vel in ipsis paramentis comprobentur esse vestigia illius humanae et terrenae pompae decursu aetatum, praesertim mediaevalium, non satis consulto inductae, si legitimis nostri temporis usibus et spirituali aedificationi fidelium minus congruere videantur. Dixi.

5

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Venerabiles Patres,

Schema *de sacra Liturgia* propositum enixe commendare desidero, ad quod praeter alias, hae me movent rationes:

1. Ambitus, quo fideles extra suam familiam hodiernis temporibus vivere coguntur, non iam christiano charactere formatur. Necessarium autem est omni christiano, ut vitam christianam in communitate fide-

lium experiatur. Quid sit realitas christiana in sua differentia ac vita mundana, quid sit Ecclesia, homo experitur, cum cultui Ecclesiae interest. Cum hodiernae circumstantiae in multis regionibus fere nullam aliam relinquant occasionem obviandi realitati christianae, cultus liturgicus ipse fidelibus fere omnia praebere oportet, quibus ex fide vivant. Ad hunc finem pro singulis fidelibus ideoque pro Ecclesia ipsa obtinendum...[1] ut cultum suum perfectiorem reddat, id quod ante omnia hoc respicere debet, ut actiones lectionesque liturgicae possint quam facillime intelligi facilioremque reddant activam fidelium participationem. Quo magis active et personaliter fideles sacrificii Missae participare poterunt, eo magis vita christiana liberabitur a legalismo illo, quem tantopere damnant S. Pauli Epistolae ad Romanos et ad Galatas.

2. In mundo hodierno homo, et magis adhuc christianus, dignitate sua saepe privatur. E contra hominem, qui *cultui Ecclesiae interest,*[2] Deus alloquitur ut suam imaginem et filium ex gratia adoptivum eumque personali modo agere facit, quod magnum praebet auxilium et virtutem ad christiano modo vivendum. Nam quo magis fideles agunt ex sua dignitate christiana, eo melius ipsis providebitur. Propterea attendi debet ut clarior reddatur cultus Ecclesiae, cuius sacramenta et verba hominem christianum in plena sua dignitate invocant.

3. Ratio, cur fideles in cultu Ecclesiae ipso partem agere desiderant, non est, quod eorum fides et devotio esset infirma et imminuta, sed e contrario. Quia Ecclesiam magis et ferventius amant eiusque membra conscia et viva esse volunt, propterea fideles cultum *Ecclesiae*[3] ut suam ipsorum actionem melius percipere eique interesse cupiunt.

Quibus omnibus schema *de sacra Liturgia* propositum bene inservire videtur. Quapropter illud magnopere consaluto, non obstantibus paucis emendationibus desideratis, de quibus suo tempore sermo esse potest. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ecclesia intendere debet. [2] cultum liturgicum celebrat. [3] liturgicum.

6

Exc.mus P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis *de sacra Liturgia* eminet sine dubio plurimis qualitatibus, quae una simul cum generali consensu quem motus sic

dictus liturgicus, sancitus iam plus quam quinquaginta annis abhinc a S. Pio X, transitus nempe Spiritus Sancti super Ecclesiam, sicut proclamavit b. m. Pius XII, indefesse in universo orbe sibi conquisivit, id effecerunt ut ab hac tractatione feliciter pro Concilii Oecumenici Vaticani Secundi initio inciperetur.

Sed, proh dolor, quod est gloria pro commissione praeparatoria et felix opportunitas pro Concilio, si nos, Patres Conciliares, vel leviter non attentionem facimus, in miseriam pro materia tractanda verti posset.

Optime quidem membra commissionis fines a nobis Patribus Conciliaribus persequendos in prima paragrapho prooemii, iam a limine tractationis, perlucide perstrinxerunt, ad mentem Summi Pontificis et multorum episcoporum. « Sacrosanctum Concilium — legitur ibi — cum sibi proponat 1) (numeratio est mea) vitam christianam inter fideles augere; 2) institutiones ecclesiasticas, prout mutationibus obnoxiae sunt, nostris necessitatibus melius aptare; 3) quidquid ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia quoquomodo conferre potest, ponere; et 4) quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae revocare concurrit, roborare; suum esse ducit peculiari ratione etiam de instauranda atque fovenda Liturgia curare ».

Fratres Conciliares, cum finis primus sit in intentione, opus certissime optimum faciemus, si haec quattuor, veluti prima principia, constanter prae oculis habeamus, cum sine dubio in schematibus de Ecclesia, de unitate fovenda, de Missionibus, plura delibabimus.

Principium pastorale: agitur hic in primis de intimiore vita christiana fovenda, scilicet de pastorali et quidem profunda actione. Non agitur de archeologia, non de historia, non de cultu litterarum, non de iure, non de aesthetica, immo haec omnia subordinanda sunt tamquam media ad finem, ad salutem nempe fidelium assequendam. Inserere Liturgiam in sensus, in intellectum, in corda fidelium, et fideles inserere in liturgicas actiones secundum regale sacerdotium baptizatorum membrorum Corporis quod est Ecclesia, nihil aliud est quam actuosa et conscia participatio, quam Summi Pontifices, praesertim Pius X, Pius XII et Ioannes XXIII, sanxerunt et ordinaverunt, ut vim augerent mirabili activitati liturgicae laicorum, religiosorum et sacerdotum sub plurimorum episcoporum ductu.

Pastoralis liturgica non additamentis externis ipsi Liturgiae indiget, sed signis, verbis, actionibus ipsis quibus Ecclesia et membra eius sanctificantur et laudem Deo tribuunt, efficitur.

Sunt quidem et alia media quibus fidelium pietas (exempli gratia) et sancti enutriti sunt; sed nullum revera superat efficacitate, facilitate, opportunitate sacram Liturgiam, utpote constitutam elementis essentia-

libus et communissimi usus in Ecclesia, laude cotidiana scilicet, sacramentis, proclamatione Verbi Dei, praedicatione et sacrificio Missae, necnon et sacramentalibus.

Alia media sacerdos (exempli gratia) pro lubitu vel aptitudine personali seligere potest; ab actione vero liturgica nullus excusari potest; id unum opus est, ut actiones liturgicae pastoraliter exerceantur sine additis, cum pastoraliter natura sua dispositae sint.

Principium vero adaptationis hoc praecise efficit ut actiones liturgicae pastoraliter exerceantur, adaptando ad circumstantias locorum et temporum divitias quas uniformitas et traditio nobis praebent, ut ditiores efficiantur, et quantum fieri potest nullum patiantur detrimentum.

Tensiones quidem inter traditionem et actualitatem, inter uniformitatem et varietatem, inter sublimem celebrationem et vulgarem participationem oriuntur; viam mediam, vel potius viam meliorem, sapientis consilii erit invenire.

Schema constitutionis nostrae sapienter *a* [1] iure *vetere* Conciliorum Provincialium in can. 291 contento, pro *novis* Conferentiis episcopalibus statutum desumit ad hoc ut potestas legislativa episcoporum pro varietate locorum et temporum in materia liturgica, Apostolica Sede vigilante et bonum commune procurante, renovetur.

Ex hoc *principaliori statuto* et ex vigilantia episcoporum in propria dioecesi pro applicatione universalium et regionalium legum, necnon ex propria ad normam iuris activitate legislativa, facillime intelliguntur quae de libris liturgicis, de lingua vernacula, de concelebratione, de communione sub duabus speciebus, de sacramentis, de officio divino, de cantu... nostrae deliberationi proponuntur.

Quam plurima sunt exempla in historia Ecclesiae similium adaptationum quae ex natura incarnationis Christi totalis exoriuntur. Tales adaptationes aliquando magno cum dolore humano introducebantur; sed non semel tam sero ut cum detrimento animarum admissae *fuerint.*[2]

Principium oecumenismi: munus pastorale in Ecclesia universali et locali quam maxime hodie urget, non quidem individuales conversiones fratrum *christianorum non-catholicorum* [3] procurandi, sed unionem coetuum christianorum in unum ovile fovendi, prout saepissime Summus Pontifex Ioannes XXIII, opportune et importune, si fas esset dicere, extulit. Summa adaptationis liturgicae ad hunc finem obtinendum est reviviscentia thesaurorum in sacra Liturgia contentorum, Mysterii Christi nempe et Sacrarum Scripturarum usus pro captu populi in lingua vulgari oblatorum. Psychologice impossibile erit fratres nostros *christianos non-catholicos* [4] linguam latinam in oratione et lectione *liturgica* [5] accepturos esse.

Principium missionale non sufficienter extollitur *quidem* [6] in schemate nostro, sed non dubito quin Patres Conciliares missionarii momentum missionale Liturgiae promant et adaptationes propositas rite discussas una nobiscum in Concilio statuant. Sed cur voco in testimonium episcopos missionarios, nonne omnes fere Ecclesiae dioecesanae in statum missionis redactae sunt, qui aliunde *est status normalis* [7] Ecclesiae?

Si qui vero essent Patres Conciliares qui censerent se non indigere pro Ecclesiis suis adaptatione pastorali in re liturgica, vel qui, cum curam animarum non haberent, efficaciam cuiuscumque vel minimae adaptationis experiri numquam potuissent, iterum atque iterum coram Deo considerent quaeso ut ita misereri possint omnium nostrum qui hac infirmitate detinemur, et fidelium qui veram reformationem a nobis exspectant, quia a Summo Pontifice nuntiata est.

Iamvero [8] accedo ad propositiones card. Frings et card. Döpfner circa notam in calce primae paginae, et circa commissionem statim a Concilio constituendam pro revisione reformationis; necnon card. Silva Henriquez circa Spiritum Sanctum, caritatem et doctrinam de sacerdotio laicorum... [9] Utinam etiam imprimatur originale schema a commissione propositum ut nobis omnibus distribuatur!

Quae cum ita sint, schema prout iacet in genere placet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] e. [2] fuissent. [3] separatorum. [4] separatos. [5] liturgicis. [6] deest. [7] status normalis est. [8] deest. [9] et alia de delenda phrasi circa...

Votum generale: ubicumque agitur de « Sancta » Sede, melius dicatur « Apostolica Sedes ».

7

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Cum verbum « Liturgia » saepe saepius et a pluribus usurpetur cum significationibus valde diversis, necesse videtur ut in constitutione de Liturgia [1] in primis clare et stricte definiatur quid in hac constitutione veniat sub nomine Liturgiae.

Secundum et summi momenti... [2]: cum sacrae Liturgiae « centrum » sit sacrificium Missae, cum alioquin theologi adhuc disputent de relationibus inter sacrificium Crucis et sacrificium Missae et vitam christianam,

videtur oportere sacrosanctum Concilium tandem aliquando declaret saltem ea quae directius et efficacius vim habent in vitam christianam et in adsistentiam et participationem ad Missam.

Peto veniam si — necessario — notissima, summatim et vix, revoco:

Christus, Caput Corporis Mystici, Sacerdos, semel Semetipsum obtulit in Cruce, aeterna redemptione inventa. Sed Corporis Mystici membra sunt homines libera voluntate praediti. Sacerdos est « Mediator Dei et hominum », homines apud Deum quasi repraesentat, eorum voluntates exprimit. Sacrificium, ut revera omnino absolutum evadat, ut ex eo plenus fructus habeatur, exprimere debet voluntatem eorum a quibus et pro quibus offertur; tandem aliquando oportet ut ad illud accedat voluntas offerentium, ut isti revera fructum eius percipiant (licet in sacrificio Christi talis bona voluntas iam sit fructus eiusdem sacrificii Christi, per quem omnia nobis bona proveniunt et velle et perficere).

Nos igitur, gratia Christi praeventi, poenitentia ducti, debemus singuli agnoscere Christum, qua Sacerdotem a Patre nobis constitutum, et per ipsum — qui ita « salvare in perpetuum potest » — accedere ad Deum; debemus ita vivere ut vita et voluntas nostra respondeat sacrificio Christi (« omnibus obtemperantibus Sibi causa salutis aeternae » - Hebr. 5, 9) et per Ipsum quasi exprimatur et offeratur acceptabilis Deo (cf. Col. 1, 24 « Adimpleo in carne mea... »).

Quae omnia, ut efficacius fiant, miserentissimus Christus dedit nobis ut accedamus ad Patrem non *tantum* [3] revocantes suum sacrificium olim in Cruce oblatum, sed realiter — et, ut ita dicam, quasi materialiter — illud offerentes; immo ipse Christus descendit super nostra altaria ut, ministerio sacerdotum, offeramus nosmetipsos acceptabiles Patri per Ipsum et cum Ipso et in Ipso; et vicissim vitam abundantius habeamus, Ipso Christo enutriti, pane vitae aeternae.

Haec, summatim, est Missa; hae, summatim, sunt relationes inter sacrificium Crucis, sacrificium Missae et vitam christianam.

Tantummodo si haec explicite declarata fuerint, inde deduci poterunt principia fundamentalia pro vera efformatione et vita liturgica cleri et populi; inde lucide apparebit arctissimus immo vitalis ille nexus inter vitam christianam et pietatem individualem (« subiectivam », quam vocant) et Missam et universam Liturgiam, et universum opus redemptionis; et tollentur pericula et offendicula ex quibusdam unilateralibus considerationibus.

Haec omnia peragere necessarium videtur, ut Concilium in hac provincia respondeat hodiernis adiunctis et instinctui Spiritus Sancti.

Denique, summopere optandum *videretur* [4] ut preces Missae ab Offertorio usque ad Communionem ita reformentur ut haec omnia clare

et efficienter exprimantur: cum revera nimis obscure, et inadaequate, et vix, exprimantur per preces quae nunc habentur: utique vetustate et sanctitate venerandae, sed in decursu temporum adiectae, minus organice, minus sub lumine mysterii.

Veritates dogmaticae, quae supra summatim revocatae sunt, aptius utique locum invenirent in constitutione II, in « De satisfactione Christi », et in constitutione III, in cap. 1, n. 10 « De ordine morali christiano », explicite vero et efficienter revocandae in constitutione *de Liturgia.*

Sed, proh dolor, in constitutionibus illis II et III fere nihil de his veritatibus invenitur.

Unde, humillime sed instantissime peto:

Primo *et fundamentaliter*: ut veritates supra revocatae de Cruce, de Missa, de vita christiana, exponantur vel firme et explicite recolantur, quasi *fundamentum,* in constitutione *de sacra Liturgia.*

Secundo et subordinate: ut disponatur reformatio precum Missae ab Offertorio ad Communionem, ut clare et efficaciter veritates *illae exprimantur.*[5]

In textu scripto tradito: [1] Etiamsi revera oporteat SS. Concilium in constitutione *de s. Liturgia* — sicut dicitur in prooemio — « nihil velle dogmatice definire », attamen: I. In ipsa constitutione desideratur *definitio* clara et exacta de Liturgia (omnino insufficiens videtur descriptio, pulchra sed vaga, quae datur sub n. 3, p. 160, lin. 29-33). Etenim verbum *Liturgia* saepe saepius et a pluribus usurpatur cum significationibus valde diversis. Necesse est igitur ut. [2] super quod audeo suppliciter invocare maximam considerationem. [3] tantummodo. [4] videtur. [5] illas exprimant.

8

Exc.mus P. D. GARABED AMADOUNI
Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Em.mi ac exc.mi Patres,

Quae proposueram iam dicta fuerunt opportune hesterno die ab em.mo card. Ruffini et a Sua Beatitudine Paulo II, patriarcha Chaldaeorum, scilicet non praetermittere ex hoc schemate *de sacra Liturgia* considerationem aliorum rituum. Ideo, ut brevitati consuletur, omitto expositionem meae petitionis quae iam deposita est apud officium secretariatus generalis.

Hoc unum peto a venerabili consilio praesidentiae, ut velit, ope commissionis cuiusdam mixtae, compositae ex quibusdam membris com-

missionis liturgicae et orientalis, peractis opportunis emendationibus, schema hoc extendere ad ritus quoque orientales.

Nam *primo*: secus, constitutio haec erit facilis occasio plurium fluctuationum pro praesulibus Ecclesiarum orientalium, quousque principia et normae generalia ibi posita, per se applicabilia etiam illis, manebunt absque ulla definitione.

Secundo: etiam hi ritus, aequo iure, indigent instauratione et elevatione vitae liturgicae apud suos fideles.

Tertio: non pauci ex his ritibus, prout ipsi hodie exercentur et vigent apud communitates catholicas, indigent restitutione in pristinam genuinam formam traditionis, ita ut ipsi constituantur tamquam exemplar, capaces « ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia » fovendam potius quam reddere illam magis arduam.

Et *quarto,* in ultimo: dedeceret Concilium Oecumenicum, cum intendat consulere necessitatibus recentiorum Ecclesiarum in missionibus, praetermittere exigentias vetustarum Ecclesiarum orientalium. Dixi.

Textus scripto additus:

Initio constitutionis *de sacra Liturgia* declaratio posita in nota (pag. 155), mentem manifestat eiusdem constitutionis esse: « Altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia, proponere ». In prooemio autem asseritur unam ex intentionibus Sacrosancti Concilii in exaranda hac constitutione fuisse: « Quidquid ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere » (pag. 157).

Schemata quae sequuntur prooemium, plene iustificarent intentiones supra enuntiatas, nisi fuisset clausula posita ad calcem ipsius pag. 157, coarctans usum et destinationem huius constitutionis ritui romano exclusive. Nam illa clausula dicit: « Et licet inter haec principia et normas multa habeantur quae etiam ad alios ritus, orientales et occidentales, applicari debeant aut possint, *tamen ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare intelligenda sunt,* nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant » (pag. 157, nn. 29-33).

Sedulo animadvertenti schemata totius constitutionis, clarescit quaenam fuerit praecipua praeoccupatio auctorum in formulatione praecitatae clausulae: Respectus nempe erga traditiones orientales vel metus offendendi eas. Procul ullo dubio aequa quidem est attentio ista. At nonne melius fuisset conciliare cum hac consideratione, sollicitudinem non privandi ritus orientis et Ecclesias, actione benefica huius Concilii Oecumenici in materia tam gravi et magni momenti, quae est instauratio sacrae Liturgiae?

Concilium ne offendat ritus Ecclesiarum orientalium, inserendo praecitatam clausulam, nihil ordinare et definire pro ritibus orientis intendit, et sic peccare dicendum est per omissionem. Concilium in quo quasi omnes praesules catholici orientis sunt praesentes, nonne deberet habere prae oculis etiam necessitates harum Ecclesiarum in hac materia?

Eo magis quod in constitutione de qua agitur extolluntur sana principia generalia liturgica et definiuntur normae quae quam maxime in honore fuerunt in his

ritibus. Et si hodie, apud aliquos haec principia labefactata sint, iniuria temporum, non erit difficile reformare ea et ad pristinam vitam reducere, dummodo Concilium hoc Oecumenicum velit consulere etiam exigentiis ipsorum.

Revera in clausula praecitata, generica et modo vago assertio haec: « licet inter haec principia et normas *multa habeantur quae etiam ad alios ritus, orientales et occidentales, applicari debeant aut possint...* », quemnam fructum dabit in posterum si Concilium abstinetur ab omni actu definitionis? Aut praebetur praesulis orientis occasio pro plurimis difficultatibus quoad selectionem principiorum et normarum applicandarum pro suo ritu, aut ansa dabitur nimiae libertati in commentando de applicatione vel non pro oriente, harum normarum. Utraque solutio non caret incommodis quae deberent evitari et evitarentur reapse si Concilium susciperet onus et responsabilitatem definiendi, ex nunc, ea quae valent aequo titulo, pro tota Ecclesia Catholica, scilicet pro ritibus occidentis et orientis; et alia quae valent solummodo pro ritu romano.

Momentum huius definitionis non est tantummodo in eo quod praeveniat incommoda pro futuro, foveat claritati etc., sed, quod dignum est maxima consideratione, indoles oecumenica Concilii magis et melius eluceret, cum munus eius praeprimis sit consulere profectui et exigentiis Ecclesiae Catholicae, Ecclesiae Christi ut sic, et postea alicuius partis eius, quamvis haec pars potior et praeclarior fuerit.

Ductus his rationibus propono exc.mis Patribus Conciliaribus, ante omnia expunctionem illius clausulae restrictivae et deinde revisionem schematis ipsius constitutionis *de sacra Liturgia,* in quadam *commissione mixta,* composita ex quibusdam membris commissionis liturgicae et orientalis, cum hac intentione consulendi etiam ritibus orientalibus.

Hoc potest fieri disponendo prius principia et normas quae aeque universalia et communia sunt omnibus ritibus Ecclesiae Christi, et deinde ea quae alicui ritui particulari propria sunt.

Praeses card. SPELLMAN:

Nunc loquatur exc.mus Echeverria, episcopus Ambatensis.

[*Intervallum*]

Exc.mus Echeverria, episcopus Ambatensis, loquatur!

[*Intervallum*]

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ, *subsecretarius*:

Loquatur exc.mus D. Bernardinus Echeverria, episcopus Ambatensis, Ambato, in Aequatore, in Republica Aequatoriana.

[*Intervallum*]

Praeses: Abest!

Exc.mus P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ:

Em.mi Patres, exc.mi Patres,

Ego non postulavi, non manifestavi voluntatem loquendi. Nescio qua de causa sum nominatus. Dixi.

Praeses: Bravo!

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ, *subsecretarius*: Secretaria generalis accepit litteram cum quodam « resumine » brevissimo interventionis faciendae ab exc.mo Echeverria. Nescio utrum auctor fuit ipse episcopus Ambatensis an alius. Ideo inclusus fuisti in relatione hodierna.

Praeses: Gratias!

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*: Audiant omnes! Cum Patres interdum petierint et petant a Concilio abesse ob grave motivum, Sanctissimus Dominus Noster dispensare aliquatenus dignatus est a praescripto Ordinis, ita ut si quis Pater abesse debeat a Concilio ob grave motivum, praesertim pastorale, sufficiat ut id significet secretariae generali, quin exspectet responsionem.

Nunc incipit disceptatio de prooemio constitutionis *de sacra Liturgia,* quod ita incipit: « Sacrosanctum Concilium, cum sibi proponat vitam christianam inter fideles in dies augere, institutiones ecclesiasticas, prout mutationibus obnoxiae sunt, nostrae aetatis necessitatibus melius aptare... », et reliqua (nempe, in pag. 157 voluminis); et etiam circa caput primum, quod ita incipit: « (Opus salutis a Deo praenuntiatum, in Christo eiusque opere impletur, ...). Deus, qui, omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ... », et reliqua.

Velint Patres, qui vocantur, orationem suam continere in limitibus materiae, non ad alia capita transire. Dixi.

9

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Liceat mihi nonnullas animadversiones vobis perpendendas humiliter subiicere.

1. Ante omnia male mihi sonant vocabula « instaurare, instauratio », quae frequenter inveniuntur in schemate (cf. Prooemium lin. 7 et 27; pag. 162 lin. 34; pag. 164 lin. 15; pag. 169 lin. 32), perinde ac si finis, quem de Liturgia sibi proponere debeat Concilium, sit omnia renovare vel reficere, cum id illa verba significent vel significare possint.

2. Sermo adhibitus in capite I sub numeris arabicis 1, 2, 3, 5 non videtur mihi satis perspicuus neque apte coniunctus cum re proposita. Ex Litteris Encyclicis Pii XII, sanctae recordationis, *Mediator Dei,* datis

die 20 novembris 1947, facile hauriri posset modus dicendi...[1] brevior, clarior, efficacior.

3. In pag. 161, sub numero arabico 6 — initio — legitur: « Labores autem apostolici ad id tendunt, ut qui receperunt fidem et *paenitentiam egerunt* filii Dei fiant per Baptismum, ... », etc. Haec verba congruunt quidem iis qui Baptismum in aetate adulta recipiunt, non autem pueris, qui certe paenitentiam adhuc non egerunt; sed tamen etiam ipsi per Baptismum fiunt filii Dei, sicut aperte definivit Concilium Tridentinum, Sess. VI, cap. 5.

4. Item non apte dicitur quod legimus in eadem pag. 161, lin. 35 et subsequenti: « Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, ceu *ex primo fonte,* gratia nobis derivatur... », etc. Quae sententia est saltem ambigua et incerta. Liturgia, prout est participatio activa sacris mysteriis et orationi publicae ac sollemni Ecclesiae, habenda est quidem fons primus et necessarius ex quo hauritur verus spiritus christianus, ut declaravit S. Pius X Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* dato die 22 novembris 1903; sed, proprie loquendo, Liturgia non est primus fons gratiae, neque *primus* fons gratiae est Eucharistia (nisi ratione dignitatis), quamquam haec haberi debeat fons maximus gratiae utpote quae ipsum auctorem gratiae, Iesum Christum Dominum Nostrum, contineat.

5. Pag. 163, lin. 30 et subsequenti legimus: « ... ita ut *tota vitae ratio* in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu informetur ». Profecto quod his verbis praecipitur iustam normam excedit. Pius XII, loco in annotatione laudato, accuratius et subtilius sacrorum alumnos adhortatur ut « sacram Liturgiam addiscant eaque sese nutriant ». *Tota vitae ratio* alumnorum in spem Ecclesiae succrescentium informanda est ad solidam pietatem (divinam), quae alitur non solum Liturgia, sed pluribus aliis exercitationibus, ex. gr. piis meditationibus, conscientiae propriae inquisitionibus, cultu eucharistico extra-liturgico, filiali devotione erga Sanctissimam Virginem Matrem.

6. Pag. 164, n. 16, lin. 28-30, haec inveniuntur: « Libri liturgici recognoscantur, peritis ex universo orbe adhibitis; et intra paucos annos edantur ». Velim saltem id adiici: « postquam Congregatio sacrorum Rituum omnia consideraverit et approbaverit, si approbanda ei visa fuerint ».

7. Pag. 165, lin. 29 et subsequenti, dicitur: « *In substantiali unitate* ritus romani, *legitimis* varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus, locus relinquatur ». Quantum mihi licet, exopto ut clare definiatur quae sit substantialis ritus romani unitas, ut decerni possit si varietates et aptationes liturgicae — quando proponentur — legitimae sint necne.

8. Pag. 166, ab initio usque ad litteram grandem C, nimium conceditur vel concedendum dicitur « Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae Episcopali » in cultu ordinando « imprimis quoad administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, etc. ». Additur quidem lin. 7 et 8 « actis a Sancta Sede recognitis »; sed non sufficit, *ut mihi videtur*.[2]

Pius XII in Encyclicis Litteris *Mediator Dei*, quae iure meritoque habentur Magna Charta sacrae Liturgiae, firmiter id statuit: « Uni Summo Pontifici ius est quemlibet de divino cultu agendo morem recognoscere et statuere, novos inducere ac probare ritus, eosque etiam immutare, quos quidem immutandos iudicaverit; episcopis autem ius est et officium vigilare diligenter ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu observentur ». Exinde episcopi, sive separatim sive in unum collecti, si quid in sacris ritibus immutandum existimaverint, id nullo modo decernere possunt, sed Summo Pontifici plene ac suppliciter subiicere tenentur.

9. Eadem pag. 166, lin. 27 et subsequenti, legimus: « Etsi sacra Liturgia est praecipue adoratio divinae maiestatis necnon donum gratiae Dei... », etc. Pro his verbis alia substitui velim, scilicet: « Etsi sacra Liturgia est praecipue *cultus publicus* divinae maiestatis... », etc. Cultus enim publicus, qui Liturgia constituitur, complectitur, praeter Dei adorationem, etiam gratiarum actionem, expiationem seu propitiationem, et impetrationem.

10. Pag. 167, lin. 13 et subsequenti, proponitur ut amplior locus linguae vernaculae in Liturgia tribuatur. Hac in re cautissime procedendum esse reor. Sine dubio « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis est apud populum » — ut asseruit Pius XII in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* pluries iam *a me* [2] laudatis; at vitandus est omnino — ut opinor — nimius usus linguarum vulgarium, ne amittatur vel graviter imminuatur perpulchra illa plurimorum populorum christianorum unitas quae etiam Liturgiae unitate fundatur. Quemadmodum scite monuit ipse Pius XII his verbis: « Latinae linguae usus, ut apud magnam Ecclesiae partem viget, perspicuum est venustumque unitatis signum, ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas » (Encycl. *Mediator Dei*).

Plerique sane fidelium linguam latinam non intelligunt, sed hodie, facilius quam heri, prae manibus omnes habere possunt missale secundum uniuscuiusque linguam. Porro si fideles plurium nationum assistunt eidem Missae, quaenam lingua adhibebitur? Num lingua latina, quae

communis tunc fieret? Nonne sic incongruens varietas haberetur pro diversis rerum adiunctis et quidem probabiliter in eodem loco?

11. Pag. 167, lin. 25 et subsequentibus. Ex verbis ibi coniunctis, si approbentur, Concilium videretur statuere homiliam esse partem necessariam actionis liturgicae, quod *ut mihi videtur,*[3] admitti nequit.

12. Tandem pag. 168, lin. 24 ss., legitur: « In celebrationibus liturgicis quisque ... solum et totum id agat, quod sibi *ex rei natura* spectat ». Potius dixerim « quod sibi ex normis liturgicis a Sancta Sede approbatis spectat ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (introductorius). [2] deest. [3] deest.

10

Em.mus P. D. IACOBUS card. DE BARROS CÂMARA

Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

Quoad prooemium:

1. Verba quae, sub lin. 25, declarant nihil definiendum velle dogmatice, mihi videntur retinenda.

Quantoties ex lege orandi desumuntur argumenta pro lege credendi. Ideo, demptis illis verbis, fortasse in futuro theologis ansam dabimus ad multas discussiones instaurandas. Et scopus huius prooemii est instaurare Liturgiam et non disceptationes theologicas.

2. Quoad alios ritus, tum orientales tum occidentales, etiam retinendum est textum prout stat in hoc prooemio, quia periti in illis ritibus possunt illos examinare et proponere mutationes, si quae faciendae *sunt,*[1] sed haec omnia tempore huius Concilii, ut Patres Conciliares se manifestare valeant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] erunt.

11

Em.mus P. D. MAURITIUS card. FELTIN

Archiepiscopus Parisiensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Non possum non laudare mentem et verba articuli 24 huius schematis: « Linguae latinae usus in Liturgia occidentali servetur ». Adhuc

enim se praebet ut signum aliquod perpetuitatis et unitatis, sicut Constitutio Apostolica *Veterum Sapientia* nuper referebat.

Attamen, ut prosequitur dictus articulus, maxima instat necessitas sermoni vulgato in eadem Liturgia locum tribuendi.

Iam nonnulli Patres de hac re optima dixerunt. Mihi tamen veniam detur ut aliqua brevia addam. Ad hoc, pastoralis sollicitudo vehementer urget me.

Archiepiscopus cum sim frequentissimae dioeceseos, in qua multo maior incolarum pars nullam linguae latinae intelligentiam habet, comperiendi copia mihi data est quantum lingua latina in nostris liturgicis caeremoniis usurpata Ecclesiae nuntium tegeret, nec non et eius erga has *humanas multitudines* [1] operi impedimento esset.

Non solum eos qui nondum religioni parent ad has caeremonias adducere arduum est; sed ipsorum christianorum perseverantia deficit: nonnulli autem istam causam inveniunt qua ab omni religionis cura *desisterent*; [2] alii vero, quamdam communitatis precationem desiderantes, alliciuntur diversis ac recentioribus sectis, quae eam sibi sermone patrio proponunt.

Quod ad fideles pertinet, duplex conatus iam a multis pastoribus inceptus — et cum vero sacrae Liturgiae animo tam plane congruens —, ad eos celebrationi active participandos, et ad eorum pietatem ex ipsa liturgica actione nutriendam, constanti de lingua quaestioni offendit.

Si autem vera fateri volumus, nonne longe a bona mente sit nos fidelibus ad eos docendos vel hortandos alloqui, sermone quem non intelligunt; aut eos precibus lingua ab eis ignota prolatis ut sese active coniungant invitare?

Lingua latina, fateor quidem, quibusdam populis quorum sermo propinquior, oneri non est; sed scio in multis aliis regionibus, praesertim missionum, huius linguae in Liturgia usum exclusivum etiam graviora incommoda praebere.

Sancta Sedes aliquot nationibus beneficas facultates iam concessit. Ut abundanter amplientur exopto.

Nonne adhiberi posset haec generalis norma: vernaculae linguae usus permitti potest pro his omnibus quae sacerdos ad ipsos fideles vertit, scilicet Verbi Dei proclamationem, exhortationes, monitiones; pro his omnibus quae a populo dicuntur, vel a populo una cum sacerdote, vel ab ipsis alternis vicibus recitantur.

Hoc autem principium applicandum esset Missae celebrationi, haud quidem Missae catechumenorum tantum, ne haec pars, alterius incommodo, fidelibus sola pervia fieret.

Exceptio tamen fieret pro Missa sollemni, ut servarentur cum verae

traditionis christianae musicales divitiae, tum possibilitas inter diversarum nationum christianos unanimae celebrationis agendae.

Idem principium sacramentorum administrationi applicaretur (verbis sacramentalibus exceptis), ut iam ritualibus pluribus regionibus concessis provisum est.

Evidenter manet quod nulla translatio in liturgicis caeremoniis usurpari possit, nisi prius ad hoc ipsum approbata fuerit.

Nolo celare me, ut episcopum, eiusmodi pastorali cura etiam quoad sacerdotes meos affici, electam quidem commissi mihi gregis partem, necnon et mei apostolici laboris consortes.

Ex his aliqui solummodo imperfecte Ecclesiae laudibus partem habent, et in Officio divino vitae spiritualis pabulum invenire nequeunt, propter linguam latinam.

Dum omni ope nitor ut admoveatur Constitutio Apostolica *Veterum Sapientia* et futuri sacerdotes sermonem latinum magis erudiantur, exopto, ut officii lectiones lingua vulgari haberi possint, et ut episcopi certis casibus ampliores facultates concedere possint. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] multitudines humanas. [2] desistant.

12

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. McINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi et rev.mi in Christo,

Hae animadversiones de lingua Liturgiae referuntur ad pag. 167 et par. 24.

Crescente imperio romano, universalis usus linguae latinae in occidente in sacra Ecclesiae Liturgia recte tribuitur sapientiae humanae et plus quam humanae. In hac re Providentia divina clare viam monstravit. In saeculo IV Concilia ecclesiastica formulaverunt doctrinas et Ecclesiae dogmata in praecisa terminologia latina. Facta saeculi IV ostendunt gravissimam rationem retinendi usum linguae latinae in sacra Liturgia et sacra theologia. Consideratio factorum historiae multum valet in tempore praesenti. Conatus debilitandi soliditatem traditionis linguae latinae in his rebus catastrophen secumferunt. Fundamentaliter, lingua latina adoptata est quia Patres nostri bene intellexerunt naturam vere apostolicam Sanctae Matris Ecclesiae, atque eius universalitatem se extendentem ad omnes gentes. Recte censuerunt talem universalitatem

maxime serviri per commune medium communicandi. Certe lingua latina utilem ad hoc medium commune mirabiliter se demonstravit. Praeterea, doctrinae Ecclesiae, per facta saeculi IV, praecisae sunt. Doctrinae tam definitae requirunt formulationem in lingua exacta, clara et immutabili, ubique comprehensa, vel saltem satis comprehensa a pluribus atque ab omnibus intellecta quia eis interpretatum est.

Lingua latina tale medium communicandi se ostendit. Effectibus mirabilibus iam operam dedit. Restrictiones nationalitatum superavit. In re politica neutri parti se adiunxit. Magna cum constantia in nostra epoca efficientia eius perseverat.

Adoptata lingua latina, lingua vere universalis evenit in occidentali, praesertim inter viros eruditos et litteratos. Habens structuram non vulgarem sed mathematicam, lingua latina primatum continuum adepta est, ac per omnia saecula praeservat. In rebus intellectualibus, in rebus litterariis et scientificis iam valde praestat.

Concilia priorum saeculorum dogmata Ecclesiae in lingua latina formulaverunt usque ad accommodandum et latine reddendum disputata vocabula graeca. Vehiculum dogmatis latina lingua semper fuit quia medium aptum accurate, definite et determinate cogitandi ac principia statuendi. Non solum disciplinis ecclesiasticis sed etiam lege civili et philosophia fideliter deservit. Si hoc instrumentum, tam aptum moderandi et firmandi, a sacra Liturgia eripitur, stabilitas dogmatum periclitatur. Sectae protestanticae linguae vulgari se converterunt et in factiones innumeras se dissolverunt.

Per multa saecula lingua latina sub tutela Ecclesiae stabilitatem magnificam exhibet. Fundamentum immutabilitatis est, et viris doctis pretiosum moderatorem colloquendi et scribendi praebet.

Eo quod in forma originali lingua latina numquam evoluta est in linguam vulgarem, stabilitas eius et immutabilitas auctae sunt. Sane in omni tempore est lingua classica maxime eruditorum.

Memores tam historiae priorum saeculorum, tam necessitatum hodiernarum, *rogo*:[1] ubi est iustificatio opinionis quae ad nutum, *iterum dico ad nutum*,[2] vult mutare linguam venerabilem sacrae Liturgiae? Impugnatio in linguam latinam sacrae Liturgiae indirecte, sed vere, est impugnatio in stabilitatem sacrorum dogmatum, quia sacra Liturgia necessario importat dogmata.

Saeculis recentibus, etiam in America Septentrionali tam materialistica, incrementum Sanctae Matris Ecclesiae vere mirabile fuit, retenta sacra Liturgia in lingua latina. Conatus protestantismi deficiunt, et protestantismus lingua vulgari utitur. Iterum rogamus: quare mutatio, praesertim quando mutatio in hac re difficultates multas et pericula magna

secumfert? Omnes in hoc Sacro Concilio possumus in mentem revocare mutationes fundamentales in significatione verborum vulgarium usus hodierni. Deinde sequitur quod si sacra Liturgia in lingua vulgari sit, immutabilitas doctrinae periclitetur.

Annis recentibus tandem nationes ignotae se patefaciunt ac linguae novae et multae, nationum et tribuum, in notitiam omnium venerunt per associationem Nationum Unitarum.

Si linguae vulgares introducuntur, praevidemus interpretationes innumeras sacrorum dogmatum. Ut aeterna veritas doctrinae exprimatur, sacra dogmata significationem et formam pristinam immutabiliter retineantur!

Introductio linguae vulgaris debet separari ab actione sacrae Missae. Sacra Missa debet remanere ut est. Graves mutationes in liturgia introducunt graves mutationes in dogmata. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

13

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Em.mi et rev.mi Patres,

Mihi gratissimum est declarare quod, magno cum gaudio et toto corde, approbo et mentem et plerasque propositiones illius prooemii et primi capitis...[1]

Etenim[2] antiquissima Ecclesia sub figura boni Pastoris Christum « passum, mortuum ac resuscitatum » libenter evocabat. Sacra vero Liturgia, cuius fons et origo Christus est, ex sua ipsa natura *pastoralis est.* Sicuti sanguis Christi « pro multis effundetur » (canon Missae), ita *propter homines* sunt sacramenta. Servatis ergo eis quae ad substantiam sacramentorum pertinent, obiectum primariae sollicitudinis Ecclesiae sacram Liturgiam renovantis, ipsorum hominum necessitates esse debet. Quaestio renovationis Liturgiae est quaestio eminenter pastoralis. Sacramenta et particulariter sancta Missa sunt *via praecipua,* immo (si considerantur regiones ubi libertas religiosa minuitur) *via saepissime unica* qua verbum Christi et vox Ecclesiae a fidelibus audiri possunt. Omnia ergo possibilia fieri debent, quibus thesauri Ecclesiae in sacra Liturgia absconditi aperiri possent, ita ut omnibus hominibus (quaecumque sit eorum lingua vel cultura) Christi mysteria salvifica late pa-

teant et illos spiritualiter nutriant...[3] Tamen, ex pastorali prudentia viam firmiter aperiendo ad linguas vernaculas, illam sanctam *fortitudinem* et inconcussam *fiduciam* habeamus quae semper Ecclesiam inspiraverunt in difficilioribus optionibus decidendis.

Propositiones illius constitutionis de sacra Liturgia a pastorali zelo funditus inspiratae sunt...[4]

De primo capite quattuor breves animadversiones faciam.

Art. 16. - Sic legitur hic articulus: « *Libri liturgici recognoscantur, peritis ex universo orbe adhibitis; et intra paucos annos edantur* ».[5] Ad mentem propositionis ab em.mo card. Döpfner heri factae, ardenter exopto ut ad Summum Pontificem desiderium exponatur ut commissio postconciliaris ad libros liturgicos recognoscendos ante ipsius Concilii conclusionem, immediate post promulgationem constitutionis de sacra Liturgia constituatur.

Ratio est quia agitur de materia valde pastorali quae curam Ecclesiae immediate postulat. Praeterea periculum habetur, in materia quae tam proxime vitam omnium fidelium tangit, ne inutiles disputationes Ecclesiam perturbent de conclusionibus practicis ex generalibus principiis constitutionis deducendis.

Art. 22. - Primae sententiae substituatur sequens formulatio (*sic dicitur*: « *Et quia in quibusdam regionibus, praesertim autem in missionibus...* »[6]): « Et quia in *plerisque* regionibus, nempe in illis missionum sicut et in illis quae antiquissime ut christianae considerantur, Liturgiae aptatio difficilior evadit et magis urget ».

Ratio est quia necessitas adaptandi Liturgiam non solummodo existit in missionibus (ut insinuari videtur in textu) sed etiam in regionibus mundi occidentalis ubi, ab ultimo saeculo, nova civilizatio nata est: nempe civilizatio technicarum, quae in omnibus campis humanae activitatis, culturam et ipsam mentalitatem hominum funditus transformavit; quae civilizatio suum proprium symbolismum creavit et renovatos modos mysteria fidei attingendi exigit.

Art. 24. - Lin. 19 deleatur et dicatur potius: « ... limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis a Sancta Sede recognitis ».

Ratio est quia illa formulatio conformior est iurisdictioni quae, sub Romano Pontifice, episcopis pertinet; quia praeterea illa formulatio, quae episcopalem potestatem legisferendi merito recognoscit, erat ipsa et eadem formulatio schematis commissioni centrali propositi et ab illa approbati.

Art. 25. - Propono ut in descriptione ibi data de praedicatione seu de homilia aliud elementum addatur. Dicatur lin. 30 praedicationem

patefacere debere requisita immediata et concreta Mysterii Salutis in *quotidiana vita fidelium*. Meo enim iudicio, non sufficit modo nimis generali dicere mysterium Christi praesens semper esse et operari...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Mens enim illius constitutionis perfecte consonat restaurationi liturgicae a sancto Pio X initiatae et a Pio XII et Ioanne XXIII, Pontifice feliciter regnante, persecutae. Nunquam, a primis saeculis Ecclesiae, mysterium paschale tanta in gloria repositum est. [2] deest. [3] Ne sane despiciatur signum et medium unitatis quod in lingua latina inveniatur. [4] De eorum admirabili opere fervidam gratulationem facere desidero membris commissionis praeparatoriae *de sacra Liturgia*. [5] deest. [6] deest. [7] Haec est animadversio quam humiliter et confidenter propono.

14

Em.mus P. D. VILLELMUS card. GODFREY
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Meo humili iudicio [1] schema generatim placet, sed liceat animadversiones aliquas facere.

Placet quod legitur in prima pagina prooemii quod non est intentio sacrosancti Concilii in praesentibus constitutionibus aliquid ut doctrina fidei definire.

De principiis generalibus.

1. Placet omnino quod dicitur de usu linguae latinae in Liturgia occidentali. De sermone in lingua vulgari: utilis esset, meo...[2] iudicio, *in certis locis et in variis ritibus;* v. g. partim in sacramentis, et in sacramentalibus. Sed nonne valde desiderabile esset relinquere sacrosanctum sacrificium Missae uti est? Aliqui loquuntur de utilitate linguarum vulgarium in missionibus, sed varii missionarii intelligunt bene quod magnae difficultates oriri possint, causa varietatum linguarum tribuum, cum consequenti confusione. Non desunt, uti scimus, illi qui desiderant excludere linguam latinam totaliter a Missa in Liturgia occidentali, et non sine strepitu propagant eorum ideas. Verum est autem in hac quaestione rem conferentiae episcopali debere submitti, secus habebimus, ni fallor, magnam confusionem, speciatim in finitimis regionibus.

Licet sperare quod unus Concilii fructus erit ut post decreta Sanctae Sedis de usu linguarum vulgarium fiat tranquillitas magna et cessatio omnis agitationis...[3] Excludatur etiam omnis interpretatio privata rubricarum quae, ni fallor, radicem habet in spiritu iudicii privati. Revera

valde optandum est ut res pacifice solvatur post Christi Vicarii decisionem in Concilio.

2. Quantum spectat ad ea quae dicunt fratres separati: verum est quod illi non raro nos exprobrant de ignorantia Sacrae Scripturae, asserentes esse apud nos quemdam defectum proportionis inter elementum sacramentale et elementum scripturale, *i. e.*[4] proclamationis et praedicationis verbi Dei.

Attamen abstineamus ab omni exaggeratione. Catholici enim in nostra regione audiunt, die dominica et aliis diebus de praecepto, lectionem Sacrae Scripturae et catechesis fit brevi sermone in omnibus Missis. Notum est quod hodierno tempore catholici nostri, magno numero, assistunt Missae et audiunt verbum Dei. Ecclesiae nostrae plenae sunt dum, e contra, ecclesiae aliorum non raro habent parvas congregationes, et hoc non obstante usu linguae vulgaris forma sat pulchra necnon classica...[5]

3. In tota hac quaestione de Liturgia in recta via stabimus si manemus cum Sancta Sede. Illi qui cito currunt vellent anticipare magisterium Sanctae Sedis. Non ita discipulus praedilectus quando currebat cum Petro ad sepulcrum Domini. Celeri pede ad metam pervenit sed non intravit nisi Petrus primum ingressus fuerit in *sepulcrum.*[6] Utinam omnes nos eiusdem mentis simus!

4. Certo non est necesse animadvertere Liturgiam non esse finem in se ipsa, sed magis medium ad finem; et finis est augmentum fidei, spei et caritatis. Melius esset, uti mihi videtur, incipere hoc caput, *caput de quo nunc discutimus, melius esset, uti mihi videtur, incipere hoc caput*[7] cum praecisa definitione Liturgiae. Scio bene quod in pag. 160 datur aliqua explicatio termini. Non facio hic quaestionem nisi de loco ubi definitio poni deberet. Denique ne obliviscamur illa exercitia pietatis approbata et commendata ab Ecclesia. Distinctio inter liturgistas et non-liturgistas, quantum ad nos spectat, mihi videtur artificialis. Nonne sumus omnes liturgistae? Nonne distinctio deberet esse inter liturgistas exaggeratos et moderatos?

5. In dubio de modificatione Liturgiae argumentum historicum non debet nimis premi. Si quis mihi diceret « Haec caeremonia non fuit introducta nisi in saeculo XII », accipio hoc tamquam declarationem historicam, sed non est argumentum. Id quod nos debemus considerare est argumentum pastorale, nempe: estne hoc propositum, hic et nunc, utile et aptum pro gregibus nostris, quidquid sit de tempore introductionis alicuius elementi? Forsitan in futuro Concilio dicetur de nostris decisionibus: « Hoc introductum fuit solum in anno 1962 ». Essetne bonum argumentum contra decreta nostra?

In pag. 164, sub n. 16, legitur: « Libri liturgici... etc. ». Licet sperare quod post editos libros non erunt ulteriores mutationes pro certo tempore, quia non est facile, uti scimus, saepe mutare libros nostros, v. g. missalia, breviaria.

6. In pag. 168, sub n. 26, ubi loquitur de celebratione communi praeferenda, puto me bene sensum intellexisse; sed, meo iudicio, melius esset hunc articulum eliminare quia possit interpretari ut quodammodo quaedam diminutio celebrationis Missae privatae.

Cum gaudio legi verba sub n. 28 de Ecclesiae auctoritate in Liturgia moderanda. « Nullus — *nullus* [8] —, dicitur, aliquid privato marte in Liturgia addat, demat aut mutet ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] humili. [3] et amaritudinis. [4] deest. [5] praesertim in ecclesia anglicana. [6] sepulcro. [7] deest. [8] deest.

15

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS
Archiepiscopus Limanus

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

...[1] Schema *de sacra Liturgia* nobis praesentatum in genere placet cum respondeat fini intento eamdem sacram Liturgiam melius aptandi hodiernis necessitatibus cleri et populi christiani.

Probantur etiam quae in schemate proponuntur de via aperienda legitimae progressioni (n. 18) ac de loco relinquendo « in substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus » (n. 20, pag. 165 ss.).

Cum tamen ritus unitas multum conferat unitati ipsius Ecclesiae, summo studio cavendum esse existimo ne plus aequo varietati faveatur. Nunc vero, in n. 21 schematis, pag. 166, dum conceditur Ordinariis singularum provinciarum vel regionum vel etiam Conferentiae episcopali nationali maior facultas divinum cultum ordinandi, imprimis quoad administrationem sacramentorum et sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, etc., non clare apparent limites huius facultatis concessae eo quod verba finalia eiusdem paragraphi, « actis a Sancta Sede recognitis », possunt interpretari diverso modo, et proinde forsitan aliquod periculum prae se ferre ne via aperiatur effusiori licentiae ex qua ipsa substantialis ritus unitas quadamtenus labefactetur.

E contra, optime statuitur in numero sequenti 22, ubi agitur de missionibus, quomodo procedi debeat in aptationibus liturgicis proponendis et qua via in praxim deducantur. Quam ob causam, melius, tutius et aptius esse censerem si ubique locorum ubi variationes vel aptationes liturgicae desiderantur, applicarentur normae quae isto n. 22 proponuntur vel saltem clarius statuantur limites inter quos Conferentiae episcopales possint hac de re innovare.

Hoc modo debite consulitur et necessitati viam aperiendi nonnullis mutationibus de Liturgia accommodatis hodiernis exigentiis, et alia ex parte evitabuntur immodicae varietates et fortasse possibiles deviationes.

Quapropter *accuratius, melius esset* [2] loco ultimorum verborum n. 21, « actis a Sancta Sede recognitis », *si* [3] dicatur: « servata norma in numero sequenti sub 1 recensita ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Imprimis. [2] propono ut. [3] deest.

16

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Venerabiles Patres,

Pauca tantum dicendum habeo, quia iam multa dicta sunt quae non est necessarium iterum tangere. [1]

In prooemio, lin. 4, dicitur: « ... quidquid ad unionem fratrum separatorum *in* Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere ». Accuratius esset dicere: « quidquid ... ad unionem fratrum separatorum *cum* Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere ». Cum omni caritate et dilectione adspicimus fratres separatos et desiderium nostrum summum est eos habere nobiscum, sed puto quod non licet adhuc dicere: « quidquid ad unionem fratrum separatorum *in* Ecclesia... ». Ergo: *cum* Ecclesia!

In cap. I, pag. 161, lin. 30, ubi agitur: « (Eucharistiae sacrificium fons vitae Ecclesiae). Labores autem apostolici ad id tendunt, ut qui receperunt fidem et paenitentiam egerunt filii Dei fiant per Baptismum, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent et cenam dominicam manducent ». Propono ut ibi inserantur haec verba, post vocem « laudent »: « in medio Ecclesiae Deum laudent, *sacrificio divino intersint,* et cenam dominicam manducent ». Non est necessarium explicare, ut puto, necessitatem huiusmodi inserti.

In eodem capitulo, pag. 166, lin. 4 et 5, loco dicendi: « maior concedatur (a Sancta Sede) facultas », melius esset ut diceretur: « optandum

esset ut maior concedatur ». In modo loquendi Concilii Oecumenici, non deberet habere ne quidem ullam similitudinem cum ordine dando Sanctae Sedi, sed optandum esset. Et idem dicerem quoad eamdem paginam, lin. 19 et 20.

Item in eodem cap. I, pag. 167, lin. 26 et 27: de praedicatione in sacra Liturgia; et de praedicatione dicitur: « Haec vero imprimis ex fonte Sacrae Scripturae et Liturgiae hauriatur ». Puto quod bonum esset inserere: « Haec vero, *praeeunte divino Ecclesiae magisterio,* imprimis ex fonte Sacrae Scripturae et Liturgiae, etc. ».

Pag. 168, art. 26. Articulus iste mihi videtur esse nimis succinte redactus, cum periculo cuiusdam confusionis. Si textus ad litteram sumeretur, aliquis ex eo certe, male interpretando intentionem redactorum, posset concludere melius per se esse ut sacerdos aliquis Missae ab alio sacerdote celebratae, cum fidelibus actuose participantibus, adsistat, quam ut propriam Missam celebret. Unde humiliter consulerem ad omne dubium auferendum ut iste articulus iterum redigatur et noviter proponatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

17

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérés et bien aimés Frères,

Bien que le schéma *de sacra Liturgia* ne concerne que le rite romain, qu'il me soit permis cependant d'apporter aux débats le témoignage d'un patriarche d'Orient, qui suit avec intérêt les progrès du mouvement liturgique dans l'Eglise latine. Pour brièveté, ce témoignage ne portera que sur le problème de la langue liturgique, considéré dans notre schéma au n° 24.

Je dois dire d'abord que le schéma, dans son ensemble, est excellent. Sous réserve de quelques amendements, *qui ont été faits ou qui seront faits par les évêques intéressés.*[1]

Je me permettrai de faire remarquer seulement que le principe énoncé en tête du n° 24 me paraît trop absolu. « *Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur* ». Il me semble que la valeur quasi absolue que l'on veut donner au latin dans la liturgie, dans l'enseignement et dans l'administration de l'Eglise latine, représente, pour l'Eglise Orientale, quelque chose d'assez anormal; car enfin le Christ a bien parlé le

langage de son temps. C'est bien aussi dans la langue comprise de tous ses auditeurs, l'araméen, qu'il a offert le premier sacrifice eucharistique. Les Apôtres et les Disciples en ont fait autant. Il ne leur serait jamais venu à l'idée que, dans une assemblée chrétienne, le célébrant pût faire lire les péricopes scripturaires ou chanter les psaumes ou prêcher ou rompre le pain en utilisant une langue autre que celle de l'assemblée. Saint Paul nous dit même explicitement: « Si tu ne bénis qu'avec l'esprit (c'est-à-dire dans une langue incomprise), comment celui qui a rang de non-initié répondra-t-il Amen à ton action de grâces, puisqu'il ne sait pas ce que tu dis? Ton action de grâces, certes, est excellente, mais l'autre n'en est pas édifié... Dans l'Assemblée, j'aime mieux dire cinq mots avec mon intelligence, pour instruire...[2] les autres, que dix mille en langue (incomprise) ». Toutes les raisons invoquées en faveur d'un latin intangible — langue liturgique, mais langue morte — semblent devoir céder devant le raisonnement clair, net et précis de l'Apôtre.

Par ailleurs, l'Eglise Romaine, elle aussi, jusqu'au milieu du IIIe siècle au moins, a employé, dans sa liturgie, le grec, parce que c'était la langue parlée de ses fidèles d'alors. Et si, à cette date, elle a commencé à abandonner le grec pour utiliser le latin, c'est précisément parce que le latin était devenu entretemps la langue parlée de ses fidèles. Pourquoi cesserait-elle aujourd'hui d'appliquer le même principe?

Quant à l'Orient, après l'araméen et le grec des premières générations chrétiennes, le copte s'y introduisit dans les campagnes d'Egypte. Ce fut ensuite le tour, a partir du Ve siècle, de l'araméen, du géorgien, de l'éthiopien, de l'arabe, du gothique et du slavon.

Dans l'Eglise d'Occident, c'est seulement au Moyen-Age que le latin fut considéré comme la seule langue universelle de la civilisation romaine et du Saint-Empire, par opposition aux langues des nations barbares qui dominaient l'Europe. Aussi l'Eglise d'Occident fit-elle du latin sa langue officielle et sacrée.

En Orient, au contraire, on ne s'est jamais posé de problème au sujet de la langue liturgique. Toute langue est liturgique, car, suivant le psalmiste, « Laudate Dominum omnes gentes », *donc on peut prier et chanter dans toutes les langues, toutes les langues peuvent glorifier Dieu. On peut avec toutes les langues* [3] prêcher l'Evangile et offrir le sacrifice. Et nous, en Orient, nous ne concevons pas qu'on puisse réunir les fidèles pour les faire prier dans une langue qu'ils ne comprennent pas.

La langue latine est morte; mais l'Eglise reste vivante; et le langage, véhicule de la grâce et du Saint-Esprit, doit être lui aussi vivant, car il est pour les hommes et non pour les anges: aucune langue ne doit être intouchable...[4]

Ceci dit, je proposerais d'abord d'atténuer quelque peu la rigidité du principe initial contenu dans le n° 24 (lignes 10-11) et qui est « *Linguae latinae usus in Liturgia occidentali servetur* », en disant par exemple: « *Lingua latina est lingua originalis et officialis ritus romani* ».

En second lieu, je proposerais de laisser aux conférences épiscopales dans chaque région la responsabilité de décider si, et dans quelle mesure, il convient ou non d'adopter la langue vivante dans la Liturgie. Le texte du schéma ne laisse aux conférences épiscopales que le soin de seulement proposer cette adoption...[5] Mais point n'est besoin d'une conférence *d'évêques* [6] pour faire une proposition. N'importe quel fidèle peut le faire. Les conférences épiscopales ne doivent pas pouvoir seulement proposer, mais décider, sous réserve de l'approbation du Saint-Siège. Je proposerais donc d'achever ainsi la fin du numéro 24 (lignes 6-19): « Sit vero Conferentiae episcopalis in singulis regionibus ... limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae *statuere, actis Sancta Sede recognitis* ».

A propos des langues vernaculaires, qu'il nous soit permis de dire encore un mot:

Combien nous aurions été heureux s'il nous était permis de comprendre tout ce qui se dit dans ce Concile, par le moyen de traductions simultanées comme cela se fait dans toutes les assemblées mondiales. Nous ne faisons injure à personne en disant que l'usage exclusif du latin nous empêche et empêche aussi beaucoup d'autres de comprendre des questions souvent graves, sur lesquelles nous sommes obligés de nous prononcer. Nous, les Orientaux, nous ne sommes pas obligés de connaître le latin, mais nous avons le droit de ne prononcer notre jugement qu'en connaissance de cause. La parole précitée de saint Paul: « Comment peuvent-ils dire Amen, s'ils ne comprennent pas ce qui se dit? », s'applique à nous. En plus, nous devons apposer notre signature à la fin des Actes du Concile, ce qui ne peut se faire qu'à bon escient, en sachant ce que nous faisons. Pour nous, Orientaux, la traduction en une ou tout au plus en deux langues: *l'anglais et le français,*[7] suffit et cela n'est pas *bien* [8] difficile.

Nous prions instamment la vénérable Présidence du Concile de faire le nécessaire pour accéder à notre légitime demande et nous permettre ainsi de faire des actes humains et non pas des actes machinaux.

D'avance nous lui adressons nos plus vifs remerciements.

In textu scripto tradito: [1] qu'ont fait ou feront les évêques intéressés, le schéma fait honneur à la Commission qui l'a préparé et, plus généralement, au mouvement liturgique lui-même dont il s'inspire. [2] aussi. [3] dans toute

langue quelle qu'elle soit on doit glorifier Dieu. [4] Nous admettons tous cependant que, dans le rite latin, l'adoption des langues parlées doit se faire progressivement et avec les précautions demandées par la prudence. [5] au Saint-Siège Romain. [6] épiscopale. [7] deest. [8] si.

Secretarius generalis:

Antequam coetus solvatur, fit repositio Sacri Evangelii. Proxima congregatio erit crastina, hora 9, in qua disceptatio prosequetur de prooemio et de primo capite.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE SACRA LITURGIA IN GENERE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE SACRA LITURGIA IN GENERE *

1

EM.MUS P. D. RUFINUS CARD. SANTOS
Archiepiscopus Manilensis

Multiformis indolis vota et optata, ad Sanctam Sedem missa pro materia Concilii apparanda, circa sacrae Liturgiae instaurationem eiusque adaptationem ut efficacius vitam spiritualem fidelium foveat, haec duo satis probant: *Primo*: convenientiam maximam ut sacra Liturgia fidelibus intelligibilis reddatur, in quibusdam ritibus admisso usu linguae vulgaris, et ut ipsi ritus et caeremoniae aliquando breviores fiant, vel etiam ut nonnumquam aliqui auferantur et ipsis alii magis congruentes substituantur. *Secundo*: his de rebus, propter maxime diversos in variis orbis regionibus populorum mores, traditiones, indolem, civilem cultum, non ubique easdem immutationes esse necessarias, immo nec convenientes.

Deliberationes usque nunc habitae in aula conciliari idipsum amplissime demonstrant, et ulterius ostendunt propositum schema excedere episcoporum postulata, adeo ut appareat quasi intenderet ex iis quae particulariter introducenda desiderantur, ut particularibus necessitatibus remedium detur, regulam generalem inducere ut fere omnia funditus renoventur, saltem in rebus magni momenti.

Quare videtur rem adhuc maturam non esse ut a Concilio decernantur immutationes faciendae ad particularia usque dirimenda, sed tantummodo ut quoad ea capita, quae in schemate constitutionis proposito tanguntur, Concilium praescribat tantum summa principia practica de sacra Liturgia, habita ratione ipsius efficacitatis pastoralis, ut aptetur iuxta diversarum regionum conditiones et necessitates.

Ad hanc vero instaurationem et aptationem in praxim deducendam, instituatur apud Sanctam Sedem, prout iam ab aliquibus Patribus propositum est, commissio mixta, quae viris componatur peritis in re liturgica aliisque in re theologica bene doctis una cum Sacris Congregationibus de Sacramentorum disciplina et Rituum, et consiliis exceptis, pro diversis regionibus ea quae immutari oporteat determinentur a Sancta Sede.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt vel iuri loquendi renuntiaverunt vel demum discussio clausa est.

Interea serventur concessiones usque nunc a Sancta Sede factae pro diversis locis; pro ceteris autem impetrentur ab ipsa Sancta Sede indulta quae opportuna respectivi Pastores censeant.

Sit autem Conferentiae episcoporum cuiusque nationis Sanctae Sedi deferre postulata earum mutationum, quas episcopi iudicent necessarias vel saltem convenientes: ipsi enim propriae regionis ac fidelium traditiones, mores, spirituales necessitates bene noscunt. Ubi autem lingua plurium vicinarum nationum est eadem, et populorum mores, traditiones, spirituales necessitates eadem quoque vel valde similia, collatis consiliis episcoporum earum nationum, eadem indulta pro omnibus postulari possunt et impetrari.

Quia autem, dum per instaurationem sacrae Liturgiae finis pastoralis praeprimis intenditur augendi vitam christianam fidelium, pastores ipsi qui fidelium curam habent non negligendi sunt, qui et ipsi divinum opus in utilitatem fidelium operantur; et quia diebus dominicis et festis de praecepto ipsi nimio sunt labore gravati, eo quod plerique pastores vel paroecias plurium fidelium millium regunt, vel pluribus exigui numeri fidelium paroeciis in diversis ac inter se distantibus pagis ministrare debent, summopere oportet ut pro iis qui curam animarum gerunt Breviarium re nomini consonet, ut sit revera breve Officium quod ipsi recitare teneantur diebus supra memoratis.

2

EXC.MUS P. D. IOSEPH DE IESU ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

Ad praesidentiam Sacri Oecumenici Concilii Vaticani Secundi, ea quae sequuntur in Domino mihi proponenda videntur, quoad schema de sacra Liturgia, de quo abhinc multis diebus fit discussio.

1) In Concilio Oecumenico necessarium apparet, et a pluribus Patribus postulatur declaratio et sollemnis promulgatio, non quidem dispositionum particularium, quae forte non post multos annos deberent mutari, ex ipsis exigentiis pastoralibus et bono animarum in toto orbe, sed principiorum generalium quae pro tota Ecclesia, cuiuscumque ritus, habent immutabilem valorem, quamvis constet voluntas Concilii non definiendi quidquam dogmatice, quin sit necessarium hoc declarare in ipso textu constitutionis liturgicae. (Pro theologis erit negotium facile mentem Concilii agnoscere, ut vitentur exaggerationes).

2) Accurate definiatur sacra Liturgia ipsis verbis S. Pontificis Pii XII fel. rec., in Encyclica *Mediator Dei.* Excludantur definitiones quas ipse tamquam falsas et incompletas reiecit (quae ex magna parte in causa sunt cur multa minus utilia et inexacta dicta sint et non satis a pluribus attendatur ad maximum momentum s. Liturgiae quoad sanctitatem individualem et socialem, charitatem et apostolicum zelum, etiam missionalem). Eiusdem S. Pont.

Pii XII doctrina clare exponatur quoad necessitatem interni cultus, ad sinceritatem exercitii liturgici, quoad connexionem s. Liturgiae cum vita christiana, statu gratiae, qui non obtinetur neque augetur cum independentia a s. Liturgia, in qua intellecta ut est, habetur fons vitae supernaturalis. Dicatur de necessitate et efficacia s. Liturgiae ad vitam communitariam charitatis christianae, etiam extra ambitum templi, quae omnem vitam pervadat sitque maximum argumentum veritatis Ecclesiae, cuius unitas venit a vera participatione sacrificii Crucis, per eius renovationem et dignam eucharisticam participationem.

3) Ad omnem vitandam ambiguitatem exponatur clare eadem doctrina quoad connexionem vitae liturgicae et privatarum devotionum ab Ecclesia probatarum, earumque necessitas ad ipsam veram vitam liturgicam, quae nullatenus est vera si non includit devotionem internam, saltem incipientem, neque potest esse perfecta, in spiritu et veritate, si non supponat gratiam sanctificantem in eo qui cultum Deo refert, eamque semper promoveat et augeat.

4) Specialis mentio fiat de cultu eucharistico Christi Domini sub speciebus sacramentalibus latentis, ex doctrina Concilii Tridentini et Summorum Pontificum, speciatim ad refellendos errores perniciosos quos exclusit S. Pont. Pius XII, et tam de cultu liturgico ipsius S.mi Sacramenti quam de cultu privato. Similis explicita animadversio fiat de cultu cum liturgico, tum de devotione extraliturgica ad Sacr. Cor Iesu attendendo ad clarissimam doctrinam et praxim a Summis Pontificibus obligatorie inductam pro tota Ecclesia, praesertim a Leone XIII, Pio XI et Pio XII, simulque renascentibus erroribus omnis aditus praecludatur. In memoriam revocetur cultus authenticus B. M. Virginis, eius sponsi S. Ioseph, sanctorum eorumque imaginum et reliquiarum, ita ut omnis abusus excludatur.

5) Si S. Congregatio de Seminariis considerare iussit studium cantus ecclesiastici inter disciplinas praecipuas, a fortiori studium plenum s. Liturgiae, qui vero sensu definita debet esse finis studii s. Scripturae et ipsius theologiae dogmaticae, moralis et asceticae, nisi velimus harum scientiarum esse steriles notiones, si non dirigantur ad colendum Deum ut ipse praecepit, ut finem nostrum in hac et alia vita consequamur.

6) Ex mandato S. Concilii constituatur completus codex liturgicus diversus pro Ecclesia Orientali et Occidentali, cum commissione authentice interpretante, quae posset forte esse ipsa S. Congregatio Rituum.

7) Ut absque impedimentis et fructuose prosequi liceat discussio de modificationibus et aptationibus rituum et linguae liturgicae videtur pernecessarium determinare prius facultates quae tum singulis episcopis tum Conferentiis episcopalibus competere possunt in vi determinationum praesentis Concilii. Utrum possint aliquid statuere proprio iure praeter id quod actuales leges liturgicae ipsis concedunt, executionem nempe legum latarum a Romano Pontifice, utrum vero ipsis, saltem post huius Concilii celebrationem competat similis potestas ac in disciplina ecclesiastica, ita ut saltem modificationes

maioris momenti praecipue autem quas approbaverint in Conciliis provincialibus debeant, ad normam Codicis, recognosci a S. Sede. Vel, e contra, utrum unice a Concilio habent maiorem impulsum ad confidenter postulandas a S. Sede mutationes quas pro pastorali cura sui gregis opportuniores existimaverint, ita ut mentio fiat de Conferentiis episcopalibus ea mente ut prudentius procedatur in re quae quam maxime interest totam regionem vel integrum statum politicum (de populi participatione in Liturgia per convenientes aptationes et ferventem apostolatum liturgicum). Posset, in hoc casu addi specialis commendatio ut episcopi in Conferentiis adunati, vel saltem Conferentia monita ad S. Sedem recurrerent, ne periclitaretur quaedam unitas, quae necessaria pro ipsius populi utilitate et cultus decore videtur.

8) Quoad s. Liturgiae instaurationem, etiam in ordine Missae, attendendum ad finem celebrationis Concilii, reformandi nempe Ecclesiam et reducendi ad puritatem primigeniam vultum eius, ut dixit S. Pontifex gloriose regnans, ut possit omnibus populis, praesertim autem illis qui in Christum credunt et sunt extra catholici gregis unitatem, ostendi ut omnium Mater et unicum normale iter salutis spiritualis, in vita praesenti et aeterna. Ideo reformationes et adaptationes s. Liturgiae deberent tamquam fundamentum habere profundum studium historico-comparativum omnium liturgiarum diversorum rituum qui ab Ecclesia accipiuntur, ut ad tempus Apostolorum, quoad possit fieri, accedatur et ad lineas fundamentales quae resultant ex ipsis sacris Litteris et descriptionibus priorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum; ex alia autem parte attenderetur ad ea quae Ecclesia Catholica communia habet cum fratribus separatis, quae fere coincident cum elementis priorum saeculorum. Simul autem attendatur ad diversas aspirationes et psychologiam populorum nondum conversorum ad fidem et eorum qui a fide practice recesserunt et ad novum (periculosiorem) paganismum pervenerunt, vel etiam (quod peius est) doctrinas radicaliter falsas profitentur et exprimunt per caeremonias similes aut analogas s. Liturgiae catholicae. Attendatur ad experientias serio factas quarum exitus felix vel infelix constet scientifice peractas, ut iudicari possit de efficacia pastorali adaptationum.

9) Quoad Communionem sub utraque specie, videtur omnino inutile et abnorme terere tempus in ostendendo adesse periculum pro fide vel scandali fidelium, si in can. 866 statuitur plenissima libertas pro quocumque fideli, cuiusvis ritus, accipiendi, pietatis causa, sacramentum Eucharisticum quocumque ritu confectum, ita ut practice solum obligentur ad suscipiendum Viaticum, moribundi, si non urgeat necessitas, in proprio ritu.

3

EXC.MUS P. D. VILLELMUS BEKKERS
Episcopus Buscoducensis

Ego, Guillelmus Bekkers, episcopus Buscoducensis in Neerlandia, constitutionem *de sacra Liturgia* affirmare ac laudare volo.

Quam laudationem sequentibus praesertim rationibus statuere velim.

1) Cum s. Liturgia, in qua opus Redemptionis exerceatur, sit centrum et fons vividae vitae christianae, renovatio necessaria vitae fidelium, de qua pluries locutus est Summus Pontifex Ioannes Papa XXIII, impossibilis evadit sine renovatione spiritus liturgici, parique ratione, ipsius structurae rituum liturgicorum quae exstat expressio externa illius internae mentis liturgicae.

Hoc quidem schema in suo tenore fundamentali, prout praesertim in prooemio et capite primo exprimitur, talis est indolis, quae huic scopo pastorali, renascentiae scilicet vitae christianae, maxime consulat. Insuper hoc renovationis consilium, neglectis merito quaestionibus inter theologos libere adhuc disceptatis, prudentiore modo, habita ratione diversarum condicionum quales exstant diversis in provinciis ecclesiasticis, rem sub lite aggressum est, ea lege ut totum schema solutionem generalem perpolitam afferat, in qua quidem solutione desideria alterorum alteris non officit.

Laudandum in hac parte etiam est, quod hoc schema exaratum videtur non a viris, quorum tantummodo interest archaeologia historica Liturgiae, sed a viris qui pastorali cura moti animis fidelium subvenire volunt et Ecclesiae servire cupiunt, non quidem sine studio historico-liturgico ut in tramite traditionis Ecclesiae renovatio liturgica maneat.

2) Ex altera parte, licet S. Congregatio Rituum pluries iam bene merita est de hinc illinc iam instituta restauratione quae gaudio magno a populo fideli fuit acceptata, nunc tempus urgere videtur ut cum vigore prudenti generalis propositio, consilium et dispositio pro instauratione bene ponderata totius Liturgiae exarentur. Quo tantum modo renovationi authenticae vitae religiosae christianorum consulitur, insuperque fastidium tollitur quod forsan oriri posset ex mutationibus partialibus de die in diem durante longiore tempore partialiter introductis. Tempus adesse constat ut fundamentali renovatione, eaque vigorosa, nova quies liturgica afferatur ut ita dicam pro sequenti saeculo.

Cum huic scopo propositum huius schematis prudenter consulat, eius tenorem generalem maxime laudare velim, suo quidem tempore prout casus ferat nonnullas animadversiones et emendationes prolaturus.

Gaudeo proferens hanc laudationem consentiente Conferentia episcoporum Neerlandiae.

4

Exc.mus P. D. SMILJAN FRANCISCUS ČEKADA
Episcopus Scopiensis

Cum non sim peritus scientiae liturgicae, initio non habui intentionem sumere partem in discussione schematis *de sacra Liturgia,* quod Patribus Concilii propositum est.

Attamen, postquam plurimi sermocinantes protulerunt sententias, quae mihi minus placuerunt, decidi etiam ego meam proferre, quae attinget plus generalem sensum hucusque dictorum quam puncta individua secundi capitis schematis.

Mihi nempe videntur nonnulla, quae in Concilio a nobis audita sunt — quoad Missae sacrificium linguamque in Missa adhibendam, communionem sub utraque specie et concelebrationem sacramentalem — esse quandoque dicta praecipiter, sine seria consideratione, arte potius rethorica et declamatoria, immo vero cum quodam accentu demagogiae. Res, de qua agitur, maximi est ponderis et ideo tractanda cum gravitate, quae convenit rei sacrae. *Liturgia Missae* non est tractanda modo cuiusdam popularis spectaculi, quod accommodari debet gustatui spectatorum vel inconstanti et futili iudicio multitudinis. Ad ea, quae divina sunt, accedere oportet maxima cum observantia et veneratione. « Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est » (*Ex.* 3, 5).

Liturgia Missae, in qua nobis repraesentatur passio et mors Domini, *decursu saeculorum* acquisivit formas actuales. Spontanee et organice, paulatim et successive — certissime sub influxu Spiritus Sancti, qui in Ecclesia Dei semper adest — de suo primitivo nucleo evoluta est in hodiernum ritum, plenum harmonia et pulchritudine, signis ac verbis capacem exprimere ea, quae continet et significat. Et nunc a multis postulatur, ut hic ritus immutetur cum in parte doctrinali tum in ipso canone. Si audiantur diversissima, quae adhuc sunt proposita, reconstructio nostrae Missae erit tam radicalis, ut vix cognosci poterit ab eis, qui ei usque modo assistere solebant. Heri e. g. audivimus propositum, ut totus hodiernae liturgiae latinae ritus funditus destrueretur et eius loco substitueretur novus ritus « oecumenicus », compositus secundum exemplar ultimae coenae a peritis omnium confessionum, quae Christum quocumque modo profitentur.

Omissis omnibus aliis momentis ad rem spectantibus prae oculis habeatur, rogo, effectus psychologicus talis immutationis. Nonne fideles, qui Liturgiam ut fixum quemdam cardinem spherae religiosae et supernaturalis considerabant, nunc etiam ad res fidei mensuram relativitatis applicabunt?

Minime sum contrarius, ut in ordine quoque Missae quaedam instaurentur, sed haec fiant pauca: tantum ea, quae maxime necessaria sunt, ut actuosam participationem fidelium faciliorem reddant.

Similia dicenda mihi erunt etiam de *lingua liturgica* Missae. Lingua latina in hoc Concilio a nonnullis Patribus hostili modo aggreditur. Nihil habeo contra, ut iura circa ritum et linguam ab Ecclesiis orientalibus vel quibusdam aliis populis legitime acquisita sanctissime serventur. Tamen nunquam obliviscatur, latinitatem esse communem et universalem Ecclesiae Occidentalis linguam. Immensa et innumerabilia debemus huic linguae, quae lacte uberum suorum enutrivit culturam et civilisationem totius Europae, totius mundi occidentalis. Et nunc, lingua latina expellatur omnino ex sacra Liturgia?! Forte, ut in nobis quoque impleatur veritas verbi Scripturae: « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me! » (*Is.* 1, 2). Absit, ut hoc faciamus, ut tali inconsulto facinore inferamus crimen gloriae nostrae! (*1 Macc.* 9, 10).

Si hoc acciderit, in sequenti Concilio Oecumenico Spiritus Sanctus vel iterum patrabit prodigium linguarum, quod patraverat Ierosolymis, cum die Pentecostes descendit super Apostolos, vel ad puniendam nostram temeritatem descendet de caelo, ut confundat linguas nostras, sicut fecerat olim in mundo antiquo cum eis, qui aedificare ausi sunt turrim babylonicam. Hoc posterius eventurum esse, mihi magis probabile videtur.

Iterum premo: minime sum contrarius, ut linguae vernaculae potior quam adhuc locus detur in parte doctrinali Missae. Quod postulat bonum animarum, hoc esto summa lex communitatis catholicae! Sed hoc est praecise punctum saliens totius quaestionis. In quo consistit bonum animarum? In benigno modo agendi cum omnibus tendentiis vitae modernae, in indulgenti animo versus omnes reclamationes hodiernae generationis? Nos bene scimus, permultos esse errores hodie serpentes in mundo, qui sibi usurpare volunt ius civile, immo vero liberum introitum in caulas Ecclesiae. Et generatio iuvenis, quae cum strepitu flagitat immutationem totius, ipsius etiam religiosae vitae, nonne « hodie est et cras in clibanum mittitur? » (*Lc.* 12, 28), dum « veritas Domini manet in aeternum » (*Ps.* 116, 2).

Proinde, tempore quo omne studium humani generis eo tendit, ut formetur unitas vitae socialis, oeconomicae et politicae saltem in mundo occidentali, Ecclesia Catholica deberet recedere ab unitate iam consecuta satisfaciendo individualismo, vel si vobis magis placet, particularismo exaggerato, et resolvendo suam constitutionem — non tantum quod attinet vitam liturgicam — in elementa primitiva et originaria.

Omnia ergo nobis suadent, ut caute procedamus in quaestionibus vitae religiosae sobrie metientes valorem istorum, quae nomine reformationis cuiuscumque generis, etiam liturgicae, ostium pulsant Ecclesiae.

Haec dicta sint quoad Missam. *Sunt etiam alia,* quae buccinis crepitantibus annuntiantur ut novitates salutiferae, quae necessario inducendae erunt in Liturgiam Ecclesiae latinae. Ita e. g. *concelebratio sacramentalis et Communio sub utraque specie.* Ut mihi videtur, hae novitates vix quoddam momentum practicum pro vita religiosa fidelium habere possunt. Ideo, si placet Patribus, ut haec praxis veteris Ecclesiae etiam in hodierna Liturgia ad sin-

gulos casus applicetur, fiat iuxta beneplacitum eorum; attamen haec res potius paucis quam multis verbis absolvatur.

In fine concedatur mihi gratiosa quaedam observatio. Dixerunt quidam episcopi de terris missionum, linguam latinam esse omnino alienam indoli indigenarum gentium, ita ut ab ipsis vix umquam addisci possit. Attamen omnes isti episcopi — Indi, Iapponenses, Africani — locuti sunt ad nos optima lingua latina. Consequentia est evidens: si potuerunt isti addiscere linguam latinam, cur non possent alii?

Finem habeo mei sermonis. Ad doctrinam omnium nostrum hanc similitudinem dixit Dominus noster: « Omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera » (*Matth.* 13, 52). Meminerint ergo bene amatores rerum novarum: et vetera!

5

Exc.mus P. D. LEO DE KESEL
Episcopus tit. Synaitanus, aux. Gandavensis

In schemate constitutionis *de sacra Liturgia* pluries sermo fit de opere reformationis librorum liturgicorum peritis totius orbis concredito. Agiturne ibi tantummodo de propositionibus a determinata commissione Sedi Apostolicae faciendis aut potius de statuto ab ipso Concilio Oecumenico elaborando, a Summo Pontifice confirmando et ab Apostolica Sede exsecutioni mandando?

Sumamus exemplum. In paragrapho de lingua liturgica, sub n. 24, sequentia legimus: « Sit Conferentiae episcopalis in singulis regionibus ... limites et modum linguae vernaculae in Liturgia admittendae S. Sedi proponere ». Quod verbum « proponere » nullum ius speciale illis conferentiis tribuit, siquidem singuli fideles ius habent aliquid Sedi Apostolicae vel Summae Auctoritati proponere; auctoritatis episcopalis autem est aliquid statuere et ordinare sub vigilantia et approbatione seu confirmatione Apostolicae Sedis. Quare proponimus eundem textum sequenti modo legere: « Sit Conferentiae episcopalis in singulis regionibus ... limites et modum linguae vernaculae in Liturgia admittendae statuere et ordinare, sub vigilantia et approbatione Apostolicae Sedis ».

6

Exc.mus P. D. FRIDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Notum est, titulum « *Magistri* », post « Domini » titulum, esse frequentissimum omnium, quibus in Evangeliis divinus Redemptor designatur. Ipse Dominus amabat ut eius discipuli eiusmodi titulum agnoscerent, dicens:

« Vos vocatis me Magister et Domine (o Didaskalos kai o Kyrios): et bene dicitis; sum etenim » (*Ioan.* 13, 13). Ideo pergratum, sine dubio, Domino esset, ut eius Ecclesia, speciali sollemnitate liturgica, eum ut Magistrum agnosceret.

1. *Convenientia* instituendi hunc cultum suadetur ex paritate cum instituto cultu Christi *Regis* et *Sacerdotis*. Etenim in potestate missionis salvificae, quam Christus a Patre accepit, triplex in Evangeliis vel maxime effertur munus: *Regis,* videlicet, *Sacerdotis, Magistri.* Divinae autem huius missionis et potestatis ministram et heredem Christus suam reliquit Ecclesiam, hoc illi triplex ministeriale officium iniungens: *Regendi,* scilicet, *Sanctificandi* atque *Docendi* omnes homines (cf. *Matth.* 28, 18-20).

2. *Opportunitas* patet; nam nostris temporibus, in quibus ex una parte Apostolica Sedes studia in Ecclesia tam efficaciter promovit, ex altera vero parte tot homines divinum Iesu Magisterium vel aperte respuere vel simpliciter ignorare iactitant, valde opportunum esse videtur fideles ducere ad agnoscendam et profitendam hanc praerogativam, quam singulariter Sibi adscribebat Dominus, cum aiebat: « Magister vester unus est, Christus » (*Matth.* 23, 10).

3. *Congruentia* petitionis insinuatur eo, quod nobis constet, plurimorum episcoporum petitiones Sanctae Sedi fuisse factas, inde praesertim ab anno 1944, quibus huiusmodi cultus institutio enixe postulabatur. Nunc autem accedit singularis ratio celebrationis Concilii Vaticani II, quae fere coincidit cum quater centenaria Concilii Tridentini commemoratione, quod anno 1563 feliciter absolutum est. Cum autem in Sacrosancta Tridentina Synodo tot tantique collecti fuerint fructus Magisterii a Christo suae Ecclesiae commissi, dignum sane esset hanc quater centenariam commemorationem celebrare institutione liturgici cultus Christi Domini sub titulo « *Magistri* ».

Postulamus igitur ut instituatur *cultus liturgicus Christi Domini, sub titulo « Magistri »*, ab universa Ecclesia cum Missa et Officio propriis celebrandus.

Rationes Postulationis:

1) Quia titulus « Magistri », post titulum « Domini », est omnium titulorum frequentissimus, quibus Christus in Evangeliis designatur.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] Cynismus — non dico humorismus, sed cynismus — est vitandus, praesertim inter fratres, inter quos sicut apud caelites semper vigere debet lingua caritatis. [7] societas civilis perfecta (e. g. natio) generatim habet suam. [8] Primo: *a*). [9] deest. [10] *b*). [11] secundo. [12] Apostoli. Nonne eadem possit esse conditio scriptorum modernorum post multa saecula quando forsan lingua anglica vel gallica vel germanica vel quaelibet alia erit illis futuris populis sicut antiqua lingua aegyptiaca seu hieroglifica pro nobis; quod clarius adhuc apparet quando inspicimus evolutionem eiusdem linguae decursu temporum v. g. tanta est differentia, credo, inter linguam anglicam antiquam (seu Anglo-saxon) et linguam anglicam hodiernam, quanta inter germanicam et anglicam modernam. E contra lingua latina est stabilis et tantae evolutioni non est aperta. [13] deest. [14] deest. [15] et ita quasi ad infinitum. [16] quarto. [17] deest. [18] prout. [19] deest. [20] *a*). [21] *b*). [22] deest. [23] deest. [24] sicut optime dixit card. Bacci. [25] deest. [26] B. [27] lingua latina generaliter utendi. [28] vita liturgica in Ecclesia. Nam officium divinum est actus cultus totius Corporis Christi Mystici. Unde valde optandum est ut in quantum possit, etiam clerici choro non obligati officium divinum in communi recitent. Unde propono ut aliquid hac de re addatur in art. 78. – C. *De ceteris* i. e. in administratione sacramentorum etc. relinquatur libertas Conferentiis episcoporum prout iam supra dictum est de parte didactica sacrificii Missae (iis tamen partibus exceptis quae ad essentiam sacramentorum pertinent). Unde decretum de usu linguae latinae prout est in art. 24 et alibi, valde sapienter exaratum esse videtur et ergo sensu supra dicto servandum. Velim tamen emendationem quandam ad art. 78 proponere: nempe ut in loco apto addatur sequens: « Recitatio officii divini in communi fovenda est etiam apud clerum in sacris Ordinibus constitutum sed per se ad talem recitationem non obligatum ». Nota ad pag. 158 ultima linea: melius esset si post verbum « necessitatibus » addatur verbum « pastoralibus ».

15

Exc.mus P. D. IOSEPH GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

Em.mis, exc.mis, rev.mis Patribus,

Quae sequuntur proponere audeo. Ad art. 24, pag. 167: de lingua liturgica.

Quoad usurpationem vulgati sermonis in Liturgia, stricte distinguatur:

a) inter ipsum textum liturgicum S. Missae a sacerdote lectae aut cantatae, et

b) inter lectiones, orationes et cantus tempore Missae, sed extra eiusdem textum liturgicum pronuntiandos.

Quae ultima pars valde commendanda videtur, quia pietatem et de-

votionem auget, quia verba et sensus canticorum sacrificio Missae aut Officio celebrato accommodatorum omnibus patent.

Pars vero altera, nempe interpositio alicuius partis S. Missae in lingua vernacula, quamvis primo aspectu alliciens, tamen ob nocituros eventus non admittenda videtur, ratione praesertim habita irritationis nationalisticae, qua animi — proh dolor — in variis regionibus bilinguibus exasperantur. Periculum enim est, ne lingua « viva » cuiusdam nationis, ab alia, uti instrumentum « denationalizationis » consideretur et non paucos a Missa repellat.

Lingua vero latina nullius est nationis omnibusque servit; quapropter omnes ubique terrarum catholici occidentales sentiunt se « domi suae » audientes Missam in lingua latina.

Quoad art. 39, pag. 175, articulus hic ponatur hoc modo: Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae *praescribitur* diebus dominicis et festis de praecepto *in omnibus Missis; aliis vero aptis occasionibus commendatur.*

Articulus 42 ...

Praeses card. PLA Y DENIEL:

Hoc est capitulum II, de quo non loquendum est hodie.

Orator: Dixi!

Textus scripto additus:

Art. 9, lin. 21, pag. 162 loco « speciali quoque dignitate » ponatur: « magna quoque dignitate », quia quod est « quoque » non potest esse « speciale ».

Item:

Infrascriptus Archiepiscopus tit. Madytensis quae sequuntur proponere audet:

1. *De lingua liturgica*: Totus mundus tendit ad linguam *unitariam,* quam in sic dicto « Esperanto » invenisse multi putant.

Ecclesia Catholica Occidentalis talem linguam unitariam et universalem scilicet venerandam linguam latinam iam habet. Non convenit, ut hoc vinculum unitatis in S. Missa aut Breviario destituatur. Lingua enim latina, nervosa et arguta, proprie mortua dici non potest et a catholicis occidentalibus uti « sua propria » sentitur. Quapropter eius scientia et cognitio — ad mentem Summi Pontificis Ioannis XXIII — in Seminariis excolatur et in S. Liturgia fideliter servetur.

Quae eximius ille Stanislaus card. Hosius, Legatus Pontificius ad S. Concilium Tridentinum clare in Dialogo suo « De Missa vulgari lingua celebranda » exposuit, etiam pro nostris temporibus valent nempe Missam et Breviarium in lingua vernacula a Sacerdotibus dicenda plus detrimenti quam emolumenti allatura esse et potius inservire posse rerum novandarum et separationis cupidis ecclesiis nationalibus.

Ideo proponitur, ut *a*) S. Missa et Breviarium a Sacerdotibus Ecclesiae Occidentalis semper lingua latina dicantur.

b) Breviarium a Monialibus lingua vernacula recitari possit.

2. Desideratur humillime

a) ut S. Gregorio Nyssensi addatur titulus Doctoris;

b) ut promoveatur canonizatio Ioannis Duns Scoti, Henrici card. Newman, et praesertim P. Petri Skarga, S. I., optime de Unione cum Orthodoxis saeculo XVI meriti.

16

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Schema propositum praestare videtur eo quod praebeat solidum fundamentum theologicum quo sacra Liturgia innititur. Nec minus momentum pastorale Liturgiae in clara luce positum est.

Sublineare vellem momentum primarium Liturgiae pro actione pastorali maxime elucere in experientia earum nationum, in quibus libertas Ecclesiae plus minusve coarctatur, et sunt multae (*ni fallor, sumus saltem quinquaginta quinque milia milium*).[1] Ubi nec scholae catholicae adsunt, nec Actio catholica, nec prelum religiosum, nec instituta caritatis, solum adhuc altare remanet. Ideo omnes thesauri Ecclesiae in sacra Liturgia absconditi aperiri debent ut late pateant fidelibus eorumque vitam spiritualem alant.

In hoc contextu mihi magni momenti videntur ea quae dicta sunt *de ampliore usu linguae popularis in Liturgia* (nn. 24 et 41). Principium quidem de lingua liturgica, quae fere in tota Ecclesia occidentali — *fere in tota* [2] — est latina, retinendum est, *principium*.[3] Est etenim aliquod, quamvis non unicum nec absolute necessarium, signum unitatis in fide. *Praeterea* [4] usus exclusivus linguarum popularium in sacris ritibus viam aperiret individualismo sacerdotum, qui sine multis scrupulis saepe proprio marte textus mutarent.

Attamen, hoc principio uti norma generali retento, omnino necessarium est hodiernis temporibus, ut amplior locus concedatur usui vulgati sermonis in Liturgia. Hodie etenim activa et communitaria participatio fidelium in Missa aliisque sacris urgetur; haec autem minime obtinetur, si fideles solummodo uti muti spectatores, versiones sacrorum textuum prae manibus habentes, sacras actiones « sequuntur ». Praeterea conscientia laicorum catholicorum quoad iura e sacramento Baptismi emanantia semper magis evolvitur.

Ideo haec mihi, uti mininum quid, quoad usum vulgati sermonis in Liturgia necessaria videntur:

1. Quotiescumque sacerdos pro populo celebrat (ergo non consideratur casus quo sacerdos privatim cum solo ministro celebrat), *quotiescumque pro populo celebrat,*[5] lectiones omnes — nam sunt verbum Dei ad fideles — dicendae sunt lingua vernacula, iuxta versionem a competenti auctoritate ecclesiastica approbata. Hoc in casu, omittenda est lectio pericoparum in lingua latina, nam lectio bilinguis est onerosa, nec ullum sensum habet — nisi velimus aliquo formalismo indulgere — ut sacerdos, postquam verbum Dei populo proclamaverat, celeriter et mechanice pro se latine recitet.

Idem dicendum est de prima oratione, de « oratione fidelium » et de postcommunione. Omnia alia a sacerdote latine dici possunt *et debent.*[6]

2. Ubi impossibile vel valde difficile sit ut populus, in Missis in cantu, latine Ordinarium et Proprium cantet, permitti deberet usus linguae vernaculae, *uti iam pluries a Sancta Sede concessum est.*[7] Nonne plus valet ad pietatem populi fovendam ut totus populus sua lingua cantando actionem sacram comitetur, quam ut duo vel tres cantores, plus minusve correcte, latinum textum decantent?

3. Amplior locus linguae populari tribui deberet in ritibus Tridui sacri.

4. Item in administratione sacramentorum et sacramentalium, uti iam Sancta Sedes pro pluribus nationibus concessit.

Alia habeo dicenda de rebus quae pertinent ad caput de sacrosancto Missae sacrificio.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest.

Secretarius generalis:

Nunc fit repositio Sacri Evangelii; proxima congregatio generalis habebitur feria VI, hora 9, et prosequetur discussio circa prooemium et caput I.

CONGREGATIO GENERALIS VII
26 octobris 1962

CONGREGATIO GENERALIS VII

26 octobris 1962

Em.mus P. D. IOSEPH card. FRINGS, *praeses*:

Venerabiles Patres, speramus hodie disceptationem de prooemio et primo capitulo finitum iri, si omnes oratores se contineant intra limites materiae, id est prooemii et primi capitis, et intra limites temporis, id est decem momentorum.

Loquatur primo card. Siri, qui aliquid corrigere vult quod dictum est falsum... Primo loquatur secretarius generalis.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis*:

Huic hodiernae congregationi generali praeest em.mus ac rev.mus P. D. card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis.

Communico omnibus Patribus exsequias defuncti arch. Valebusdiensis, Aston Chichester, celebratum iri hoc vespere in ecclesia Sanctissimi Nominis Iesu (« del Gesù »), hora decima quarta cum dimidio.

Ut omnes Patres sequi possint disceptationem hodiernam, lego nomina eorum qui sermonem habere petierunt:

Em.mus card. Siri Ioseph, arch. Ianuensis in Italia; exc.mi Bekkers, ep. Buscoducensis in Hollandia, Flores, ep. Barbastrensis in Hispania, Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia, Hervás, praelatus ordinarius Civitatis Regiae in Hispania, Carli, ep. Signinus in Italia; rev. P. Butler, abbas generalis Congregationis Anglicae O.S.B.; exc.mi Hoa Hien, ep. Dalatensis in Vietnam, Mansilla, ep. aux. Burgensis in Hispania, Costantini, ep. Suessanus in Italia, La Ravoire, ep. Krishnagarensis in India; rev. P. Reetz, archiabbas Beuronensis in Germania; exc.mi Añoveros, ep. coad. Gadicensis in Hispania, Calewaert, ep. Gandavensis in Belgio, Le Cordier, ep. aux. Parisiensis in Gallia; rev. P. Prou, abbas generalis Congregationis Gallicae O.S.B.; exc.mus Enciso, ep. Maioricensis in Hispania; rev. P. Sortais, abbas generalis Cisterciensium Reformatorum; exc.mi Rau, ep. Maris Platensis in Argentina, Del Campo, ep. Calaguritanus in Hispania, Lokuang, ep. Tainanensis in Sina, Olaechea, arch. Valentinus in Hispania, Lefebvre, arch. Synnadensis, sup. gen. Congr.

a S. Spiritu, Florit, arch. Florentinus in Italia, Da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Brasilia, Isnard, ep. Neo-Friburgensis in Brasilia, Borromeo, ep. Pisaurensis in Italia.

Satis!

[*Intervallum*]

Corrigo quae dixi: exsequiae erunt non decima quarta, sed decima sexta cum dimidio (quattro e mezzo).

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Pauca proponam:

1. Hoc capite, sicut ceteroquin in prooemio constitutionis propositae et capitibus insequentibus, tanguntur *propositiones* [1] doctrinales. Cum circa has observationes in hac aula, non quidem immerito, motae sint et agatur *hic* [2] de actu conciliari, *qui debet esse quoad nos perfectus,* [3] censeo assertiones quae doctrinam tangunt esse recognoscendas, si opus est a commissione mixta ex theologica, disciplina sacramentorum, et de sacra Liturgia.

2. Aptationes *sacrae* [4] Liturgiae de quibus sermo fit art. 20 et seq. *huius cap. I* [5] apparent utique considerandae et saltem aliquo modo admittendae. Etenim ratio habenda est ingenii et mediorum expressionis diversorum populorum. Immo agendum est ut augeatur hoc modo capacitas receptiva fidei et vitae christianae in gentibus adhuc ad Christum perducendis.

Tamen etiam periculum indebitae multiplicationis rituum, arbitrii et abusus praevidendum et prae oculis habendum Idcirco, ne aliquando extenuetur sub hoc aspectu unitas Ecclesiae, ut aptationes *Liturgiae* [6] fiant, clarae condiciones mihi videntur apponendae.

Propono ergo ut in praedicto art. 20, post verba « ... locus relinquatur », lin. 32, haec verba *adiungantur*: [7] « ... Cauto quod aptationes sint necessariae vel saltem magnae et verae utilitatis, tales agnoscantur et fiant semper iudicio et auctoritate Sanctae Sedis, proponentibus Conferentiis episcoporum ».

Propono etiam ut hoc sensu recognoscantur insequentes art. 21 et 22.

Velint Patres considerare quod ea quae fiunt aliquo in loco possunt

esse negativa seu nociva aliis in locis et inde *fit* [8] necessarium interventum Auctoritatis, quae omnibus *praesit.*[9] Quod si non fit, abusus facile oriuntur.

3. Quae dixi de art. 20, censeo prudenter assumenda esse in art. 24 ubi agitur de usu vulgaris sermonis. Hic usus videtur ...[10] aliquatenus et diversimode *caute* [11] iuxta diversas necessitates esse concedendus, tamen additis condicionibus supra dictis et ratione habita eorum quae Supremus Ecclesiae Pastor *nuperrime dixit* [12] in constitutione *Veterum Sapientia.* Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quaestiones. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] apponantur. [8] fieri. [9] praeest. [10] etenim. [11] deest [12] edixit.

Praeses card. FRINGS:
Excusate me, Fratres, hoc non erat correctio, sed nova propositio.

2

EXC.MUS P. D. VILLELMUS BEKKERS
Episcopus Buscoducensis

Fas sit mihi, venerabiles Fratres, nomine Conferentiae episcoporum Neerlandicae, tenorem generalem schematis Liturgiae maxime laudare, praesertim quia in isto schemate loquitur magna pastoralis sollicitudo...[1]

Sed ne abutar patientia vestra, quaedam particularia tradam secretario generali. Unum punctum particulare dicere volo, nempe ne loquamur de missionibus, sed de Ecclesiis nuper erectis, quia sunt de eodem gradu ac Ecclesiae antiquiores.

Disputatio hucusque habita in hoc schemate, de cap. I et de prooemio in specie, mea quidem sententia, sequentia demonstrat:

1. Consensus et laudes generales de schemate in genere, et de prooemio et cap. I in specie, multa et magna fuerunt. Et quidem a Patribus saepe explicite loquentibus nomine et mandato multorum aliorum Patrum.

2. Plures etiam obiectiones factae sunt a quibusdam. Sed, ut verum fatear, saepe difficile mihi fuit videre quousque isti obiicientes solum nomine proprio an etiam nomine aliorum, et quot aliorum, loqui possent.

Obiectiones factae contra prooemium et cap. I ad tria puncta reduci possunt:

— De quadam maiori potestate tribuenda episcopis in re liturgica.

— De lingua liturgica.

— De perficiendis quibusdam expressionibus theologicis in capite I adhibitis.

I. *Quoad maiorem perfectionem in expressionibus theologicis in cap. I.*

Sub hoc respectu hoc caput in quibusdam certe perfici potest. Sed eorum imperfectio a quibusdam oratoribus, mea sententia, valde exaggerata fuit, quando visi sunt insinuare hos numeros cap. I, sub respectu theologico, esse leves, immo nihil valere.

Hoc mihi demonstrat factum quod, quando isti oratores, post affirmationes generales negativas, ad puncta concreta notanda devenerunt, *nempe:* [2]

— quandoque obiectiones fecerunt fundatas in non accurata lectione textus: uti, quando dictum est relate ad n. 11, theologiam dogmaticam subiici disciplinae liturgicae,

— et quandoque veras imperfectiones notaverunt, sed tantum aliquando paucas et facile sanabiles, quin textus funditus immutetur. Sed ex pastorali sollicitudine, quaeso ne ex praetextu maioris perfectionis theologicae, mens et animus prooemii et cap. I immutetur.

II. *Quoad linguam liturgicam.*

De hac re satis superque audivimus. Sunt qui vellent nihil fere concedere linguae vernaculae. Sunt qui vellent ei fere totum dare. Sunt denique qui vellent non quidem totum sed tamen multum, aptis et prudentibus mediis, ei concedere. Ni fallor, maior pars pastorum est tertiae sententiae, nempe: non totum, sed prudenter multum, ut practice salvetur ratio, secundum quam « sacramentum est in genere *signi* ». Nihil remanet nisi ut suffragium de hac re feratur.

Nihil mirum, fratres, nos hac in re non esse concordes. Neque debet hoc impedire quominus maior pars animo valenti rem decidat, etiamsi unanimitatem attingere non poterimus. Etenim, facultatem, non obligationem, utendi lingua vernacula vindicamus in Liturgia; *facultatem non obligationem* [3]... Nonne fere omnes, cum fidelibus nostris, nunc valde gaudemus de hebdomada sancta reinstaurata, de Missis dialogatis, de Missis vespertinis? Et tamen quando instaurata fuerunt, non omnes consentierunt nec immensum beneficium intellexerunt.

III. *Quoad potestatem quamdam maiorem episcopis tribuendam in re liturgica.*

Etiam in hoc puncto contrarias opiniones audivimus. Et etiam hic non remanet nisi ut Concilium suffragium ferat.

Unum tantum hac in re notare vellem. In hoc puncto quidem oratores iterum iterumque provocaverunt ad canonem Iuris Canonici 1257, nempe: « Unius Apostolicae Sedis est tum sacram Liturgiam ordinare tum libros liturgicos approbare ».

Ne abusus ex citatione huius canonis oriantur, tria sunt accurate distinguenda:

1. Inter catholicos nulla disputatio est aut esse potest quod Romanus Pontifex, vi sui primatus in Collegio Apostolorum, habet ius, si pro bono communi id expedire iudicaverit, etiam ordinationem liturgiae sibi soli reservare. Et certum est, de facto, ipsum, inde a saeculo XVI, hoc sibi reservasse, sicut exprimitur in canone praefato.

2. Alia omnino quaestio est scire, utrum ius in toto orbe terrarum ordinandi liturgiam ita apud Romanum Pontificem resideat, ut episcopi idem ius pro suis dioecesibus non habeant nisi tantum quantum iis Romanus Pontifex de suo iure nativo et exclusivo iis aliquid participaverit.

3. In omni omnino hypothesi Concilium Oecumenicum simul cum Romano Pontifice et sub ipso (sine quo nullum Concilium Oecumenicum datur) potestatem habet statuendi ut episcopi hac in re maioribus facultatibus fruantur quam nunc habent vi reservationis de qua canon citatus.

Unica quaestio, a Concilio cum Romano Pontifice examinanda, est utrum hoc statuere in hodiernis circumstantiis expediat necne. De hac re suffragium Concilii esse debet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] theologice bene fundata. [2] deest. [3] deest.

Animadversiones adiunctae:

Quoad particularia sequentia animadvertere velim:

1) Prooemium, pag. 157, reg. 29 et seq.:

Praeferendum esse videtur, quod altiora principia generalia proponantur, quae pro tota liturgia Ecclesiae valeant, i. e. pro ritibus orientalibus, latinis, ceterisque.

Si constitutio solummodo ad ritum romanum applicari debeat, in textu exprimendum sit, quod Summus Pontifex, Ioannes Papa XXIII, in Motu Proprio *Rubricarum instructum* indicaverit altiora principia generalem liturgicam instaurationem respicientia in Concilio Oecumenico Patribus esse proponenda. Reg. 25 huius paginae ita legatur: Uti in Motu Proprio Ioannis Papae XXIII *Rubricarum instructum* diei 25 iulii 1960 iam praenuntiatum est Sacrosanctum Concilium dum se declarat...

Ita clarius quoque apparet, quare haec constitutio solummodo ritum romanum respiciat. Quod in textu exprimatur, reg. 31 huius paginae: tamen vestigium sectantes novi rubricarum breviarii ac missalis romani codicis diei 25 iulii 1960 ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare etc.

2) Cap. I, pag. 160, reg. 28:

Citatio litterarum encyclicarum *Mediator Dei* compleatur, addendo: « (sibi semper consociat) quae Dominum invocat et per Ipsum aeterno Patri cultum tribuit ».

3) Pag. 161, par. 5:

Hic agitur tantum de ministerio verbi extra ambitum liturgicum, uti sunt catechesis, instructio etc. Addendum quoque esset ministerium verbi esse insuper elementum integrum, idque intrinsecum, ipsius liturgiae, v. gr. in Missa celebranda aliisque sacramentis administrandis.

4) Pag. 162, par. 7:

Inconsulto suggeritur quod sic dictae dispositiones sunt quasi actus humani praevii ad gratiam, dum e contra sublineari oportet, quod hae dispositiones reapse ex gratia excitatae sunt et, ut ita dicam, tali modo in ipsam actionem liturgicam fructuosam intrant.

Sit proinde paragraphus: Ex his necessarium esse apparet ut fideles cum recti animi dispositionibus *ab ipsa gratia excitatis* ad S. Liturgiam accedant, suam mentem voci concordent, ita ut eorum « fides et devotio » sese exprimant in ipsa illa actione liturgica, ne gratiam in vacuum recipiant. Ideo etc.

5) Pag. 162, par. 8:

Pressius exprimatur quod tota vita religiosa ex una parte a liturgia alitur, ex altera parte tamen tota quoque vita religiosa ipsam participationem actuosam liturgiae fructuosam reddit.

6) Pag. 162, par. 9:

Suggeritur pia exercitia a S. Sede vel ab episcopis mandata non esse veram actionem liturgicam.

Si autem Sancta Sedes ad obtinendam pacem in mundo mandat, ut quadam die in unaquaque paroecia Litaniae Omnium Sanctorum recitentur, nonne hic est cultus publicus, qui a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, exercetur, ideoque actio liturgica. Quod valet quoque de piis exercitiis de mandato episcoporum celebratis.

7) Pag. 164, par. 16:

Sic legatur: Libri liturgici recognoscantur, peritis ex universo orbe adhibitis necnon conferentiis Episcoporum consultis.

8) Pag. 166, par. 22, reg. 9 et 10:

Pro verbis « in Missionibus » legatur « in Ecclesiis nuper erectis ».

In eadem par., ad 3, reg. 24: Pro verbis « Sacrae Rituum Congregationi » legendum est « Sanctae Sedi », quia aliae Congregationes competentes esse possunt neque hic agitur de structura Curiae Romanae.

9) Pag. 167, par. 24:

Pleno ex corde consentio ampliorem possibilitatem, non obligationem, lingua vernacula utendi in liturgia statutam esse.

Reg. 19: pro verbis « Sanctae Sedi proponere » legatur « statuere, actis a Sancta Sede recognitis » et ubi saepius verbum « proponere » in tali contextu occurrit.

10) Pag. 169, par. 33, reg. 27:

Attentis canonibus Codicis Iuris Canonici (c. 476 § 2, c. 738 § 1, 2, c. 783 § 1, 2, c. 854 § 5, c. 1223 § 1) legatur: Monendi sunt fideles, ut ubi commode

fieri potest, ad suas ecclesias paroeciales accedant ibique sacramenta recipiant ac divinis officiis intersint. Optandum est, ut cadavera fidelium in proprias suas ecclesias paroeciales pro funere transferantur.

3

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Em.mi Principes, exc.mi ac rev.mi Patres,

Optima quaeque dixerim de hoc schemate sacrae Liturgiae in quo habemus principia generaliora, quae licet non dogmaticae definitiones sint, doctrinam continent catholicam et synthesim illius mirabilis Encyclicae *Mediator Dei* quam nobis felicis recordationis Pius Pp. XII tanquam thesaurum reliquit. Quaedam tamen emendari vellem, scilicet loco dicendi: « in memoriam revocanda », lin. 27: « quae sequuntur principia ut vera doctrina prae oculis habenda ».

Paragraphus sequens, utpote doctrina generalis Concilii pariter omnibus ritibus esset applicanda, hoc fere modo mutarem: « Haec principia et normae ad omnes ritus applicari debent. Sancta enim Mater Ecclesia aequo iure atque honore omnes ritus legitime vigentes habet, et in futuro servare et omnimode fovere vult; et omnes, ubi opus sit, caute ad mentem sanae traditionis recognosci iubet et novo vigore pro hodiernis adiunctis et necessitatibus donari cupit ».

Pro cap. I, n. 3, convenienter diceretur: « Christus diversimode at semper Ecclesiae suae adest ». Licet enim non sit locus hic pro explicanda diversitate modorum essendi Christi in Ecclesia, convenienter innuitur iam ab initio esse alio et alio modo.

N. 4 adderem coniunctionem « dum » illis modis vel actionibus liturgicis quibus caelestem liturgiam praelibare dicimur, scilicet: « ubi Christus est in dextera Dei sedens, sanctorum minister et tabernaculi veri; *dum* cum omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae Domino canimus; *dum* memoriam Sanctorum venerantes partem aliquam et societatem cum eis speramus; *dum* Salvatorem... etc. ».

Nn. 5 et 6, clariorem redderem sequentiam logicam paragraphorum. Sensus enim videtur esse hic: Liturgia esse vere maximi momenti sed non est totum in vita christiana, sunt enim alia multa: fides, conversio et poenitentia pro paganis et elongatis; immo pro iis qui iam ad Dominum venerunt necessaria sunt alia multa, scilicet omnia quae Christus mandavit: caritatem, apostolatum, etc. Ideo mihi videretur melius reddi tota mens huius explicationis hoc modo vel meliori: « Nam antequam

homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem et conversionem vocentur (verba autem S. Pauli huic loco videntur aliena). Cum vero fidem iam acceperunt et poenitentiam egerunt, et fidem augere debent et opera poenitentiae perficere et omnia Christi mandata adimplere debent. Quapropter Ecclesia non credentibus praeconium salutis annuntiat, etc. ».

Dein vero, cum agit de: « Labores autem apostolici ad id tendunt (n. 6) ut qui receperunt fidem... » etc., ponerem solummodo: « Haec omnia tamen iis obveniunt praecipue per sacram Liturgiam, cum scilicet ii qui fidem receperunt et poenitentiam egerunt filii Dei fiant per Baptismum, in unum conveniant, etc. ». Et in fine, adderem etiam: « Attamen non omnia haec dici possunt sacra Liturgia ».

N. 9: hic bene tractaretur vel explicaretur differentia inter pia exercitia et alia quae Liturgia vocantur. Forte sufficeret declarationem repetere a Sacra Congregatione Rituum die 3 septembris anni 1958. Vellem tamen ut occasione Concilii clarior lux fieret hac in re et peritos theologos in sacra Liturgia, collatis consiliis, clarum conceptum elaborare hac de re.

N. 12: vellem illa verba servare: « ita ut tota ratio vitae in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu informetur ». Quod non est dicere nihil aliud in vita spirituali esse, sed velle ut liturgia amplectatur et informet omnia, quod multum iuvabit dein pro vita apostolica et pastorali sacerdotum.

N. 20: quae de aptatione ad ingenium et traditiones populorum ad mentem hodiernam satis bona sunt, sed tamen periculo non carent. Oblivisci enim non possumus doctrinam evangelicam, vitam spiritualem, sensum divini a spiritu mundano et hodierno esse satis, ne dicam plane, alienum. Nec nos debemus illius sensus participes fieri, sed e contra, homines imbuere debemus spiritu Christi, spiritu supernaturali. Adverso omni saepius currere debemus, non aquarum cursui relinqui.

Certe omnia prae oculis habenda sunt: ingenium, habitudines, tendentias; sed ne obliviscamur Paulum, qui omnibus omnia factus est ut omnes faceret salvos, licet iudaei signa peterent et graeci sapientiam quaererent, ille praedicabat Christum et hunc crucifixum. Cum vero difficile sit medium tenere, ideo maximi momenti est Sanctae Sedis auctoritas consulatur et eius mandatis ad amussim stare.

De n. 24: cum de hac re multa disceptatum sit, vellem ut omnino concrete agatur, sive hic sive melius cum de Missa et de sacramentis tractemus. In agitatione quae apud multos habetur, in audacia aliquorum qui omnia audent, Sacrum Concilium debet et principium aucto-

ritatis statuere et quaedam intangibilia definire, et alia pro Conferentiis relinquere episcoporum. Sed definita a Concilio intangibilia sint omnibus. Praecise vitium huius epocae hoc esse videtur: intolerantia auctoritatis, tam in his quam in aliis rebus. Nostrum autem est definire de hac re.

Ergo dicerem, in rebus liturgicis, quod n. 28 stabilitum est: « Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet: quod quidem est apud Sanctam Sedem et, ad normam iuris, apud episcopos. Quapropter nullus omnino alius, *ne sacerdos quidem,* aliquid proprio consilio in Liturgia addat, demat aut mutet ».

Quaestio est dein pastoralis, quae coniungi debet cum quaestione unitatis, universalitatis et caritatis. Ex his quae dicta sunt, difficilis apparet quaestio, ideo singulis diebus adprecamur Deum ut solus sit « suggestor iudiciorum nostrorum, ut non patiatur nos perturbatores esse iustitiae, qui summam diligit aequitatem, non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat ». Rectum ergo et iustum teneamus, non amore linguae aut nationis, sed animarum amore et Sanctae Matris Ecclesiae.

Cura pastoralis nos inducit ad linguam vernaculam adhibendam, et speciatim in dialogando, in sacramentis administrandis, secus forte dicendum esset quod S. Theresia aiebat de illis sanctis mulieribus quae lingua latina laudes Deo canebant: Deus bonam voluntatem et intentionem videbat, at veritates paucas dicebant.

Sed in sacra Liturgia etiam apparere debet Ecclesia per totum orbem diffusa et non semel in unum congregata, ad eucharisticum cultum internationaliter exhibendum exempli gratia; immo hodie iam toties congregamur in congressibus; ideo non pauca deberent esse una, in Missa, in hymnis... Sancta igitur Ecclesia una appareat in fide, una in Liturgia, una in caritate.

Propterea quaererem a commissione ut iuxta haec tria principia de auctoritate, de pastorali efficacia et de Ecclesiae unitate definiantur; quae Sacrosanctum Concilium sancire deberet ad hoc ut Patres Conciliares melius votum exprimere possint et unitas Ecclesiae appareat.

Textus scripto traditus:

Notae ad prooemium:

De valore doctrinali declarationum in prooemio; dicendum saltem, esse veram Ecclesiae doctrinam, ideo posset dici hoc modo:

dum declarat se praesenti constitutione nihil velle dogmatice definire, de fovenda tamen atque instauranda Liturgia quae sequuntur principia censet (in mentem revocanda) « prae oculis habenda »; hoc modo videtur statui doctrina, quin tamen sit dogmatica definitio.

In paragrapho sequenti: melius oecumenice dictum pro omnibus ritibus Ecclesiae: « Haec principia et normae ad omnes ritus applicari debent. Sancta enim Mater Ecclesia aequo iure atque honore omnes ritus legitime vigentes habet, et in futuro servare et omnimode fovere vult, et omnes, ubi opus sit, caute, ex integro ad mentem sanae traditionis recognosci iubet et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus donari cupit ».

Quoad latinum sermonem videtur melius in linea 25 deberi auferri: praepositio « in », praesenti constitutione.

Ad caput primum: pag. 160, in sectione prima n. 4:

Expressio videtur aliqua particula egere: « dum » cum omni militia caelestis exercitus ... dum memoriam sanctorum ... dum Salvatorem expectamus.

Numeris vero 5 et 6, videtur deesse vera illatio:

Sensus enim videtur esse hic: Liturgia est vere maximi momenti, sed non est totum in vita christiana, sunt enim alia multa: fides, conversio et paenitentia pro paganis et elongatis, immo pro iis qui iam ad Dominum venerunt, necessaria sunt alia multa, scl. omnia quae Christus mandavit: charitatem, apostolatum etc. Ideo mihi videretur melius reddi tota mens huius explicationis hoc modo, vel simili, aut meliori:

Nam antequam homines ad Liturgiam accedere possint necesse est ut ad fidem et conversionem vocentur (verba sancti Pauli hoc loco videntur abs re). Cum vero fidem iam acceperunt et paenitentiam egerunt et fidem augere debent et opera paenitentiae perficere et omnia Christi mandata adimplere debent. Quapropter Ecclesia non credentibus ...

6) Haec omnia tamen iis obveniunt praecipue per sacram Liturgiam, cum sc. ii qui fidem receperunt et paenitentiam egerunt...

Attamen illa omnia dici non possunt sacra Liturgia.

De sermone latino quaedam corrigenda:

Pag. 159, lin. 14: praeluxerat; lin. 26: pro « circa » dicatur « ad quae ».

Pag. 160, lin. 9: Numquam post hac intermisit Ecclesia in unum convenire ad paschale mysterium celebrandum ...; lin. 23: non potest dici: *pergit*: in sensu quo ibi dicitur: sed dicendum « prosequitur » vel perficit ... lin. vero 25, ut salvetur diversus modus quo omnia haec Iesus Christus operatur, finiatur per haec verba: alio tamen atque alio modo: vel melius initio: Christus Ecclesia sua, diversimode sed semper adest.

Pag. 162, lin. 19: *sunt* et dein in sequenti lin. *fiant*; lin. 21: pro Ecclesiarum particularium, dicatur melius Ecclesiarum singularium, et de auctoritate ep. « celebrentur ».

Pag. 164, lin. 20: minus aptae eveniant; lin. 24: ne toties repetatur actuosa: efficaci, efficienti.

Pag. 165, lin. 13: melius quam « inculcanda »: diceretur « premenda » vel « urgenda »; lin. 16: « perfusa » loco: effusa; lin. 18: pro « procuranda » dicatur « obtinendam ».

Pag. 166: C. Etsi sacra Liturgia est praecipue adoratio, laudatio, deprecatio divinae maiestatis et peccatorum expiatio, magnam etiam continet populi fidelis eruditionem. In Liturgia enim Deus populo suo loquitur; ...

Immo preces quae a sacerdote, sacro coetui praeeunte, ad Deum admoventur, nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium dicuntur.

Pag. 167, lin. 7: repetitiones vitent (non *e*vitent); lin. 8: accommodati,

eiusque intellectioni multis commentariis non indigeant; lin. 25: locus aptior *contionis*; lin. 32: pro « inculcetur » « urgeatur ».

Pag. 168, lin. 22: Quapropter nullus omnino alius, « ne sacerdos quidem » aliquid « proprio consilio »; lin. 24: In celebrationibus liturgicis, quilibet, sive ministrorum sive fidelium, munere suo fungens, illud dumtaxat, sed plane perficiat, quod sua ex rei natura referat; lin. 27: Non solum ministri sed etiam *addicti,* lectores, commentatores... Tali igitur pietate atque ordine munus suum exsequi debent, quali divinum ministerium decet et populus Dei ab eis exigit.

4

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL
Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Imprimis consensum meum praestare volo iis quae in schemate exarata sunt. Omnia etenim secundum exigentias veritatis et prudentiae enunciantur atque tali modo exponuntur ut plene respondeant scopo pastorali quem Concilio Vaticano II toties proposuit Summus Pontifex.

Duas tantum animadversiones afferre volo:

Prima erit de *liturgiis orientalibus.*

Iam plura de iis dicta sunt. Unum tantum addo. Si revera in hoc schemate locus conveniens liturgiis orientalibus dari non potest, mihi videretur valde opportunum ut saltem introducerentur sub fine prooemii phrases sequentes quae reliquo textui facile connecterentur:

« Sacrae enim liturgiae unitas non ex rituum uniformitate constat, sed ex ipsa divina Revelatione oritur, unde " miranda illa varietas quae inter Romanam Orientalesque liturgias viget " » (sunt ipsissima verba Pii Papae XII), miranda illa varietas, dico, « nullo modo defectus est neque obstat unitati Ecclesiae sed potius manifestat illius plenitudinem ».

Secundo, *de aptationibus* loquar.

Hodie, specialiter in missionibus, aliis verbis in Ecclesiis noviter erectis, aptationes necessariae sunt, sed non unice in missionibus.

Etenim difficultates quae in missionibus exstant, quasi similes inveniuntur in regionibus quae diversimodo naturalismo, vel materialismo vitiantur. Non est enim una tantum forma naturalismi vel materialismi. Materialismus hodiernus multiplex est, atque etiam in nationes quae ipsi theoretice opponuntur aliquando penetravit.

Materialismus autem, quaecumque sit eius forma, mentem christianam paulatim vitiat. Ideoque fideles minus apti evadunt ad percipiendum sensum signorum sacrorum; quandoque etiam contingit aliquos

ritus vel nullam vel omnino contrariam significationem prae se ferre. Hae autem difficultates maximae sunt pro pauperibus in his regionibus degentibus.

Cogitate, venerabiles Patres, has regiones, in quibus omnes aerem spirant materialismo infectum; omnes cogitationes, omnia desideria, omnesque activitates unice ad terrestria ordinantur. Attamen fideles in his regionibus degentes saltem aliquoties in anno ecclesias adeunt. Cogitate ergo sacerdotes qui unicam hanc habent occasionem erudiendi fideles et hoc mediante liturgia. Adiuro vos qui curam pastoralem non habetis, et etiam vos qui per gratiam Dei vere christianas pascitis oves, miseremini fratrum vestrorum quorum oves in maximis difficultatibus versantur.

Unde, tamquam signum unitatis et fraternitatis, propono vobis additionem introducendam in titulo et in secunda linea n. 22. Scriptum est: « Aptatio Liturgiae, praesertim in missionibus... »; addendum esset: « atque in regionibus naturalismo ac materialismo diversimodo vitiatis ». In secunda linea, eadem additio fieri posset.

Insuper aliam emendationem in hoc textu afferre vellem, scilicet de conditionibus quibus subiici debet introductio sive textus vernacularis sive cuiusdam ritus qui originem suam « ex traditionibus ingenioque singulorum populorum » trahit. Etenim non sufficit textum vel ritum immunes fuisse a superstitionibus vel ab erroribus populorum ut in sacram liturgiam introducantur. Requiritur insuper hos textus vel ritus verum liturgicum valorem praebere; ad discernendum autem valorem liturgicum verborum aut rituum, necessaria videntur tum sensus liturgicus profundus tum accurata cognitio psychologiae individualis et socialis alicuius regionis. Quamvis haec quae diximus implicite iam in textu dicantur, mihi videretur valde opportunum explicite dici, quod facile fieri posset addendo sub fine paragraphi secundae n. 22 phrasim sequentem: « Nulla autem aptatio retineri potest quae non sit conformis non solum exigentiis veritatis et moralitatis, sed etiam exigentiis veri et authentici spiritus liturgici ». Dixi.

Textus scripto traditus:

Imprimis consensum meum praestare volo omnibus et singulis quae in hoc schemate exarata sunt. Omnia etenim secundum exigentias veritatis et prudentiae enunciantur atque tali modo exponuntur ut plene respondeant scopo pastorali, quem Concilio Vaticano II toties proposuit Summus Pontifex.

Unde nullas reprehensiones sed quasdam tantum animadversiones afferre volo sive quoad orientales liturgias sive quoad aptationes liturgiae romanae.

Primum de *liturgiis orientalibus* verbum faciam.

In nostro textu firmiter quidem affirmatur « Sanctam Matrem Ecclesiam omnes

ritus legitime vigentes *aequo iure atque honore* habere », sed cum fere nihil aliud in hoc schemate de liturgiis orientalibus dicatur, timeo ne forte aliqui putent hanc declarationem de aequalitate iuris et honoris potius esse modum dicendi ad vitandas difficultates quam verae ac profundae convictionis enunciationem.

Propterea mihi videretur valde opportuna aliqua vel brevis declaratio, qua clare diceretur, secundum Summorum Pontificum constantem doctrinam, varietatem rituum Ecclesiae catholicae nullo modo obstare unitati, neque esse defectum sed potius plenitudinis signum.

De hac varietate rituum hoc habet Pius XII in *Mediator Dei.* Distinguit enim in sacra Liturgia elementa divina, quae immutabilia sunt, et elementa humana quae, dixit Summus Pontifex, « prout temporum, rerum, animorumque necessitates postulant, varias commutationes habere possunt, quas ecclesiastica Hierarchia, S. Spiritus auxilio innixa, comprobaverit. Inde, prosequitur S. P., miranda illa oritur orientalium atque occidentalium rituum varietas » (*A.A.S.* 39 [1947], pp. 541-542).

Ceteroquin, sub fine prooemii introduci facile posset brevis declaratio quae reliquo textui recte connecteretur (pag. 158 *a*): « Sacrae enim liturgiae unitas non ex rituum uniformitate constat, sed ex ipsa divina Revelatione oritur. Unde " miranda illa varietas quae inter romanam orientalesque liturgias viget " (Pius XII), nullo modo defectus est neque obstat unitati Ecclesiae sed potius manifestat illius plenitudinem ».

Ad *secundam nunc transeo partem* orationis meae, scilicet ad studium aptationum quae in liturgia introduci possent.

Harum aptationum liceitas ex documentis Ecclesiae clarissime patet, atque manifeste affirmatur in litteris Pii Papae duodecimi iam citatis.

Hodie autem, specialiter in missionibus necessaria sunt, sed non unice in missionibus. Etenim difficultates quae in missionibus exstant quasi similiter inveniuntur in regionibus quae diversimodo naturalismo vel materialismo vitiantur. Non de una tantum forma naturalismi vel materialismi loquor. Materialismus enim hodiernus multiplex est, atque etiam in nationes quae ipsi theoretice opponuntur, aliquando penetravit.

Materialismus autem, quaecumque sit eius forma, mentem christianorum paulatim vitiat. Ideoque fideles minus apti evadunt ad percipiendum sensum signorum sacrorum; quandoque etiam contingit aliquos ritus vel nullam significationem vel contrariam praeseferre. Eae autem difficultates maximae sunt pro pauperibus in his regionibus degentibus.

Cogitate, venerabiles Patres, has regiones in quibus omnes aerem spirant materialismo infectum; omnes cogitationes, omnia desideria omnesque activitates unice ad terrestria ordinantur. Attamen fideles in his regionibus degentes, saltem aliquoties in anno, Ecclesiam adeunt. Cogitate ergo sacerdotes qui unicam hanc habent occasionem erudiendi fideles et hoc mediante liturgia.

Adiuro vos, qui curam pastoralem non habetis, et etiam vos, qui, per gratiam Dei, vere christianas oves pascitis, miseremini fratrum vestrorum quorum oves in maximis difficultatibus versantur.

Unde, tanquam signum unitatis et fraternitatis propono vobis additionem introducendam in titulo et in secunda linea numeri vigesimi secundi. Scriptum est: « Aptatio liturgiae praesertim in missionibus... »; addendum esset: « atque in regionibus naturalismo ac materialismo diversimodo vitiatis ». In secunda linea eadem additio fieri posset.

Ne tamen putetis aptationes istas quasi eversionem totius liturgiae inducere. Clare in schemate limites aptationis indicantur (n. 21); insuper clare recolitur solius hierarchiae esse aliquid in liturgia mutare (n. 28); tandem explicite dicitur innovationes nullas faciendas esse « nisi vera utilitas Ecclesiae id exigat et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant » (n. 18).

Unam tantum emendationem in hoc textu afferre vellem scilicet, de conditionibus quibus subiici debet introductio sive textus vernacularis, sive cuiusdam ritus qui originem suam « ex traditionibus ingenioque singulorum populorum » trahit (n. 22, 1).

Etenim non sufficit textum vel ritum immunes fuisse a superstitionibus vel ab erroribus populorum ut in sacram Liturgiam introducatur; requiritur insuper hos textus vel ritus verum liturgicum valorem praebere. Ad discernendum autem valorem liturgicum verborum aut rituum necessaria videntur tum sensus liturgicus profundus, tum accurata cognitio psychologiae individualis et socialis alicuius regionis. Quamvis haec quae diximus implicite iam in textu dicantur, mihi videretur valde opportunum explicite dici. Quod facile fieri posset addendo sub fine paragraphi secundae numeri vigesimi secundi phrasim sequentem: « Nulla autem aptatio retineri potest quae non sit conformis non solum exigentiis veritatis et moralitatis, sed etiam exigentiis veri et authentici spiritus liturgici ».

Conclusio. - Toto corde opto ut textum locupletatum quidem et ad perfectionem ductum Patrum animadversionibus, approbari a Concilio atque fieri omni populo cleroque christiano quasi regula vitae liturgicae.

5

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. Cluniensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Domini,

Quaedam de prooemio:

1. Notam quae prooemium praecedit, pag. 155, *sicut alii Patres dixerunt,*[1] ob rationes obvias ex natura ipsa Concilii dimanantes, omnino auferendam existimo.

2. Prooemium necnon ceterae introductiones uniuscuiusque capitis praesentis schematis *de Liturgia,*[2] numeris correlativis et marginalibus carent. Haec numeratio datur e contra in omnibus aliis schematibus hucusque nobis traditis ad reliquas materias primae seriei spectantibus, *sicut comprobare potestis.*[3]

Ut unitati formae consulatur, *etiam quidem ordini et claritati,*[4] mihi videtur prooemium et omnes alias introductiones ad singula capita debere etiam numerari.

3. In pag. 157, lin. 25 et sequentibus.

Quamvis asseratur nullam dogmaticam definitionem heic esse pronuntiandam, altiora tamen principia et normas generales, ut fit in schemate, *cum debitis correctionibus* [5] existimo esse exponenda, ne tota res de Liturgia a Concilio tractanda, ad decisiones mere *practico-iuridicas* seu *rubricales* restringatur aut restringi videatur. Necessitas enim christianae plebis et sensus eminenter pastoralis motus, ut ita dicam, liturgici, expositionem doctrinalem postulant. Fructus aliunde spiritualis et apostolicus quem praestantiores clerici et laici hinc sperant, diuturnus et solidus esse non poterit nisi fundamentis doctrinalibus penitus et explicite enucleatis nitatur.

Quod si quis quaesierit quid in praesenti constitutione sit de fide tenendum quid vero non, respondendum videtur munus esse theologorum, ex propositionibus alibi a Magisterio factis, id accurate investigare.

Post Concilium, Sancta Sedes, sua auctoritate, specialibus peritorum commissionibus auxiliantibus ab ipsa designatis, singula concreta de Liturgia determinare posset.

4. In pag. 157, lin. 29 et seq. Magnae mihi foret laetitiae (et ingenti animarum numero, uti arbitror) si Concilium sollemnem pronuntiaret declarationem de honorandis et fovendis omnibus ritibus in Ecclesia catholica vigentibus. Quodsi ita factum fuerit, nostri dilectissimi fratres ad alios ritus pertinentes plane et cum gaudio viderent se nullo modo ab Ecclesia tamquam catholicos secundi ordinis considerari — quod absque dubio ab *Ecclesiae* [6] mente semper fuit alienum —; sed aequo iure atque honore, *ut dicit textus,* [7] a nobis existimari. Haec rituum distinctio et iusta agnitio — num a Concilio speciali sollemnitate facienda — eamdem semitam prosequeretur quam Summi Pontifices, praesertim Leo XIII, iam pridem secuti sunt et quam canon primus Codicis Iuris Canonici concise sed eloquenter agnoscit.

Ad linguam quod attinet, quid aliud dicendum erit si iam tanta dicta sunt? Relinquamus, venerabiles Patres in Christo, *humiliter dico,* [8] positiones extremas et viam mediam adeamus.

Via media in qua:

a) Lingua latina cum omni honore conservetur in Ecclesia, et magis et perfectius colatur ab eius ministris, sicut in *Veterum Sapientia* sapientissime Sanctissimus Pater Ioannes XXIII disposuit. Cur non ita, si hodiernis temporibus homines alicuius culturae varias linguas libenter discunt et in honore habent eas possidere? Sola lingua latina deberet derelinqui, cum tot thesauros conservet Ecclesiae et sit magnificum instrumentum communicationis, cum inter Sedem Apostolicam et Ecclesias particulares, tum omnium ministrorum Ecclesiae inter se? Nonne vobis videtur spectaculum mirabile dari in hoc Concilio quando omnes

una voce possumus recitare preces ad invocandum Spiritum Sanctum et ad laudandam Mariam Virginem cum *Angelus Domini* recitamus?

b) Amplior locus in Liturgia linguae vernaculae tribuatur, ad maiorem efficaciam rituum liturgicorum in formatione fidelium, sicuti ipsi fideles cum clero exspectant, et ad obtinendos fructus pastorales quos motus liturgicus luculentissime demonstrat posse obtineri.

c) Non sit unusquisque episcopus, *ille* [9] solus, qui determinet necessitatem et quantitatem, ut ita dicam, usus linguae vernaculae, ob rationes obvias, sed sint Conferentiae episcopales. Sed non ponatur pro actione ipsarum *Conferentiarum episcopalium* [10] verbum seu terminus litterarius quo significetur actio legislativa, exempli gratia, « decernant », « statuant », uti fieret in Concilio plenario seu provinciali, quod quidem videretur creare novam, *ut ita dicam,*[11] figuram iuridicam in Ecclesia. Hoc quidem difficultatem augeret in hoc momento Concilii et sine necessitate, *meo quidem iudicio.*[12]

Sed e contra, Conferentiae episcopales « studiose inquirant », « formulent », « practice determinent » necessitatem, limites et modum usus linguae vernaculae, quia ipsae aptiores sunt ad hoc propter suam experientiam pastoralem. Et postea, sine diffidentia dicasteriorum Sanctae Sedis, Summo Pontifici recurrant ad has aptationes obtinendas.

Dicasteria Sanctae Sedis, absque dubio, perspectis rationibus allatis ab episcopis, et speciatim, viso numero episcoporum qui in actis et documentis pro apparando Concilio constant, libenter suum votum favorabile Summo Pontifici manifestabunt ut talis desiderata aptatio, propter bonum animarum, iuxta votum episcoporum libenter et mature et feliciter fiat.

In hoc sensu et cum tali moderamine mihi videtur art. 24 posse omnibus placere et spei Ecclesiae per hanc viam mediam, sine periculo rationabiliter respondere. Faxit Deus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] eius. [7] deest. [8] deest. [9] ipse. [10] deest. [11] deest. [12] deest.

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres Conciliares,

Liceat mihi quasdam facere animadversiones in primum caput schematis *de sacra Liturgia.*

1. In pag. 163, ad art. 11: Proponere ut scientia liturgica in seminariis et facultatibus theologicis inter disciplinas principales habeatur, mihi exaggeratio quaedam videtur; sufficit ut melius ac in praesens doceatur. Cognoscere, amare Deum Eique servire: haec est tota vita praesens ac *futura.*[1] Detur igitur seminariorum alumnis solida et sincera institutio theologica ut probe Deum noscant; exerceantur indesinenter in virtutibus adipiscendis ut plene Deum ament: tunc ipsis facilis erit gressus ad serviendum Deo « in sanctitate et iustitia omnibus diebus » etiam per sincerum spiritum liturgicum.

2. In pag. 164, propono ut ante art. 16 addatur hic novus articulus:

« Componatur quam citius et auctoritate Sanctae Sedis promulgetur Codex Liturgicus in quo uno — abrogatis nunc vigentibus iuris liturgici fontibus, necnon reprobatis omnibus contrariis quibuscumque privilegiis et consuetudinibus liturgicis, licet centenariis vel immemorabilibus — omnia praecepta liturgica ritus romani colligantur, iis non exceptis quae nunc in Codice Iuris Canonici passim inveniuntur.

« Istius vero Codicis Liturgici interpretationes nonnisi authenticae, ideoque pro universo ritu validae, in posterum dentur a constituenda quadam Pontificia Commissione pro Codice Liturgico authentice interpretando ».

Ratio additamenti propositi haec est. Vobis, venerabiles Patres, profecto compertum est quam multae et quam sparsae sint hodie leges liturgicae. Continentur enim in pluribus libris liturgicis et in nescio quot millibus responsionum et decretorum per plura saecula a Sacra Rituum Congregatione editorum. Quae quidem responsiones passim citantur per solum numerum cardinalem, quin semper indicetur dies, mensis, annus in quo editae sunt; saepe saepius inter se pugnant; et, quod est molestius, in libris continentur qui venales minime prostant immo in multis bibliothecis non reperiuntur; responsiones denique de quarum valore, utrum nempe generales sint an particulares, saepe auctores disputant.

Iamvero summa utilitas erit si, ex decreto huius Sacrosanctae Sy-

nodi et iussu Romani Pontificis, edatur unus Codex in quo, ceteris omnibus abrogatis, colligantur omnes leges liturgicae, quae post reformationem liturgicam a Concilio Vaticano II promotam vigorem habebunt, ita ut quilibet sacerdos, quemadmodum Codicem Iuris Canonici, ita pariter etiam Codicem Liturgicum prae manibus facile habere possit.

Post vero Codicem Liturgicum promulgatum non dentur de eo interpretationes particulares, respondendo ad hunc vel illum episcopum interrogantem; sed tantummodo interpretationes generales, prout, exempli gratia, dat Pontificia Commissio pro Codice Iuris Canonici authentice interpretando.

3. In pag. 167, ...[2] lin. 18-19: quidam venerabiles Patres Conciliares praeteritis diebus postulaverunt ut iudicium de limitibus et modo linguae vernaculae in Liturgiam admittendae relinquatur Conferentiis episcopalibus, minime in hac re interveniente Apostolica Sede. Humiliter censeo omnino retinendum esse textum in schemate propositum, scilicet iudicium definitivum de re tam momentosa uni Sanctae Sedi esse reservandum; idque ad praecavenda pericula gravia, etiam indolis politicae, quae aliter oriri possent. Cogitetis, quaeso, casum alicuius nationis in qua fideles pluribus utantur linguis et pertineant stirpibus promiscue quidem viventibus sed inter se hostilibus. Nonne usus unius linguae vernaculae prae aliis fomes esset discordiae et simultatum? Et sic Liturgia, nedum uniret, animos potius magis magisque divideret, et odium in ipsam Religionem excitaret!

Ergo de his difficultatibus et periculis iudex esto Sancta Sedes, proponentibus quidem Conferentiis episcopalibus.

Nec satis. In alio schemate, nondum nostrae disceptationi subiecto, dicetur decisiones conferentiarum episcopalium non habere vim iuridicam relate ad singulos episcopos, sed tantum moralem. Iamvero, si aliquis episcopus, iure suo usus, nollet acceptare decisiones suae conferentiae circa admissionem in Liturgiam linguae vernaculae, nonne nascerentur in eadem regione differentiae in ipso cultu, cum scandalo fidelium? Iterum ergo iudicium ultimum reservetur in hac re uni Sanctae Sedi quae sola potest auctoritative imponere aliquam decisionem etiam renuentibus. Utique possumus rationibiliter petere ut fiat quaedam maior « decentralisatio » competentiae, *possumus* [3] reverenter desiderare ut maior quaedam fiat « internationalisatio » Curiae Romanae; at displicet audire quaedam verba, quae certissime contra mentem et animum ipsorum proferentium, defectum quendam fiduciae in Sanctam Sedem — et tandem aliquando in ipsum Augustum Sedentem — sonare videntur!

4. In pag. 169, ad art. 31. Optima mihi videtur propositio ista

quae excludit a Liturgia omnem personarum acceptionem. Postrema tamen verba, scl. « salvis consuetudinibus ab Ordinario loci approbandis », *minus* [4] placent, quia practice evacuare aut saltem nimis extenuare videntur quae superius *dicta sunt*.[5] Ergo aut haec verba auferantur, aut saltem ita emendentur: « salvis consuetudinibus a Conferentia episcopali nationali vel regionali approbandis ». Secus maneret, immo decreto conciliari *quasi* [6] viderentur firmari, illae odiosae differentiae inter unam dioecesim et alias finitimas, quae admirationem et scandalum fidelium solent movere.

5. Et ultimo: in pag. 168, ad artt. 32 et 33: Optime fit sermo de vita liturgica in dioecesi et in paroeciis fovenda; nihil e contra expresse dicitur de vita liturgica in ecclesiis religiosorum. Ne ergo videantur hae ecclesiae quasi avulsae aut dispensatae a vita liturgica recte fovenda et cum vita liturgica dioeceseos et paroeciae, in qua inveniuntur, consonanda, propono ut in fine art. 33 haec verba addantur: « Quae de paroecia dicta sunt, congrua congruis referendo, applicentur etiam ecclesiis et oratoriis religiosorum quae habitualiter fidelibus patent ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] aeterna. [2] ad art. 24. [3] deest. [4] non. [5] dicuntur. [6] deest.

Animadversiones adiunctae:

Pag. 157, lin. 5: loco « potest, fovere » et « concurrit » dicatur melius « possit, fovere » et « concurrat ».

Pag. 159, lin. 9: loco « in *eius* persona et vita » dicatur « in *Christi* (vel: *Verbi Incarnati*) persona et vita »; lin. 25: loco « per Sacramenta efficerent » melius dicatur « per Sacramenta *exercerent* », ut habetur in pag. 157, lin. 10.

Pag. 162, lin. 7: loco « sed ut fideles » dicatur « sed ut fideles *et ipsi sacrorum administri* ». Etenim curandum est ut in primis Sacri administri conscie, actuose et fructuose participent.

Pag. 169, lin. 6: « ab Ordinario loci approbandis ». Potiusquam ab Ordinario loci, dicerem « a Conferentiis Episcopalibus », ut tandem aliquando tollantur aut impediantur illae diversitates inter unam alteramve dioecesim, quae fidelium animos percellunt.

In pag. 164, post art. 16 addatur hic novus articulus:

(*Codicis liturgici compilatio*)

§ 1. Compiletur et auctoritate Sanctae Sedis promulgetur quam citius « Codex Liturgicus », in quo — abolitis nunc vigentibus liturgici iuris fontibus, nec non reprobatis omnibus contrariis quibuscumque, etiam religiosorum propriis, privilegiis et consuetudinibus liturgicis, licet centenariis vel immemorabilibus — omnia praecepta stricte liturgica contineantur, iis non exceptis quae hodie in Codice Iuris Canonici inveniuntur.

§ 2. « Codicis Liturgici » interpretationes nonnisi authenticae et pro universo ritu validae dentur, per Pontificiam quamdam Commissionem ad Codicem Liturgicum interpretandum.

7

REV.MUS P. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Angliae O.S.B.

Rev.mi Patres,

Si mihi venia sit, velim unum punctum proponere de prooemio, ...[1] pag. 157, par. 3, lin. 25.

Proponerem[2] ut verba « in praesenti Constitutione nihil *se velle dogmatice definire* »[3] aut omittantur omnino aut pro eis substituantur verba *huiusmodi*:[4] « neque in aliis suis actis, nisi cum clare affirmatur, neque iam in praesenti Constitutione velle quidquam dogmatice definire ».

Hae sunt rationes:[5]

1. Textus *schematis in se*[6] optimus est. Sed posset probabilitatem insinuare quod *aliter* in suis actis Concilium non intendit abstinere a definitionibus dogmaticis. Iamvero:

2. SS. Papa noster iam publice innuit, credo, nova dogmata vix esse exspectanda *a Concilio*.[7] *Forsan praestaret*[8] ut Concilium iam ab initio se monstret consentiens Suae Sanctitati in hac re.

3. Concilium oportet eo semper intendat ut animos fratrum separatorum in concordiam cum Ecclesia adducat. Nova vero dogmata, *nisi omnino necessaria erunt*,[9] tot erunt obstacula ad hunc finem assequendum.

4. Patres Concilii res ...[10] aliter speculativas maiore *forsan*[11] animi libertate, minore vero anxietate, aggredientur si prius manifestum *et*[12] sibi et aliis fecerint non agi, *nisi hoc clare affirmatur*,[13] de dogmatibus definiendis vel determinandis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in schemate constitutionis de S. Liturgia, sc.: [2] Placet iuxta modum. Scilicet. [3] deest. [4] deest. [5] Rationes sequuntur. [6] typis impressus per se. [7] deest. [8] Praestat. [9] deest. [10] theologicas vel. [11] deest. [12] deest. [13] deest.

8

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Mihi liceat humiliter aliquam emendationem prooemio huius constitutionis proponere.

Cum « Ecclesia, in iis quae fidem et bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in liturgia quidem imponere cupiat..., quidquid in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, in quantum potest, sartum tectumque servat ».

Mihi videtur tamen iam in prooemio enuntianda esse principia normativa ex quibus practicae applicationes deinde eruentur; iamvero in fine huius prooemii datur quod « ritus legitime vigentes aequo iure atque honore » habet Ecclesia; et, si ubi opus sit, « caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur et novo vigore... donentur ».

Attamen, dari possunt ritus in quibus adsint elementa populis non occidentalibus aut inintelligibilia aut eorum moribus extranea. Si ergo hi ritus indiscriminatim rinvigorarentur et in missionum locis imponerentur, ut enuntiatur versus finem in hoc prooemio, liturgia suum finem pastoralem iam non attingeret.

Proinde humiliter propono ut ultima paragraphus sic emendetur in lin. 35 et seq.: « Concilium declarat Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes, aequo iure et honore habere, foveri, et caute ex integro ad mentem sacrae traditionis recognosci, atque sicubi christifidelium bonum id requirat, ad populorum ingenium et traditiones aptari ».

Textus scripto traditus:

Mihi liceat humiliter circa aliquam emendationem (huic prooemio versus finem) mentem aperire de aliquibus articulis huius schematis constitutionis de S. Liturgia.

De prooemio, pag. 157:

Cum « Ecclesia, in iis quae fidem et bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit... quidquid in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, in quantum potest, sartum tectumque servat » (v. Normas ex principiis de aptatione, pag. 165, par. 1), quod christifidelium corda magno gaudio afficiet.

Mihi videtur iam in prooemio enuntianda esse principia normativa ex quibus practicae applicationes eruentur; iamvero dari possunt ritus in quibus adsint ele-

menta populis *non occidentalibus* aut inintellegibilia aut eorum moribus extranea. Si ergo hi ritus indiscriminatim rinvigorarentur et in Missionum locis imponerentur, ut enuntiatur in prooemio proposito versus finem, Liturgia suum finem pastoralem iam non attingeret.

Inde, humiliter opto ut ultima paragraphus sic emendetur: lin. 35 et sq.: « Concilium declarat Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes, aequo iure et honore habere, foveri, et caute ex integro ad mentem sacrae traditionis recognosci, atque *sicubi christifidelium bonum id requirat, ad populorum ingenium et traditiones aptari* ».

Animadversiones adiunctae:

Mihi liceat mentem aperire de aliquibus articulis huius schematis constitutionis *de sacra Liturgia.*

Prooemium, lin. 35 legatur: « Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes aequo iure atque honore habere, in futuro servari, foveri et caute ex integro ad mentem sacrae traditionis recognosci atque, sicubi bonum fidelium id requirat, ad populorum ingenium et traditiones aptari »...

Nam necesse videtur in prooemio affirmanda principia directiva e quibus ementur practicae applicationes pro ratione pastorali, ut in nn. 18, 20, 21 etc.

Cap. I, n. 2, lin. 11 expungantur verba « Sacramenta administrando » quia necesse non est ut Ecclesia conveniat ad administrandam Poenitentiam, Unctionem Infirmorum.

N. 24, lin. 19 legatur: « limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis ab Apostolica Sede recognitis ».

9

EXC.MUS P. D. DEMETRIUS MANSILLA REOYO
Episcopus tit. Erythraeus, aux. Burgensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Animadversiones ad haec tria puncta referuntur:

1. *Ad n. 3, de quo iam alii locuti sunt, ideo breviter. Cum verba schematis sic se habeant lin. 21, pag. 160:*[1] « Ipse est qui loquitur dum verba Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur et *explicantur* » (ibid., lin. 20-21), *tantum addam:*[2] ...[3] commentatoris — etiam sacerdotis — verba, verba Christi nullatenus sunt; immo quandoque a verbo Christi longissime aberrant. Optandum igitur ut haec duplex atque diversa Christi praesentia in talibus actionibus ad amussim explicetur, ne quis in errorem inducatur, his subiunctis verbis: « Ipse est qui loquitur dum verba Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur et explicantur, *quamvis non eodem modo* ».

2. Ad n. 9, pag. 162. Ut vita liturgica Ecclesiae in merum ritum ne degeneret et species sine re evadat, optandum esset, ut Sacrosancta Synodus omni qua pollet auctoritate breviter sed stricte indicaret quae-

dam pia exercitia in n. 9 tantum incerte ac indefinite expressa; quae vero in Encyclica *Mediator Dei* iam accurate proponuntur (cf. *A.A.S.* 39 [1947], pag. 584). Hac de re fructus vitalis, qui e fonte copioso Liturgiae scatet, firmaretur, utpote qui nostra religio imprimis vita et spiritus esse debeat.

3. Ad ...[4] n. 24. Quamvis de hoc numero satis superque dictum sit, hoc unum tamen addi vellem: linguae latinae usus indesinenter servandus videtur in occidentali Liturgia.

Difficultatem credo intelligendi Liturgiam, Missae praecipue, potius quam linguae usui instructionis fidelium defectui esse tribuendam. Haud renuo, quibusdam locorum aut temporum perspectis adiunctis, Sanctam Sedem linguae vernaculae usum alicubi permittere posse, ut per tempora liberaliter et generose concessum est; sed hoc ipsum in universas regiones protendi velle, nimium ac periculosum videtur.

Memoramini et animum advertite, venerabiles Fratres Conciliares, iudiciorum anfractus atque Liturgiae ambages in quos, aevo Tridentino, perventum est, adversus quod tot episcopi suffragia tulerunt, tot concilia provincialia, ipsique Patres Tridentini, propterea quod illa prope infinita varietas librorum liturgicorum, Missalis scilicet, Breviarii, *praecipue* [5] nihil utilitati fidelium favebat, sed potius offendiculi perturbationisque causa erat.

In idem periculum ne veniamus, quod tantis conatibus et laboribus maiores nostri vitarunt, fiatque noster error peior priori. Fructus ex historia capiamus, ipsa est enim « magistra vitae ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1. Ad cap. I, n. 3. - Cum in n. 3, lineis 16-21, p. 160 « Christum Ecclesiae suae semper adesse praesertim in actionibus liturgicis » affirmetur, haec praesentia ad explicationes illas sive commentarios extendi etiam videtur, quae actuum liturgicorum occasione fiunt; ideo Christi praesentia, sive in actionibus, sive in commentariis paraliturgicis aequiparatur eademque ratione explicatur, cum verba schematis sic se habeant: [2] deest. [3] Nihilominus. [4] Cap. I. [5] etc.

10

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Venerabiles Patres,

Quaedam adiungenda volo iis quae dicta sunt; forsan aliqua possunt esse repetita, sed puto quod ista quae dico aliquo modo possunt esse utilia.

Imprimis ego notarem: constitutio de re liturgica, loco loquendi de Ecclesia orientali et occidentali, forsan melius esset ad claritatem si dicatur « Ecclesia ritus latini », et sic dicatur de aliis ritibus, ne confusiones habeantur.

Relate ad linguam vernaculam, dissentiones quae videntur esse inter Patres certissime non sunt quoad finem, quia omnes desiderant bonum animarum, immo ista magna discussio hoc revera testimonium magnificum dat quod omnes bonum animarum inquirunt; sed quaestio est potius de via quae ducit ad bonum animarum, et omnes habent suas optimas rationes, quia duo sunt in praxi puncta super quae fundantur duae istae sententiae: quaestio stricte pastoralis, quae vult ut fideles magis actuose participent ad sacrificium sociale Missae, quod est sacrificium totius Ecclesiae; ex alia parte, anxietas de instrumento unitatis in maxima illa parte Ecclesiae quae utitur ritu latino, quia certissime est maxima pars Ecclesiae. Utique nos veneramus omnes alios ritus et maximam venerationem erga illos habemus, sed de facto certissime ritus latinus habet ampliorem locum quoad numerum catholicorum.

Proinde haec humiliter ego vellem dicere: videtur ratio unitatis forsan praevalere, quia dum ad actuosam participationem fidelium sunt alia media, forsan non ista media sunt tam apta ut servetur istum strictum vinculum unitatis saltem inter catholicos ritus latini. Proinde videretur servanda in ritu latino — semper in ritu latino — lingua latina, etiam in parte didactica Missae, quia linguae vulgares saepius saepe mutantur et inducunt facile confusionem in doctrina, quia verba non quolibet tempore eumdem sensum retinent.

Vitatur difficultas maxima pro sacerdotibus qui itinera instituunt, pro communicationibus televisivis. Est difficultas ob emigrationes populorum qui ratione laboris, negotiationis et etiam congressus saepe exteras nationes petunt; difficultas etiam in nationibus qui pluralitatem linguarum habent, praesertim in Missionibus difficultas gravior esset quia quaelibet tribus habet propriam linguam.

Pastorali curae eodem modo, sicut iam dictum est, provideri potest. In regionibus qui sunt sub materialismo, loco auferendi linguam latinam ubi viget, provideatur ut in ritibus quaedam inserantur quae ad institutionem fidelium inserviunt et hoc fiat per facultates speciales datas a Sede Apostolica, ut plurimum factum est. In ceteris nationibus qui libertate fruuntur, innumera media sunt, ut iam dictum est: Missale in lingua vernacula, commentatores, qui consulunt pietati fidelium.

Ceterum, putandum est, sicut nuper etiam dictum est, quod actuosa participatio non pendet primario a lectione linguae vernaculae, sed ab institutione catechetica, homiletica maxime pendeat.

Postea, forsan unum adiungere volo: quaestio est de facto, proinde conficiatur statistica de progressu religionis catholicae et instituatur comparatio numerica et videatur an ubinam sunt fratres separati vel etiam fratres uniti qui habent ritum in lingua vulgari, videamus si numerus catholicorum magis augetur ubi servatur lingua latina, in ritu latino utique, vel ubi legitime utitur lingua vulgari, lingua vernacula. Proinde ista omnia sunt videnda, ceterum scimus quod fratres separati, saltem Protestantes, utuntur lingua vernacula et forsan instituenda comparatio an sufficiat lingua vernacula ad progressum religiosum, ad stabilitatem, ad firmitatem et ita porro.

Proinde puto quod ista omnia attendenda sint. Denique revocandum est quod, testante Sacra Scriptura, multa sunt difficilia apud S. Pauli epistulas, est S. Petrus qui dicit, et ita ut non sufficit audire ut intelligant quia etiam sacerdotes debent aliquando exegesim instituere et studere per theologiam, per studia biblica, et ita porro.

Postea, etiam aliae partes Scripturae...

Praeses card. FRINGS: Habeas me excusatum, carissime Frater: haec iam dicta sunt.

Orator: Nunc utique vellem dicere de eunucho reginae Candacis, quia non intelligebat quae legebantur, sed...

Ultima, si adhuc est momentum, ultima propositio pro fratribus aliorum rituum, ex. gr. si — puto quod audacter dico hoc —, si catholici qui sunt excultiores, ex. gr. edoceantur ut addiscant « Credo » et orationem dominicam in lingua orientali, ita ut aliquando etiam in Ecclesia catholica in festivitatibus maioribus, sicut fit quando celebrat Summus Pontifex, loco canendi vel recitandi « Credo », ex. gr. in lingua latina, recitetur in lingua graeca et ita posset fieri e converso, ut in ritibus graecis aliquando admittatur recitatio in lingua latina. Et episcopi ritus latini saepe vocent presbyteros et episcopos ritus orientalis qui veniant celebrare in nostris ecclesiis. Puto quod haec intercommunicatio esset optima ad maiorem cognitionem. Dixi.

Textus scripto traditus:

1. In schemate constitutionis *de sacra Liturgia* duo sunt potiora puncta quae velut substratum totius eiusdem constitutionis constituunt, scilicet:

Primum: de sacra Liturgia fovenda;

Secundum: de sacra Liturgia instauranda.

Unum et alterum principium unica communi et urgenti movetur ratione: bonum scilicet animarum, quod absque dubio obtinetur, *non unice,* sed summopere per actuosam participationem fidelium ad sacram Liturgiam.

2. *Quoad primum* omnes ultro conveniunt sacram Liturgiam fovendam esse
— tum in clero, magni momenti eam faciendo in Seminariis sive *theorice* per studia; sive in *praxi* per celebrationem solemnium caeremoniarum iuxta praescripta proprii ritus;
— tum apud fideles, illos ad eam alliciendo.

3. *Quoad Liturgiam instaurandam* generice, omnes pariter consentiunt praeeuntibus Romanis Pontificibus qui praesertim novissimis temporibus a S. Pio X et deinceps multa instaurarunt in tota Ecclesia vel instaurare permiserunt. (Id innuit materna sollicitudo omnium Ecclesiarum vigens et semper sedula in Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum matre).

Multae enim caeremoniae, quae sensim sine sensu decursu saeculorum mutationes habuerunt, non semper opportunae ritus celebrationi respondent, vel ut censeatur apprime respondere multis indigent explicationibus. (Ex gr. quaedam in Exequiis defunctorum vel in Missa Def.: « Libera eas de ore leonis et a profundo lacu, etc.). Item forte festorum dispositio, Kalendarii innovationes, etc.

4. Innovationes nonnullae in omnibus ritibus sacrosanctae Catholicae Ecclesiae faciendae sunt, ut quidam ritus (qui orientales nomine veniunt) simpliciores reddantur, ut et « liturgiae » pariter orientales saltem ordinariae breviores reddantur, et *forsan quotidianae,* ut fideles magis alant spiritualem vitam divinum Missae sacrificium participando.

5. Attamen aliter ponitur quaestio cum de ritu latino et consequenter etiam de lingua latina in ipso ritu adhibenda agitur. Nam ritus latinus maximam partem Catholicae Ecclesiae tangit. De hac quaestione malumus quasdam animadversiones afferre.

6. *Praemittenda*:

a) *In constitutione de sacra Liturgia,* ad aequivocationes vitandas ne loquamur de Ecclesia « Orientali » et « Occidentali » (quae denominatio realitati distributionis ritus non amplius respondet), sed dicatur *Ecclesia ritus latini, Ecclesia ritus maronitici,* etc.;

b) scimus omnes quaestionem non esse de fide, sed de praxi; quaecumque lingua *directe* fidem non attingit;

c) concedatur, quaeso, eos qui linguae latinae usum in liturgia defendunt, ex eodem amore erga animas et erga Ecclesiam, eodem zelo ac ceteri moveri;

d) demum dum finis pastoralis intenditur, *actuosior scilicet participatio fidelium sacrae liturgiae,* ne obliviscamur alius pastoralis finis eiusdem momenti, scilicet consulendi et fovendi unitati Ecclesiae, cuius unitas etiam *unitas linguae,* in ritu latino, solidum vinculum constituit.

7. Manente lingua latina et congruis novissimis subsidiis adhibitis, *duo bona* proveniunt et nullum periculum exsurgit.

a) *Actuositas fidelium* etiam maxima semper obtineri potest;

b) *Unitas* meliore modo in Ecclesia fovetur et non tantum singularum nationum seu regionum, sed omnium fidelium, quibus actuosa participatio ubique terrarum providetur.

8. *Actuositas obtineri potest* et de facto multis in regionibus iam obtinetur:

a) *per ampliorem institutionem catecheticam* de sacrificio Missae et de structura ritus romani;

b) curando ut fideles missale lingua latina et vernacula (vel tantum ver-

nacula) exaratum habeant, quocum in qualibet natione suam fructuosam participationem consequi valent;

c) *per nuntiatores seu commentatores,* ut aiunt, qui, libris ab episcopis probatis, in lingua vulgari partem didacticam Missae legunt cum aptis commentariis quibus difficiliora puncta clarescunt.

9. *Difficultates ex usu linguae vulgaris*: *Linguae vulgares* cum linguae vivae sint *saepe mutant sensum* vocabulorum, quod confusionem ingerit circa veritates quae a liturgia exprimuntur.

10. Dein:

a) ob emigrationes hominum quae fiunt quotidie;

b) ob pluralitatem linguarum quae viget in pluribus nationibus;

c) ob nimiam diversitatem sermonis inter diversas tribus in multis locis missionum;

d) ob itinera qua frequenter sacerdotes hodie instituunt;

e) ob congressus et ad sanctuaria peregrinationes, quae saepissime fiunt, *multa inconvenientia, difficultates et non raro etiam dissentiones ex usu vernaculi sermonis orirentur;* quod non accidit ex communi usu linguae latinae.

11. In comperto insuper est lectiones S. Scripturae (praesertim Epistolae S. Pauli, ut monet S. Petrus) sine commentariis difficilis captus evadunt. Ita ut Spiritus Sanctus misit Philippum ad instituendum Eunuchum Reginae Candacis, qui Sacram Scripturam lingua vernacula legebat eamdem *tamen* minime intelligens. Ergo lectio in lingua vernacula alicuius partis Sacrificii Missae bona desiderata saepe non afferret, dum certe multa incommoda quamplurimis fidelibus procuraret.

12. Pro nationibus sub regimine materialistarum constitutis, cum extraordinaria vigeat conditio, per extraordinarias facultates et indulta Sancta Mater Ecclesia subvenire potest, sicut et providit haud raro. Ceterum perdurante lacrimabili conditione illorum fratrum nostrorum — intacta relicta Missae liturgia latina — possent plura in lingua vernacula inseri inter partes liturgicas Missae, ut fideles edoceantur.

13. Quod vero unio fratrum separatorum efficeretur ex sola abolitione linguae latinae in liturgia, res nimius urgenda non videtur; ob duplicem considerationem:

a) si agitur de reditu ad Ecclesiam singulorum fidelium nulla erit difficultas;

b) si agatur de reditu ad Ecclesiam Catholicam alicuius communitatis vel oppidi cum suis pastoribus, tunc, Summus Pontifex peculiaria indulta in singulis casibus dabit, prouti antea Romani Pontifices disposuerunt. Tali modo salva erit unitas ritus et provisum erit pastoralibus necessitatibus.

14. Ad unitatem fovendam et maiorem communionem cum ceteris ritibus Catholicae Ecclesiae humiliter et audacter proponerem:

a) ut in studiis liturgicis provehendis in Seminariis et in coetibus liturgicis (cf. Cap. I, par. II, n. 10-12, fol. 163) maius studium tribuatur cognoscendis ritibus orientalibus;

b) ut Seminaristae et, quatenus fieri potest iuvenes Actionis Catholicae, Universitarii etc., addiscant recitare Credo et Orationem dominicam (Pater Noster) in lingua graeca, ita ut, in festis solemnioribus etiam tali lingua, durante Missa ritus latini « Credo » et « Pater Noster » recitetur. Idem ex altera parte consulendum esset ut fiat in aliis ritibus catholicis relate ad ritum latinum;

c) Episcopi ıitus latini, quatenus possibile est, interdum in anno libenter

advocent episcopos et presbyteros alicuius orientalis ritus ut celebrent in Ecclesiis ritus latini dum fideles qui assistunt, debitis commentariis edoceantur.

15. Ceterum, cum agatur de re non theorica sed practica per « statisticas », ut aiunt, ponderetur quinam realis sit progressus religionis catholicae in regionibus in quibus viget usus linguae vernaculae in liturgicis celebrationibus et quinam realis inveniatur progressus in aliis locis in quibus ritus latinus servatur.

16. *Conclusio*:

In Sacramentis et Sacramentalibus usus concedatur linguae vernaculae, servata, si fieri potest, forma sacramentorum in lingua latina.

In Sacrificio Missae in ritu latino, lingua latina servetur ad maiorem unitatem in Ecclesia fovendam et servandam.

Nota: Anno 1956, cum canonicae visitationis causa fui in insulis Iaponensibus, N. Ryu-Kyu, factum peculiare in civitate *Naze* (in insula Amami Oshima) accidit. Prima vice christiani excipiebant in sua insula Superiorem Generalem Missionariorum qui Roma advenerat. Cum ante profectum salutationem eidem homines simul collecti dare vellent unus ex his sermonem fecit lingua iaponica, quam vertebat in latinam linguam missionarius americanus. Vir iaponensis inter alia dixit: Cum audivimus Roma huc advenisse Ministrum Generalem Fratrum Minorum Conventualium multa curiositate conspiciebamus quomodo Missam ipse celebraret. At cum vidimus illum, italicum natione, Missam celebrare sicut missionarii nostri celebrare consueverant lacrymas gaudii fudimus et tunc bene intelleximus catholicitatem Ecclesiae.

Animadversiones adiectae:

I - Relate ad aptationes in *re liturgica* faciendas iuxta ea quae in nn. 20-21 « schematis » proponuntur, modeste censeo clariori modo haec puncta statuenda esse, scilicet:

1) Ut Conferentiis Episcopalibus Nationalibus prudens aptatio demandetur ad unitatem maxime et uniformitatem in eadem regione seu natione servandam.

2) Ut in Conferentiis Nationalibus, cum de aptatione in re liturgica decernitur, adsit Ecclesiasticus peritus a S. Sede deputatus, qui munus consiliarii exerceat, quin tamen votum ferat.

3) Ubi aptationes alicuius momenti inducendae sint, S. Sedis adprobatio semper requiratur, ad unitatem fovendam ac servandam.

II - Relate ad aptationes in locis Missionum faciendas, haec praecipue animadvertenda esse censeo:

1) Mutationes ne facile fiant, praesertim si sint maioris momenti: conditiones enim etiam horum populorum nostris temporibus brevi annorum spatio facile mutari et evolvi possunt.

2) Etiam in locis Missionum adsunt iam haud raro apparatus Radiophonici et Televisivi, quibus fideles interdum sacras caeremonias aliarum nationum percipere possunt.

3) Ceterum opportune fideles iam ab initio instrui possunt circa rituum ac caeremoniarum significationem, ut maior saltem pars dispositiones liturgicas statutas observari queant.

Recoli potest Ioannem a Montecorvino saeculo XIII in Sinis docuisse pueros psalmos canere lingua latina prouti in ecclesiis romani ritus clerici consueverant.

Relate ad n. 23: optima norma, opportune applicanda, ut quadam spiritali unctione sacri ritus penetrentur, ne nimis aridi remaneant.

Relate ad *celebrationem Sacrificii Missae in ritu latino*: usus *linguae latinae* immutatus remaneat. Nam linguae vernaculae necessitas hodie non videtur tanta esse cum in qualibet natione, etiam in locis Missionum habeantur parva missalia pro fidelibus, lingua latina et vernacula exarata.

Tali modo consulitur:

1) *Actuosae participationi* fidelium Missae Sacrificio, praesertim si fiat Missa « dialogata », ut aiunt.

2) *Utilitati ipsorum fidelium*, qui fere ubique terrarum ritum latinum inveniunt et Missae Sacrificio, ope parvi missalis, ut supra dictum est, omnes ac singulas partes facile intelligere possunt, atque fructuose et actuose Missae participare.

3) *Utilitati sacerdotum*, qui frequenter hodie... (et frequentius in futuro) varias nationes visitant peregrinationis, solaminis vel studii causa. Ii enim, si pars Missae in vernacula lingua celebraretur, facile difficultatem invenirent praesertim si vernaculam linguam illius nationis parum callent vel forte penitus ignorant.

4) *Maximum* insuper manet *unitatis vinculum* inter fideles et sacerdotes variarum nationum usus linguae latinae praesertim in Missae celebratione.

5) Etiam quoad *administrationem Sacramentorum* remaneat, saltem pro praecipuis partibus, latina lingua. Sacerdos vero antequam formulas proferat, eas vernacula lingua opportune illustrare poterit.

11

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS LA RAVOIRE MORROW
Episcopus Krishnagarensis

Em.mi Praesules, em.mi ac rev.mi Patres,

Pauca tantum dicam *de usu linguae vernaculae.*

Hic minime tangitur, ut patet, status linguae latinae ut linguae officialis Ecclesiae Catholicae, quem statum sine dubio retinebit.

Sed eius usus in Liturgia, est omnino alia quaestio; et in hac quaestione, schema nostrum, ceteroquin pulcherrimum, videtur nimis timidum.

Debemus prae mente habere linguam latinam minime esse aliquem finem absolute obtinendum et servandum; lingua latina est merum medium ad finem, scilicet, ad bonum animarum. Hoc bonum animarum hodie requirit Liturgiam vernaculam, praecipue ob duplicem rationem:

Prima ratio est pastoralis. Schema laudabiliter urget « actuosam et consciam participationem » fidelium in Liturgia. At talis participatio, actuosa et conscia, est vix possibilis, praesertim pro incultis, i. e., pro massa fidelium, quamdiu Liturgia celebratur in lingua ignota.

Quomodo possent « suam mentem voci concordare », sicut schema nostrum desiderat, si non intelligunt quid vox dicat?

Usus vernaculae versionis missalis potest esse aliquod adiutorium,

sicut etiam fit in theatro cum aliquod drama exhibetur in lingua aliena. Sed, num haec est directa participatio *quam* [1] sacra Liturgia postulat?

Nec ulla probabilis ratio inveniri potest cur quasdam formulas Ritualis Romani, et ipsum Canonem Missae non liceat recitare nisi latine. An sunt tam sacrae ut debeant dici lingua « sacra »? Non-catholicis, praecipue cultis, hoc sapit esoterismum et mentem magicam. Maxime vero convenit ut fideles intelligant non solum ritus accessorios, sed ipsum Canonem Missae et formas sacramentales, ut baptismi et absolutionis.

An usus linguae latinae censetur eas formulas servare a periculo corruptionis? Sed e contra, tutius servabuntur a corruptione si intelliguntur a circumstantibus quam cum murmurantur modo inintelligibili.

Ipse cantus gregorianus non necessario connectitur cum lingua latina. Etenim experientia compertum est cantus Passionis, « Exsultet » et alios pulchre aptari posse variis linguis.

Si volumus restaurare spontaneam illam participationem fidelium qualis habebatur primis saeculis, debemus restaurare usum linguae popularis, sicut Ecclesia faciebat per plura saecula.

Sic Romae, lingua liturgica erat graeca, quamdiu haec erat lingua communis. Quando populus eam non amplius intelligebat, tunc Liturgia celebrata est latine, id est in lingua populari.

Hodie, his ipsis diebus, videmus filios parentum catholicorum alienatos ab Ecclesia, atque plaudentes inceptis communistarum. Nonne tristissima haec conditio partim orta est ex hoc quod Liturgia nostra non iam intelligitur et propterea nequit animos iuvenum alere eosque intime cum Deo et cum Ecclesia coniungere?

Altera ratio est oecumenica. Firmiter speramus unionem Protestantium cum Ecclesia Catholica. Iamvero illi per ultra tria saecula vernacula usi sunt, atque plerosque Liturgia latina repellit. Nonne nunc est tempus removendi impedimenta quae obstant illorum unioni, impedimenta, scilicet, non necessaria, qualis est Liturgia latina?

Hodie multi Protestantes desiderant unionem et ab Ecclesia exspectant aliquod signum benevolentiae maternae. Si volumus finem, debemus adhibere media ad finem conducentia.

Verum est, in aliquibus regionibus, vel in certis circumstantiis, usum linguae vernaculae in Liturgia non esse opportunum. Propterea, iudicium de opportunitate utendi lingua vernacula in variis regionibus pertineat ad Conferentias episcoporum.

Etiam verum est, usum vernaculae difficultatem praebere sacerdotibus iter facientibus, aetate provectis, vel ob alias causas personales;

sed, in talibus casibus, licebit Liturgiam celebrare, sive latine sive vernacula, approbante Ordinario.

Quare, a Sacro Concilio humiliter peto ut mutet n. 24 schematis hoc fere modo:

« N. 24. [*Lingua liturgica*]. 1) Liturgiam occidentalem licet celebrare sive latine sive in linguis variarum regionum.

« 2) Iudicium de opportunitate utendi lingua vernacula in variis regionibus pertinet ad Conferentias episcoporum, approbante Sancta Sede ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] qualem.

12

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ
Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

Venerabiles Patres,

Per quattuor tantum minuta patientia vestra abutar.

Pulcherrimum schema *de sacra Liturgia* a commissione liturgica praeparatum et a commissione centrali emendatum, additis paucis mutationibus, approbari sine dubio potest.

Ad n. 3, aliqua habeo dicendum. Hic numerus placet iuxta modum: ut scl. in ultima sententia, pag. 160, lin. 36, loco verborum « titulo qui eodem » ponatur « cuius efficacitas eodem titulo eodemque gradu » etc.

Ratio additionis propositae: in tota constitutione de prorsus singulari efficacitate Liturgiae nullus est sermo, quae tamen fundamentum est ipsius eminentis dignitatis relate ad alias orationes mere privatas. Et hic potest citari Encyclica *Mediator Dei,* sed hanc citationem omitto.

Secundo: multa et optima dicta sunt quoad linguam liturgicam in utramque partem. Propono pro numero saepe citato 24, sequens principium generale: « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur, sed usus moderatus linguae vulgaris conceditur ».

Sexdecim rationes in manuscripto brevissime exaravi, sed ex his rationibus multa ab aliis iam dicta sunt et non repetuntur.

Quasdam tamen rationes adducam quae nondum ita clare dictae sunt, ut mihi videtur, nempe (est ratio mea nona, aliae omittuntur):

A multis proponitur ut prima pars Missae usque ad Offertorium in lingua vulgari dicatur. Quid tunc? Cantus gregorianus, qui aliquid sacri in se continet et qui proprius est Ecclesiae Romanae, ad mortem

damnabitur, vel in uno vel alio monasterio sicuti in museo conservabitur.

Ex aliis rationibus, undecima: Ex ore multorum fratrum aliarum confessionum audivi eorum desiderium habendi linguam specialem et non vulgarem pro aliquibus partibus Liturgiae.

Decima tertia: Liturgia est semper aliquid quod pertinet ad totam communitatem, i. e. ad Corpus Christi Mysticum. In communitate non est necessarium ut omnes omnia faciant neque omnes omnia intelligant, sed unusquisque partem suam propriam habet. Ex hac ratione non est nimis urgendum ut omnes omnia verba intelligant. Et de cetero Christus Dominus in communitate christiana semper primum locum obtinet et omnia intelligit. Verbum aliquod centrale totius Liturgiae est: « per Christum Dominum nostrum » — consolatio pro omnibus — et illud aliud: « per Ipsum et cum Ipso... » etc.

Ratio 16 et ultima: ratio quae quasi semper adducitur in favorem linguae vulgaris haec est: unusquisque debet intelligere omnia. Respondeo dicendum fideles non debere intelligere omnia — nos ipsi sacerdotes non intelligimus omnia! — sed sufficere ut intelligant universalia et non omnia particularia. Actuosa participatio fidelium non tantum consistit in cantu et oratione, sed etiam in visione eorum quae in altari aguntur. S. Thomas iam loquitur de iis qui in ecclesia non intelligunt quae cantantur, et dicit in II-II, q. 91, art. 2, ad 5, pulcherrima verba: « Etsi aliquando non intelligant quae cantantur, intelligunt tamen propter quid cantantur, scilicet ad laudem Dei; et hoc sufficit ad devotionem excitandam ». Et hoc mihi accidit feria quarta videndo, assistendo pulcherrimae illae Liturgiae byzantinae: non intellexi nisi unum verbum, i. e. « Amin », sed devotio mea maxime excitata est quia scivi mysterium Crucis ibi peragi et musica cantum etiam intellexi. Musica enim est lingua universalis ab omnibus intellecta.

Summa summarum: « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur », sed addatur: « sed usus moderatus linguae vulgaris conceditur », ut in omnibus glorificetur Deus. Dixi.

Textus scripto traditus:

Membra Concilii quorum nomina ad calcem hic referuntur schema *de sacra Liturgia* in genere optimae naturae existimant et exoptant ut a Patribus recipiatur.

Sequentes tamen animadversiones ad quaedam singula puncta eiusdem schematis proponendas necessarium ducunt.

1. Ad n. 3. Placet iuxta modum: ut scilicet in ultima sententia, pag. 160, linea 36, loco verborum « titulo qui eodem » ponatur « cuius efficacitas eodem titulo eodemque... »; et in nota ponatur: Cf. *Mediator Dei, A.A.S.* 39 (1947), pag. 532. (Ibi habetur sequens textus: « Omnibus igitur exploratum esse debet... cultum...,

quem Ecclesia una cum divino Capite suo coniuncta, Deo praestat, sanctitudinis adipiscendae habere efficacitatem quam maximam. Quae efficacitas, si de Eucharistico Sacrificio ac de Sacramentis agitur, ex opere operato potius ac primo loco oritur. Si vero vel actionem illam consideramus intaminatae Iesu Christi Sponsae, qua eadem precibus sacrisque Caeremoniis Eucharisticum adornat Sacrificium et Sacramenta; vel si de Sacramentalibus ac de ceteris ritibus agitur, quae ab Ecclesiastica instituta sunt Hierarchia, tunc efficacitas habetur potius ex opere operantis Ecclesiae, quatenus ea sancta est atque arctissime cum suo Capite coniuncta operatur »).

Ratio additionis propositae: in tota constitutione de prorsus singulari efficacitate Liturgiae nullus est sermo, quae tamen fundamentum est ipsius eminentis dignitatis relate ad alias orationes mere privatas (cf. *Mediator Dei, A.A.S.* 39 [1947], pag. 537).

2. Schema *de sacra Liturgia* in n. 24 sic se habet: « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur ». Hic addi posset: « sed usus moderatus linguae vulgaris conceditur ».

Rationes quaedam adducendae pro hac thesi sequentes sunt:

1) « Melior est conditio possidentis ». Deo sic disponente factum est, ut lingua latina sit lingua liturgica in Ecclesia occidentali quae per totum orbem terrarum diffunditur.

2) Lingua latina de facto est signum externum unitatis, utique non causa unitatis, quae semper est ipse Spiritus Sanctus, attamen lingua latina suavi quodam modo vinculum est visibile et audibile omnium catholicorum.

3) Mysterium fidei in Sacrosancto Sacrificio Missae non debet nimis detegi, sed potius velari, ut rerum divinarum reverentia augeatur. Lingua latina vel etiam graeca aut slavica vel quaecumque alia lingua sacra est quasi « iconostasis » vel velum mysterii sacri.

4) Etiam apud non christianos adhibebatur et adhibetur in eorum cultu non lingua vulgaris, sed aliqua lingua propria et sacra. Hoc factum videtur quasi legem naturalem esse.

5) Illi qui nimio modo sunt propugnatores linguae vulgaris in liturgia insistunt in hoc, quod liturgia quoad magnam partem est instructio vel catechesis pro fidelibus. Nullum dubium est quin Liturgia primarie sit adoratio, gratiarum actio, satisfactio et sacrificium, et secundarie tantum eruditio, doctrina, catechesis. Cognitio fidei generatim praesupponitur in iis qui Liturgiam celebrant.

6) Lingua vulgaris semper mutationi subiecta est et conceptus eius variantur. Lingua liturgica latina in eodem statu permanet et conceptus eius semper iidem manent. Liturgia in lingua vulgari saltem bis in saeculo erit mutanda.

7) Liturgia est locus theologicus, fons dogmaticus, expressio dogmatis et professio fidei. Mutatio semper periculosa evadet.

8) Nostris temporibus fines populorum magis magisque tolluntur, omnesque nationes ad unitatem tendunt. Nescio cur in Ecclesia Catholica nunc novae arbores terminales (Schlagbäume) et limites erigi debeant mediante lingua vulgari in Liturgia.

9) A multis proponitur ut prima pars Missae usque ad Offertorium in lingua vulgari dicatur. Quid tunc? Cantus gregorianus, qui aliquid sacri in se continet et qui proprius est Ecclesiae Romanae, ad mortem damnabitur, vel in uno vel alio monasterio sicuti in museo conservabitur.

10) Ecclesiae Catholicae generatim maxime frequentantur quamvis Liturgia sit latino sermone celebrata, dum ecclesiae eorum qui omnia in lingua vulgari asseclis suis praesentant saepius vacuae sunt.

11) Ex ore multorum fratrum aliarum confessionum audivi eorum desiderium habendi linguam specialem et non vulgarem pro Liturgia.

12) Usus moderatus linguae vulgaris a Sancta Sede conceditur pro Ritualibus, pro lectione Evangelii et Epistolae et pro variis cantibus et orationibus. Homilia denique semper habetur in lingua vulgari et de cetero omnes prae manibus habere possunt Missale Romanum in lingua latina simul et vulgari.

13) Liturgia est semper aliquid quod pertinet ad totam communitatem, i. e. ad Corpus Christi Mysticum. In communitate non est necessarium ut omnes omnia faciant neque omnes omnia intelligant, sed unusquisque partem suam propriam habet. Ex hac ratione non est nimis urgendum ut omnes omnia verba intelligant. Et de cetero Christus Dominus in communitate christiana semper primum locum obtinet et omnia intelligit. Verbum aliquod centrale totius Liturgiae est: « per Christum Dominum nostrum » et illud aliud: « per Ipsum et cum Ipso et in Ipso est Tibi Deo Patri omnipotenti omnis honor et gloria ».

14) Impugnatores contra linguam latinam in sacra Liturgia deberent etiam pugnare contra vestimenta liturgica et haec vestimenta latinae et romanae originis transformare in vestimenta vulgaria et quotidiana.

15) Ratio omnino practica addi debet. Sacerdotes qui sunt in itinere — aestatis tempore non sunt pauci — non possunt Missam communitariam celebrare pro populis alterius nationis, nisi perfectissime calleant lingua vulgari huius populi.

16) Ratio quae quasi semper adducitur in favorem linguae vulgaris haec est: unusquisque debet intelligere omnia. Respondeo dicendum: fideles non debere intelligere omnia, sed sufficere ut intelligant universalia et non omnia particularia. Actuosa participatio fidelium non tantum consistit in cantu et oratione, sed etiam in visione eorum, quae in altari aguntur. S. Thomas iam loquitur de iis qui in ecclesia non intelligunt quae cantantur, et scribit in *Summa Theol.*: « Etsi non intelligunt quid cantant, intelligunt tamen propter quid cantant et hoc sufficit ad devotionem excitandam » (II-II, q. 91, a. 2, ad 5).

Summa summarum: « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur », sed addatur: « sed usus moderatus linguae vulgaris conceditur », ut in omnibus glorificetur Deus.

13

Exc.mus P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAÚN
Episcopus tit. Tabudensis, coad. Gadicensis

Venerabiles ac dilectissimi Patres,

De lingua vernacula, ad mentem card. Gracias, tam de sacramentis, de Missa et de orationibus Ritualis, tantum dico observationes propositionis meae, ratione brevitatis quia alia iam dicta sunt.

Prima: Sit praesens experientia Sacrae Congregationis Rituum ex peculiaribus indultis hucusque concessis.[1]

Secunda: Versiones diversarum linguarum sint quae Sedes Apostolica proposuerit, quin praeter illas ulla admittatur.

Tertio: Locorum Ordinarii diligenter vigilent, et cum expediat, prohibeant, librorum usus non vere consentientes cum ab ipsa Sancta Sede approbatis.

Quarto: Ut Sedes Apostolica apud quam notitia eorum quae in hac re fiunt specialiter constat, aliquo modo, a Concilio determinando, dirigat ac inspiciat, omnem liturgicam reformationem.

Notae: 1) Existimo has propositiones, si Concilii attentionem nactae fuerint, initio ad experimentum quinque annorum probandas, quibus expletis sine Sanctae Sedis repugnantia, in corpus legum liturgicarum inserantur.

2) Subintelligitur Sanctam Sedem non processisse in confectione elenchi diversarum linguarum, inconsultis episcopis earumdem linguarum, vel Conferentiis episcopalibus, supposito, firme et clare, statuto iuridico ipsarum Conferentiarum vel Coetus episcoporum.

3) et ultimo. Ut autem fructus in fidelibus christianis uberius obtineatur, necesse est, magno cum labore, indefesso opere, patienti amore atque praesenti tempori accommodationis sensu, usui linguae vernaculae addere profundam institutionem catecheticam populi fidelis, necnon ipsius liturgicam eruditionem. Alio modo nihil parum obtinetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ut accuratius fidelium religiosa efformatio promoveatur; ut eorum pietas ex directa et conscia notitia divitiarum quae in sacra Liturgia continentur, animetur; ut mystica actionis liturgicae delectatio augeatur, quas infra referuntur considerationes, qua par est reverentia, Concilio propono, ad art. 24 schematis constitutionis sacrae Liturgiae, quamvis propositionum et emendationum materia fere exhausta dicenda est, non tamen ita, admirabilis et indeficiens Patrum patientia.

Nihil novi dicam, nisi quasdam rationes quae in liturgica actione, et praesertim in pastorali eiusdem efficientia, meo humillimo iudicio, prae oculis quam maxime habendae sunt.

Hae sunt propositiones:

a) Ut in septem sacramentis administrandis, lingua uti possit vernacula, servata tamen formula latina stricte essentiali, v. g. ego te absolvo, ego te baptizo, etc.

b) Ut in celebratione Missae, ea omnia quae iuxta Instructionem Sacrae Congregationis dialogari expedit et partes « didascalicae » vernacula lingua etiam a sacerdote dici possint.

c) Utque in Missis in cantu, tam cum ministris quam sine ministris, lingua vernacula paulatim admittatur, ut populus intelligat quae ab ipso, vel a celebrante, vel a ministris canuntur, cui rei quidem multum iuvabit experientia S. Congrega-

tionis Rituum, ex peculiaribus indultis hucusque concessis. Agimus de facultatibus et de lingua vernacula ad mentem card. Gracias.

d) Ut etiam orationes illae, precesque omnes Ritualis, coram fidelibus recitandae, lingua vernacula dicantur.

14

EXC.MUS P. D. CAROLUS CALEWAERT
Episcopus Gandavensis

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

Hisce diebus plures audivimus sententias circa usum linguae vulgaris, immo, sententias extreme oppositas. Liceat mihi per pauca verba aliquam mediam solutionem circa hanc materiam proponere.[1]

Nostris temporibus magis quam antea necessarium est symbolum *vel signum*[2] externum unitatis, praesertim cum mediis modernis vectationis gentes ex omni tribu et lingua ...[3] tam facile conveniunt etiam ex dissitis regionibus.

Iamvero lingua latina, utpote lingua supranationalis, est praeclarum *signum,*[4] immo actor psychologicus efficax huius unitatis. Ita, v. g., quam profunda impressione religiosa moventur omnes peregrinantes in Lourdes quando, post vespertinam processionem, in qua singuli lingua sua propria canunt laudes Beatae Mariae Virginis, omnes uno ore lingua latina cantant « Credo » et « Salve Regina »! Idem videre erat Romae in anno sancto. Triginta millia peregrinantes praesentes in basilica Sancti Petri, dum exspectabant adventum Summi Pontificis, invitabantur ad recitandum « Pater » et « Ave » et ad concinnendum breve canticum singuli in propria lingua vernacula. Ad finem vero, omnes unanimi voce canebant « Credo » lingua latina.

Ex his qui interfuerunt anno 1960 Missae Pontificali card. Legati in fine conventus internationalis Eucharistici Monacensis, nemo unquam obliviscetur profundissimam impressionem religiosam qua afficiebantur centena millia uno ore canentes modulis gregorianis ordinarium Missae in lingua latina. E contra peregrinantes ignorantes linguam germanicam nihil intellexerunt de *istis Missis in quibus*[5] omnia lingua germanica *proclamabantur et canebantur*[6] dum celebrans omnia submissa voce lingua latina *recitabat.*[7]

Tandem hisce diebus, in sessionibus generalibus Concilii Oecumenici, quam praeclare symbolum unitatis praebet Missa dialogata in qua omnes Patres ex dissitis orbis regionibus congregati eadem lingua latina recitant ordinarium Missae!

Propterea *quando in Liturgia lingua vulgari proclamantur et canuntur... Propterea quando omnia in lingua latina vulgari proclamantur et canuntur... quando... Propterea quando non omnia in liturgica lingua...*[8] quando omnia in *lingua liturgica*[9] lingua vulgari proclamantur et canuntur, post aliquot annos fideles iam non cognoscent vel simpliciores cantus Kyrialis Romani in lingua latina, et omnino alieni erunt in omni Missa celebrata extra propriam patriam et ita, quamvis indirecte et a longe, tamen modo non parvipendendo, ansam praebebitur immoderato nationalismo, quo, sensim sine sensu, trahentur fideles ad constituendas Ecclesias nationales independentes a Roma, et hoc est periculum valde grave quod nostris temporibus imminet unitati christianae.

Demum, ex documentis pontificiis non solum antiquis sed etiam recentioribus patet Ecclesiam Romanam cantum gregorianum agnoscere tamquam suae Liturgiae proprium. Immo vota a commissione liturgica praeparatoria proposita consulunt novam Kyrialis Romani editionem cum cantilenis gregorianis simplicioris moduli pro parvis paroeciis. Iamvero cantus gregorianus non concipitur nisi in lingua latina. Ex altera parte usus idiomatis a populo non intellecti assecutionem finis catechetici quam Liturgia natura sua nata est attingere, de se in magnum periculum adducit et consequenter ipsam Liturgiam in aliqua parte sui offendit, praesertim in partibus directe didacticis et etiam in orationibus et canticis praeprimis a populo recitandis vel cantandis.

Quibus omnibus prae oculis habitis, difficultas componi posse nobis videtur hoc modo:

Quoad sacramentalia largus usus linguae vernaculae concedendus videtur.

Item in illis partibus divini Officii quibus frequens populus participat, v. g. in Vesperis.

Item in administratione sacramentorum Baptismatis, Matrimonii et Unctionis infirmorum, quae habent characterem magis individualem, usus linguae latinae limitari posset ad formam sacramentalem et forsan ad exorcismos.

In celebratione vero eucharistica quae praeprimis est actio communitaria concedatur usus linguae vernaculae in lectionibus, in oratione communi, et etiam in quibusdam canticis de quibus infra.

Ut vero servetur symbolum *seu signum*[10] unitatis et actor psychologicus efficax huius unitatis, usus linguae latinae *omnino servetur* in responsis plebis ad salutationes celebrantis vel diaconi...[11] Item in simplicioribus canticis: Kyrie eleison, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei.

Adhibita debita catechesi et instructione, fideles absque magna diffi-

cultate et addiscere et etiam intelligere possunt, ut patet ex testimonio episcoporum et fidelium etiam ex dissitis regionibus.

Alia, e contra, cantica ex proprio Missae, uti antiphonae ad Introitum, Graduale, Offertorium et Communionem, numquam a populo, lingua latina ignaro, intelligentur nec absque magna difficultate canentur.

Ideo in votis est ut ad Introitum, Graduale, Offertorium et Communionem quod attinet, parentur pro *Missa cantata* schemata faciliora quae cani possent in determinatis circumstantiis etiam in lingua vernacula.

Demum in celebratione singulari et quasi privata servetur usus linguae latinae in omnibus.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] et natione. [4] symbolum. [5] sic dicta « Deutsche Betsingmesse » in qua. [6] proclamantur et canuntur. [7] recitat. [8] deest. [9] liturgia. [10] deest. [11] « Et cum spiritu tuo » - « Kyrie eleison » in oratione communi - « Habemus ad Dominum » - « Dignum et iustum est » etc.

15

EXC.MUS P. D. IACOBUS LE CORDIER
Episcopus tit. Prienensis, aux. Parisiensis

Venerabiles Patres,

Una quaestio et unum testimonium.

1. *Quaestio*:

Sub schematis titulo legitur praevia *Nota*. Utrum schemati inhaereat? Si affirmative, propono ut deleatur. Rationes iam allatae sunt.

2. *Testimonium*: de n. 22 (Adaptatio Liturgiae) et 24 (Lingua liturgica).

Illi textus hominum operariorum exspectationi valde respondent. Sunt inter vos, venerabiles Patres, qui sicut ego ipse pro Christo laborant in immensis civitatibus quae vulgo dicuntur « agglomerationes urbanae ». Hic, praesertim in suburbio, multi sunt operarii, pueri, iuvenes, adulti; plurimi sicut in missionibus sunt pagani vel ut tales vivunt. Non pauci, et hic est dolor noster, sunt quasi postchristiani, quia eorum parentes aut aevi erant fideles.

Attamen sicut fermentum adsunt ardentes et apostolici laici. Christi sunt testes in scholis, fabricis et domibus. Ecclesiam diligunt, pro ea saepe patiuntur, in illam sperant quia, ad verba quae Summus Pontifex

noster Ioannes elegit: Ecclesia est « Mater et Magistra ». Sed cum veniunt ad Missam, sive dominica sive vesperi post pondus diei, idem exspectant. Ecclesia erit Magistra illos docendo et fidem nutriendo (« fides ex auditu ») in ea lingua qua ipsi quotidie Christum annuntiant. Ecclesia erit Mater orando, partim sed publice, in lingua filiorum suorum. Hoc erit operariis signum novum maternae sollicitudinis suae. Dixi.

16

REV.MUS P. IOANNES PROU
Superior gen. Congregationis Gallicae O.S.B.

Em.mi et exc.mi Patres,

Duas tantum animadversiones afferre desidero, cum aliae quas volebam proferre iam optime prolatae sint.

I - *De art. 20 et 21.*

Aptationes secundum locorum necessitates utiles utique esse possunt immo et necessariae.

Sed intendatur oportet, secundum meam humilem sententiam, ne ex maioribus facultatibus, de quibus agitur in art. 21, dissolutio totius ritus romani paulatim eveniat.

Ceterum nihil amplius dicitur de elemento momentoso iuris quod semper viguit et adhuc viget, scilicet de *consuetudinibus* (praeter vel contra legem) quae vim legis post tempus praescriptum obtinere poterant ex iure antiquo et praesenti; quod erat modus « naturalis », ut ita dicam, innovandi secundum rationem et prudentiam, cum requireretur a iure consensus (saltem tacitus) superioris et totius concordis communitatis (cf. can. 25 et 26 C.I.C.). Consuetudo, dummodo induat omnes qualitates a iure requisitas, est « optima legum interpres » (can. 29 C.I.C.) et modus naturalis, id est, is qui veris necessitatibus populorum plane respondeat. Aliter enim, si solummodo ex quibusdam « peritis », nimis, ut ita dicam, « intellectualibus », aptationes promanarent timendum forte esset ne abstractiones et conceptus cuiusdam mentis passim imponerentur fidelibus non egentibus et non petentibus, et hoc in damnum boni communis.

II - *De art. 34,* aliquid mihi videtur animadvertendum:

Praevia experimenta, de quibus in lin. 14, utilia certo certius forent; periculum tamen prae se ferunt introducendi modos agendi a quibus postea recedere quasi impossibile erit, etsi inconvenientes ad usum reperiantur. Ideo huiusmodi praevia experimenta, annuente Sancta Sede,

facienda quidem sunt, sed infra strictissimos limites permittantur oportet, e. g. in una alterave paroecia vel in uno alterove coetu ab episcopo ad hoc specialiter designatis et per determinatum tempus, ut melius dicitur in *art. 22,* lin. 20 et 21, ubi tractatur de missionibus. Dixi.

Textus scripto traditus:

Art. 3, linea 36, sic legatur: « ... titulo *et efficacia* quae eodem gradu nulli alii actioni in Ecclesia factae conveniunt ».

Ratio additionis propositae: In tota constitutione de speciali et prorsus singulari efficacia Liturgiae — quae quidem promanat ex opere operantis Ecclesiae — nullus est sermo. Haec tamen fundamentum est ipsius eminentis dignitatis relate ad alias orationes mere privatas.

Art. 5 sic incipiat: « Sacra Liturgia non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae.

Nam antequam homines... etc. ».

Quae vero sic in art. 5 omittuntur reponantur oportet initio art. 6 ita ut sic incipiat: « Attamen Liturgia in suo centro, quod est divinum Eucharistiae sacrificium, est in vita Ecclesiae culmen ad quod omnia tendere debent, et simul fons a quo omnia procedunt. Labores enim apostolici... etc. » ut in linea 27, 28.

Art. 8, linea 10, loco verbi *amplectatur* ponatur: *in se exhauriat.*

Ratio huius immutationis est quia Liturgia tangit quodammodo totam vitam Ecclesiae quatenus est eius centrum.

Art. 10, linea 14, post verba *cura destinatis* addatur *et a Sancta Sede recognitis* probe instituendi sunt.

Ad art. 20 et 21, *Animadversio*: Aptationes iuxta locorum necessitates utiles utique esse possunt immo et necessariae.

Sed intendatur oportet ne ex maioribus facultatibus de quibus agitur in art. 21 dissolutio totius ritus romani paulatim eveniat.

Nihil amplius dicitur *de consuetudinibus* (praeter vel contra legem) quae vim legis post tempus praescriptum obtinere poterant; quod erat modus « naturalis », ut ita dicam, innovandi secundum rationem et prudentiam, cum requireretur consensus (saltem tacitus) Superioris et totius concordis communitatis (cf. can. 25 et 26 C.I.C.). Consuetudo, dummodo induat omnes qualitates a iure requisitas, est « optima legum interpres » (can. 29 C.I.C.) et modus naturalis, id est is qui veris necessitatibus populorum plane respondeat. Aliter enim, si ex quibusdam solis « peritis », nimis, ut ita dicam, « intellectualibus » aptationes promanant, timendum est ne abstractiones et conceptus mentis cuiusdam passim imponantur fidelibus non egentibus et non petentibus, in damnum boni communis.

Ad art. 34, *Animadversio*: Experimenta, de quibus in linea 14, utilia quandoque forent; periculum tamen prae se ferunt introducendi modos agendi a quibus postea recedere quasi impossibile erit, etsi inconvenientes reperiuntur. Ideo huiusmodi experimenta infra strictissimos limites permittantur oportet.

17

Exc.mus P. D. IESUS ENCISO VIANA
Episcopus Maioricensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Domini,

Ad cap. I liceat pauca notare.[1]

Ad n. 3, lin. 16 et sequentes. Adducuntur verba Matthaei 18-20 ad probandam praesentiam Christi in actionibus liturgicis; et merito quidem. Sed additur: « Ipse est qui loquitur dum verba Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur et explicantur ».

Hoc non videtur verum. Quia, si Christus est qui loquitur dum Scriptura explicatur, tales explicationes infallibiles esse debent, cum infallibilis sit Christus; quod a nemine admittetur. Immo plura minus recta a sacerdotibus in homiliis dicuntur, quae nullo modo possunt Christo attribui.

Igitur, non Christus, sed doctor quidam Ecclesiae est qui verba Scripturae legit et explicat. Verba autem sunt Dei, quatenus *sunt et quatenus* [2] in Sacra Scriptura inveniuntur; et, si praedicationem Christi referant — v. g. parabolas vel sermones Christi —, quatenus olim a Christo prolata sunt et nunc ut talia ab Ecclesia proponuntur. *Nec recursus fiat ad doctrinam de Corpore Mystico et capite eius Christo. Haec enim secundum analogiam dicuntur et proinde tantum sunt valida in iis pro quibus inducta sunt.*[3]

Ad n. 3, lin. 28: Legitur in schemate: « in hoc opere perfectae Dei glorificationis et hominum sanctificationis perficiendo, Christus Ecclesiam *suam,*[4] Sponsam suam dilectissimam, sibi semper consociat ».

Cum manus Dei non sit alligata, et Christus possit extra Ecclesiam Deum glorificare et aliquem hominem sanctificare, melius omitteretur particula « semper », ita ut dicatur simpliciter: « Christus Ecclesiam, Sponsam suam dilectissimam, sibi consociat ».

Ad n. 3 item, lin. 29: ex praecedentibus deducitur definitio quaedam Liturgiae, quae dicitur Iesu Christi « sacerdotalis muneris exercitatio ».

Hoc verum est si agatur de sacramentis, de sacrificio eucharistico et de laudibus Deo reddendis, non vero de aliis actibus liturgicis, v. g. de lectionibus et homilia.

In schemate haec verba proponuntur inter virgulas, et citatur Encyclica *Mediator Dei.* Sed notandum est verba Pii XII satis limitari ex contextu. Ait enim: « pro rerum adiunctis christianorumque necessitatibus cultus instruitur, evolvitur novisque ritibus, caeremoniis ac for-

mulis ditatur; idque ea semper ratione " ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus (nos) quantumcumque ... profecerimus nobis ipsis innotescamus (nos iterum), et ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus: dignior enim sequetur affectus, quem ferventior praecedit affectus ". Itaque animus satius aptiusque ad Deum erigitur; ac Iesu Christi sacerdotium per omnem saeculorum decursum nullo non tempore viget, cum sacra liturgia nihil aliud sit, nisi huius sacerdotalis muneris exercitatio ». Ubi clare apparet exercitationem Sacerdotii Christi constituere velut apicem totius Liturgiae ad quam exercitationem recipiendam disponimur per quosdam ritus, caeremonias et formulas.

Censeo nos non debere statuere principium nimis absolutum et quod veritatem excedat ne postea teneamur admittere aliquas assertiones consequentes quae merae opiniones sunt.

Ad n. 5 et 6: non clare distinguitur inter Liturgiam et Eucharistiam. De Liturgia in genere affirmatur quod deinde de sola Eucharistia probatur.

Ad n. 19: enumerantur quae ex Sacra Scriptura in Liturgia desumuntur. Mirum est non citari Psalmi, qui tamen fere totam Liturgiam pervadunt.

Ad n. 22, lin. 32: Dicitur: « ... preces quae a sacerdote, in persona Christi coetui praeeunte, ad Deum diriguntur, ... etc. ».

Expressio « *in persona Christi* »[4] aequivocationi obnoxia est. Videtur enim sacerdos dicere preces in persona Christi, quod non est verum. Sacerdos enim dicit preces in nomine Ecclesiae prout a Christo distincta, ideoque in fine orationum dicit « per Dominum nostrum Iesum Christum ». In persona autem Christi loquitur in consecratione eucharistica. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

18

EXC.MUS P. D. HENRICUS RAU
Episcopus Maris Platensis

Venerabiles Patres,

Ut apparet, totum caput hoc concentrari videtur in famosissimo n. 24. Vellem aliquo sensu esse vox Americae Latinae. Liceat ergo mihi aliqua addere, si non nova, saltem novo accentu.[1]

Et primo quidem credo neminem posse dubitare hic non agi de quaestione dogmatica. Nullum enim principium speculativum attingitur, ullius ordinis.

Agitur quaestio omnino pastoralis, et quidem, *ut credo, quaestio maximi momenti, et dico* [2] nostro tempore. Proinde quaestio est iudicanda sub luce principiorum pastoralium, habita prae oculis salute animarum, et quidem, iterum dico, nostro tempore.

Praxis pastoralis nostri temporis postulat, immo urgenter exigit profundam renovationem et reformationem relate ad linguam liturgicam. Lingua, enim, est vehiculum vel signum illius actionis sacramentalis in qua Ecclesia munus sacerdotale Christi exercet. Ad hanc renovationem promovendam confert *et multum iam contulit* [3] « motus liturgicus », qui iam non potest dici res aliquorum doctorum vel pastorum, sed negotium totius Ecclesiae, ducibus, aliquo modo, ipsis Summis Pontificibus, inter quos Pius XII, affirmavit esse « veluti signum providentialium dispositionum Dei super nostra aetate, *et veluti* [4] transitum Spiritus Sancti in sua Ecclesia ». Et si respiciamus indolem socialem nostrae aetatis, motus liturgicus est nota characteristica propria quae perfecte distinguit huius temporis universam rationem religiose sentiendi et agendi. Haec indoles nostri temporis coincidit cum proposito fundamentali motus liturgici: *participare,* [5] participare in vita sociali, *sociali.* [6]

Motus liturgicus *etenim* [7] intendit promovere hanc participationem totius populi baptizati, plenam, consciam, actuosam, communitariam, *iucundam et hilarem,* [8] dicerem vere paschalem, in celebratione Mysterii Christi. Populus, Deo gratias, renuit mutus manere in ecclesia Dei. *Populus modernus* [9] vult videre, vult audire, vult scire quid fiat in altari. Vult intelligere etiam verba et gestus sacros.

Nos pastores, quibus competit Liturgiam moderari, non possumus indifferenter contemplari hunc saecularem transitum Spiritus Sancti in sua Ecclesia. Si nullum principium dogmaticum opponitur, debemus cedere huic desiderio populi christiani.

Secundo: Fideles omnino ignorant linguam latinam, etiam in regionibus latinis. Crescit in diem difficultas etiam pro clero. *Uti dictum est,* [10] in scholis publicis lingua latina non sufficienter docetur, *nec pro seminaristis.* [11] Nec ulla spes adest res in futurum melius iri. Quomodo participare possunt fideles conscie et pie si verba ipsa sacra non *intelligunt?* [12]

Tertio: Verum est non omnia quae dicuntur et aguntur in Liturgia, praesertim in *Sancta* [13] Missa, destinata esse populo. Sed preces ipsae, quae a sacerdote in persona Christi ... [14] ad Deum diriguntur, nomine totius Ecclesiae, id est, totius etiam plebis sanctae et omnium circumstantium, dicuntur. Fideles, vi sacerdotii regalis, in Baptismate radicati,

ius habent et officium conscie et active participandi. Quomodo *participare possunt si verba non* [15] intelligunt?

Quarto: Tota Liturgia est in ratione signi. Et quidem essentialiter. *Non agitur de devotione personali.*[16] Non solum verba, sed et actiones significant res divinas invisibiles, nempe, in hoc casu, mysterium Christi sacramentaliter praesens, *in Missa nempe.*[17] Incongruum autem est signa, *signa* [18] per quae significamus res absconditas, obscuriora *fortasse* [19] esse rebus ipsis significatis. Deficeret, ex parte *saltem,*[20] ratio ipsa signi. Fatendum est efficacitatem « ex opere operato » non dependere essentialiter ex intellectione verborum. *Certum est.*[21] Sed, quanto naturae rationali conformius, ut qui assistunt ritui, ritum intelligant!

Quinto: Ecclesiae, qua tali, nulla propria est cultura, ut affirmavit Pius XII. Sed omnes valores culturales in se assumit ut eos sanctificet. Lingua, vero, est signum et vehiculum potissimum culturae nationalis. Debet quidem admitti, ut opinor, linguam latinam esse, propter rationes historicas, optimum vehiculum conservandi et posteris tradendi illum conceptuum formalium inexhauribilem mundum, quibus constituitur thesaurus perennis philosophicus, theologicus, patristicus, iuridicus, immo, et litterarius et musicalis culturae graeco-latinae. Est, praeterea, *lingua latina, et non debet relinqui,*[22] instrumentum incomparabile definiendi cum praecisione, principia immutabilia fidei et rationis. Sed, hodierna die, cum iam non sit lingua viva, non est medium populare ad instituendum dialogum vivum inter Deum et homines, *in quo consistit religio,*[23] et inter ministros et plebem nescientem hanc linguam. Nullus commentarius potest sufficienter substituere intimitatem et spontaneitatem illius dialogi. In Liturgia Deus loquitur et populus respondet. Oportet ergo ut populus intelligat sensum verborum.

Sexto: Sacrosanctum hoc Concilium, ut clarum est, nihil substantialiter novum sibi proponit proclamare. Vult quidem ut aeternum illud Christi Mysterium, in Deo absconditum, *novo fulgore, novo modo,* ingenio nostrae aetatis aptato, praesens fiat, in Liturgia Verbi et in Liturgia Eucharistica, ita ut coaevi nostri gaudium de veritate evangelica facilius possint percipere. Quomodo si Ecclesia eos alloquitur lingua ignota? Etiam, in Liturgia, Ecclesia debet loqui lingua viva populi.

Septimo: Concilium, insuper, sibi proponit quidquid ad unionem fratrum separatorum conferre potest, fovere. Medium, non inter cuncta minimum, erit, ad finem hunc optatissimum assequendum, instaurare usum linguae vernaculae in Liturgia, praesertim in celebratione Eucharistiae, quae iuxta mentem Divi Thomae, est, per antonomasiam, signum unitatis Ecclesiae. « *Celebratio Missae, non lingua Missae* », *dicit S. Tho-*

mas.[24] Fideles simus fidei Ecclesiae Romanae *usque ad mortem,*[25] potius quam linguae latinae.

Octavo: Tandem, ut bene iam est demonstratum, in hac ipsa aula conciliari, neque ex historia validum potest afferri argumentum contra usum linguae vulgaris in Liturgia.

Possumus igitur concludere: in hac re, sicut in aliis multis: theologia pastoralis est clavis totius Liturgiae.

Pro n. 24, sequentem propono formulam:

« Cum vulgati sermonis usurpatio valde utilis, immo hodie moraliter necessaria existat, ad hoc ut populus intelligat textus et actiones liturgicas et proinde celebrationi mysteriorum intersit participatione plena, conscia, actuosa, communitaria et iucunda, amplior omnino detur linguae vernaculae locus, in tota quidem Liturgia, praesertim vero in sacrosancto Eucharistiae mysterio, non solum in Liturgia verbi, sed quaedam etiam in Liturgia eucharistica proprie tali. Sit singulis Conferentiis episcopalibus usum linguae vernaculae in Liturgia statuere, actis a Sancta Sede recognitis. In hac re, si casus ferat, Conferentiae episcopales possunt consilium habere cum episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quamvis clarissimi Patres iam, ante me, de omnibus fere articulis huius schematis, et praesertim de duobus numeris ad linguam liturgicam spectantibus, nempe ad n. 24 et 41, abunde et satis bene dixerint, liceat tamen mihi de hac celeberrima iam quaestione brevia verba facere. [2] maximi, ut credo, momenti. [3] vel plurimum. [4] velut. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] et iucundam seu hilarem. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] intelligant. [13] deest. [14] — coetui praeeunte —. [15] si nec verba. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] deest. [25] deest.

19

EXC.MUS P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA
Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Numero ad numerum quasdam animadversiones proponam in cap. I.[1]

Prima: Desideratur, ni fallor, clara et accurata notio sacrae Liturgiae. Inducimur enim de re liturgica loquentes quin ...[2] statim ab initio aperte dicatur quid sit Liturgia, quaeque qualisve vera ipsius natura.

Omnium quidem animis quaedam inest Liturgiae idea plus minusve

clara, omnesque, cum de Liturgia loqui et dissere sentiunt, aliquid, saltem in confuso, intelligere conantur. Accuratam vero Liturgiae notionem quot fidelium immo et *fortasse* [3] clericorum certo habebunt? At etiam si nosmetipsi explicare impraesentiarum, quasi ex inopinato, deberemus quid proprie Liturgiae nomine veniat, fortasse nec nos ipsi, *mihi indulgite,*[4] concordes vel in notione, dato casu, ex integro essemus.

Neque post lectionem paragraphi « De sacrae Liturgiae natura » clariorem quis habebit notitiam. Nam praeterquam quod definitio proprie dicta in ipsa non datur, schema, hac in parte, magna, ut puto, laborat ambiguitate. Quandoque enim vox Liturgia sumitur globaliter, de toto processu: de Eucharistia, de sacramentis, de praedicatione, de lectionibus sacris, de laudibus Deo Patri persolutis, etc. *etc.*;[5] quandoque vero de una aliave processus cultualis parte; *hic* [6] de immutabili elemento divinitus instituto, et *ibi* [7] de ritibus, caeremoniis et rubricis. Usurpatur autem sine addito, ac si univoce de omnibus et singulis praedicari possit, cum reapse non univocum sed analogum quid esse videatur.

Desideratur ergo, ut initio dixi, clara et accurata notio Liturgiae, quam aliunde haud difficile aestimamus omnibus proponere haustam ex iis quae in Enc. *Mediator Dei* pulcherrime dicuntur...[8]

Secunda: In lin. 16 deleatur phrasis finalis: « ex quo Ecclesia nascitur... *etc.*[9] » ne *praeiudicetur* [10] solutio quaestionis adhuc agitatae de « nativitate » Ecclesiae. Eadem ratione tollatur etiam e lin. 4 n. 2 phrasis: « quo Ecclesia mundo apparuit ».

Tertia: In n. 2: duo solummodo notanda: *a*) ultima periodus « numquam posthac intermisit Ecclesia, etc. etc., usque in verba: in laudem gloriae eius », quia negative construitur, phrasis nimis absoluta apparet. Videtur enim significare in conventibus Ecclesiae semper et ubique omnia illa peragi quae ibi indicantur. Nescio utrum hoc possit historice sustineri. *b*) Textus « in omnibus Scripturis quae de ipso erant » trahitur ad causam accommodatione nimis longe petita. Expungatur ergo et eius loco dicatur simpliciter « legendo sacras Scripturas », quin adducatur textus *biblicus.*[11]

Omitto notulam in n. 3 quia iam de ipso brevibus minutis adhuc locuti sunt.[12]

In quinta animadversione: in n. 5: non video qua ratione dici possit Liturgiam esse in suo centro, quod est divinum Eucharistiae sacrificium, culmen ad quod *omnia* tendere *debent,*[13] et simul fontem a quo *omnia* procedant. Quae sunt illa « omnia » sic, absolute et sine addito dicta? Si fons dicitur a quo omnia procedunt, nihil est quod ab ipso non procedat. At tunc, quomodo in sequenti paragrapho dicitur: « Nam antequam homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem

et conversionem vocentur »? Fides *enim* [14] et conversio, quae certe aliquid sunt, *et* [15] a Liturgia, tamquam a fonte, non procedunt, cum haberi debeant, antequam homines ad illam accedere possint...[16]

Sexta: In n. 6: Duo *etiam* [17] notanda: *a*) A prima linea dicitur: « Labores autem apostolici ad id tendunt, ut qui fidem receperunt et poenitentiam egerunt filii Dei fiant per Baptismum... ». Hoc utique valet de adultis. At de infantibus? Fortasse deberet aliquo modo *hoc* indicari...[18] *b*) In lin. 35 legitur: « Ex Liturgia ergo ... gratia nobis donatur ». Quae et qualis gratia? Verum enim non est quamlibet gratiam a Liturgia derivari...[19]

In n. 11: in lin. 15 *dicitur*:[20] « *Disciplina* [21] de sacra Liturgia in seminariis et facultatibus theologicis inter principales est habenda »...[22] Ne quid nimis aliquibus videatur haec disciplinae liturgicae inter principales enumeratio, notare velim sensum vocis in contextu. Apprime explicatur in notula 33. Principalis ergo dicitur non quia et quatenus aequiparetur v. g. Sacrae Scripturae vel theologiae dogmaticae, quae aliunde fundamenta sunt disciplinae liturgicae tradendae, sed quia « in ordinatione programmatum non amplius inter auxiliares, sed inter principales computari debet »...[23]

Nona animadversio: *De mente biblica in instauratione liturgica inculcanda.*

Magni momenti mihi videtur memorare necessitatem et urgentiam textus biblicos accurate seligendi, tam pro lectionibus quam pro homiliis, in Missali et in Breviario, cum, nobis omnibus, ni fallor, consentientibus, nonnulli hodie textus sint minus ad amussim electi. Proponerem ergo ut illic ultimae lineae n. 19 hoc fere modo redigerentur: « In procurando igitur sacrae Liturgiae instaurationem, progressum et aptationem, textus biblici accurate seligantur oportet, quo facilius perquiratur et efficacius promoveatur ille suavis et vivus S. Scripturae affectus, *etc*...[24] ».

In n. 21 tangitur unum e duobus vel tribus problematibus inter Patres Conciliares maxime agitatis: « De competentia Conferentiarum episcopalium nationalium »: utrum nempe illarum sit *statuere,* an solummodo *proponere*; sintne novationes et aptationes, « actis a Sancta Sede recognitis » (291) introducendae, an de ipsius Sanctae Sedis consensu? Et alius quidem sic, alius vero sic. At fortasse quaestio de verbis, non de re, moveatur. Quidquid vero sit, hoc impraesentiarum mihi occurrit suggerendum: Conferentia episcopalis nationalis est figura quaedam iuridica nondum in Codice sancita; institutum iuridicum non definitum, sed definiendum; persona iuridica non constituta, sed constituenda, nondum creata, sed creanda. Auspicari ergo licet problema « de Conferentiis episcopalibus nationalibus » suscitatum iri in schemate com-

missionis « De episcopis et dioecesium regimine », ibique quaestionem de illarum constitutione, de competentia, de iuribus et officiis agitatum iri. Nunc autem, in praesenti nostro schemate tangitur casus particularis de re liturgica, magni quidem momenti, sed particularis, unus e pluribus sine dubio possibilibus. Inopportunum ergo et periculosum videtur, *mihi ignoscite,*[25] concretum quid et definitivum explicite in casu determinare, ne praestabilire videamur solutionem iuridicam suo loco dandam. Melius igitur erit quaestionem differre et, ne via occludatur discussioni et approbationi schematis *de sacra Liturgia,* formulam generalem et iuridice sufficientem invenire eamque schemati nostro inserere. Quod quidem fortasse possit obtineri his vel similibus verbis: « De propria ipsarum *competentia* » *vel etiam* « *ad* [26] normam iuris », utique condendi.

Undecima: In n. 24 sermo fit de usu linguae latinae in Liturgia occidentali. Multa eaque optima in Aula conciliari hac de re dicta sunt, *nec finis praevidetur.*[27] Unum tantum adderem: duae in n. 24 distingui possunt partes: prima ab initio usque ad lin. 15; alia a lin. 15 ad finem. In hac *secunda parte* [28] iterum proponitur quaestio de competentia Conferentiae episcopalis eique possunt applicari quae in praecedentibus diximus; in illa normae stabiliuntur generales quae, meo quidem iudicio, prudentes sunt, quaeque utpote generales, ab omnibus approbari possunt.

Stabilitur enim ut lingua latina in Liturgia occidentali servetur et ut, ob rationes pastorales, « in non paucis ritibus » amplior vulgato sermoni tribuatur locus. Cuius rei quae et qualis esse potest difficultas? Datur lingua diplomatica; est lingua commercialis; plurimi homines pro una communi lingua concreanda laborant; nobis est, Fratres dilectissimi, communis lingua liturgica, et eam, proh dolor!, discutimus!

Praeses: Satis!

Orator: Tot tantaque sunt huius unitatis commoda ...

Praeses: Tempus transgressus es!

Orator: ... ut si hanc linguam communem non haberemus, eam procul...[29] Unde, quia rationes pastorales dantur et in aliquibus sermo vulgatus utilis fidelibus esse potest...

Praeses: Satis! Tempus transgressisti loquendi. Quia iam venit meridies, rogo instanter oratores adhuc adstantes ut brevissime loquantur nec quidquam repetant quod iam dictum est.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] non obstante titulo paragraphi. [3] deest. [4] indulgite mihi. [5] deest. [6] ibi. [7] alibi. [8] Et fideles constitutionem nostram legent et Concilium docet et docere debet. [9] deest. [10] praeoccupetur. [11] deest. [12] 4. In n. 3 a lin. 20 legitur: « Ipse est qui lo-

quitur... in Cruce obtulit ». Asseritur ergo praesentia Christi in Liturgia. At eodem modo et univoce dum verba leguntur, dum laudes Deo persolvuntur etc.? Nimis indulgenter dicitur Christum praesentem esse immo et loqui dum verba Scripturae « explicantur ». Deleatur ergo hoc ultimum. [13] debeant. [14] ergo. [15] deest. [16] Aliter itaque paragraphus exarari debet, v. g. « Culmen ad quod tota actio ecclesialis tendere debet et simul fons a quo actio ipsa vim obtinet ». [17] deest. [18] simplici inciso « cum de adultis agitur ». [19] 7. in n. 8: In lin. 11 legitur: « Etsi enim christianus quandoque ad orandum in communi vocatur, quandoque tamen invitatur ad intrandum cubiculum suum... ». Deleatur illud « quandoque tamen » et eius loco dicatur « invitatur etiam ». [20] legitur. [21] « Scientia. [22] Duo notanda: *a*) Nescio quo iure dicatur « scientia de sacra Liturgia ». Fortasse melius dicendum: « Disciplina de sacra Liturgia in seminariis et facultatibus theologicis inter principales est habenda »; *b*) [23](cf. Ordinationes S. C. de Seminariis et Univers., 12 iunii 1931: *A.A.S.* 23 [1931], pag. 271). [24] quem... traditio ». [25] ignoscite mihi. [26] competentia ad. [27] deest. [28] deest. [29] dubio creare deberemus. Illam servemus; mirandum in modum nobismetipsis spectaculum praebemus et Sacro una participando et omnium nostrum Matri salutationem angelicam quotidie univoce recitando. Attamen quia rationes dantur pastorales et in aliquibus sermo vulgatus utilis fidelibus esse potest, eritque certe, nulla mihi videtur esse difficultas ut, determinatis in adiunctis certisque sub condicionibus, amplior locus ipsi in Liturgia tribuatur. Quae omnia — quantum, ubi, quomodo — in capitibus sequentibus (de Missa, de Sacramentis, le Officio Divino) opportune disceptabitur.

20

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Ad removendam ambiguitatem in expressionibus, quae claritatem et praecisionem habere debent, praeter correctiones iam propositas ab aliis em.mis ac exc.mis Patribus, mihi videtur *adhuc aliquas modificationes faciendas esse.*[1]

1. In pag. 66, n. 22, agitur de studiis quoad aptationes faciendas a Conferentiis episcopalibus et commissionibus liturgicis et postea dicitur: « Aptationes quae utiles vel necessariae existimantur, S. Sedi proponantur ». Etsi subintelligitur quod proponantur aptationes a Conferentiis episcopalibus, tamen clare dicendum est etiam in textu. Igitur textus sic annuntiari oportet: « Aptationes quae utiles vel necessariae existimantur S. Sedi a Conferentia episcopali proponantur ».

2. In eadem pagina, in initio sectionis C, dicitur: « Etsi Liturgia est praecipue adoratio divinae Maiestatis necnon donum gratiae Dei... ». Verbum « donum » videtur non esse felix expressio, quia gratia est

quidem donum Dei, Liturgia vera non est donum gratiae Dei, sed fons gratiae Dei dici potest, si Liturgia intelligitur de signis visibilibus sacramentorum, ut in textu ita intelligitur. Igitur verbum « donum » mutari debet in verbum *forte* [2] « fons ».

3. Cum in decreto *de sacra Liturgia* utilitas necnon necessitas aptationis Liturgiae ad ingenium et traditiones populorum admittatur, sed et difficultas id agendi recognoscatur, peropportunum igitur videtur ut haec sacrosancta Synodus adfirmet clerum in missionibus rite instituendum esse quoad aptationes Liturgiae ita ut clerus bene cognoscat spiritum et normas aptationis. Nam aptatio Liturgiae si bene applicatur, uberes fructus pro labore missionis obtinentur, si vero male applicatur, consequentiae malae exorientur. *Aptatio* [3] haec dependet in iudicio ab episcopis ac a S. Sede, sed in executione a sacerdotibus. Igitur clerus in missionibus rite instituendus est tum ad spiritum et normas aptationis Liturgiae, cum ad sensum traditionis propriae nationis.

Propono igitur ut in n. 11, pag. 163 huius decreti *de sacra Liturgia,* post verba « tum pastorali et iuridico tradenda », addantur ea quae sequuntur: « in missionibus insuper instituantur seminaristae ad rite intelligendum spiritum aptationis Liturgiae ad traditionem proprii populi ».

4. Pro Ecclesia in Sinis, indultum duplicibus vicibus a S. Officio concessum fuit, ut in partibus mobilibus Missae lingua sinica adhiberi posset. Prima concessio facta fuit *primis missionariis Societatis Iesu* [4] in saeculo XVII, sed propter quaestiones de ritibus sinensibus paganis vehementer agitatas indultum S. Sedis *infructuosum* [5] fuit. Nunc abhinc paucis annis, novum indultum iterum nobis concessum est, cuius autem exsecutio dependet a praeparatione Missalis. Quae praeparatio propter vicissitudines belli ac persecutionum communistarum nondum completa est. Spero fore ut id quod concessum fuit per indultum, concedatur quidem per legem promulgatam in hac *Synodo sancta.*[6]

Quaestio rituum sinensium, quae vehementer ultra modum inter missionarios agitata fuit saeculis XVI et XVII, obstaculum maximum conversioni sinensium interposuit. Propterea historia nos docet quod aptatio in n. 20 proposita non parvipendenda est. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quod adhuc aliquae modificationes faciendae sunt. [2] deest. [3] Applicatio. [4] deest. [5] frustratum. [6] sancta Synodo.

21

EXC.MUS P. D. CLEMENS IOSEPH ISNARD
Episcopus Neo-Friburgensis

Em.mi Patres, exc.mi ac rev.mi Domini,

...[1] Propositio mea non est tantum mea; subscripta est a 28 archiepiscopis et episcopis Brasiliae.

Est circa art. 21, pag. 166. Et propositio sonat:[2] emendetur *hic articulus*[3] hoc modo: verba finalia, *scl.*[4] « actis a S. Sede recognitis (cf. can. 291) », delenda sunt.

Ratio: finis huius articuli est concedere episcopis aliquantulam potestatem circa divini cultus ordinationem. Est derogatio partialis can. 1257 quod statuit: « Unius Sedis Apostolicae est liturgiam ordinare ». Nam Concilia adunantur ad novas leges condendas, non ut omnia immutabiliter conserventur. Totum sane fit cum approbatione Romani Pontificis.

Limites huius facultatis clare et praecise in corpore articuli statuuntur, nempe « intacta vi editionis typicae librorum liturgicorum a S. Sede editorum vel edendorum ». Sunt limites, *et quidem*[5] stricti. Episcopi *ergo*[6] nihil poterunt agere contra unitatem ritus romani.

Sed si acta episcoporum a S. Sede recognosci debeant ad normam can. 291, tunc prorsus nulla facultas conceditur, nec minima, quia totum reducitur ad ius proponendi, quod etiam laicis competit.

Habeatur fiducia in sensu catholico et in prudentia episcoporum!

Et parcite mihi si adhuc verbum profero de articulo 24, i. e. de usu linguae vulgaris. Est argumentum simplex.

Omnis catechesis in lingua tradi debet captui populi accommodata. Ante-missa vocatur Missa catechumenorum, proinde est vera et traditionalis catechesis constans orationibus, canticis et lectionibus. Ergo ante-missa celebrari debet in lingua populo adstanti cognita, quod plerique erit lingua vulgaris.

Nolumus aliis imponere usum linguae vulgaris in Missa. Qui voluerit linguam latinam semper et in omnibus servare, etiam *forsitan*[7] contra logicam et rationes pastorales, eam servare poterit.

Desideramus, uti pastores animarum, consulere bono spirituali nostrarum ovium. Enixe rogamus ut nobis viam apertam relinquant.

In textu scripto tradito: [1] Antequam ius loquendi mihi perveniret, iam seniores fere omnia de re tractanda dixerunt. Attamen quia « sic » et « non », « pro »

et « contra » locuti sunt, liceat mihi verbum addere. [2] art. 21, pag. 166. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest.

Animadversiones adiunctae:

Art. 21, cap. I. Placet iuxta modum, scil. ut demantur verba finalia « actis a S. Sede recognitis » (cf. can. 291).

Ratio: Necessarium est episcopis, maxime in sic dictis Conferentiis adunatis, facultatem aliquam circa divini cultus ordinationem conferre. Haec facultas in corpore articuli iam praecise definita est, nempe « intacta vi editionis typicae librorum liturgicorum a S. Sede editorum aut edendorum ». Ergo non apparet cur acta episcoporum adhuc S. Sedi praevie praesentari debeantur ad recognitionem.

Accedunt: [*subsignati*] Carolus, arch. Olindensis et Recifensis; Iosephus Thurler, ep. tit. Capitoliensis; Carlos, eppus Palmensis; Vicente, bispo de Crato; Benedictus Zorzi, ep. Caxiensis; Ioseph, ep. Penedensis; Ioseph, ep. Stantianus; Iosephus Vicentius Távora; Adelmus, arch. coadiutor Maceiensis; Avelar, arch. Teresianus; Henricus ofm, arch. Botucatú; Franciscus, ep. Afogadensis; Walfridus, ep. (tit.) Larandensis; Aloysius Philipus Urugaianensis; Expeditus Oliveira, ep. Patosensis; Iosephus Maurus, ep. Iguatuvinus; Epaminondos, ep. Ruibarbosensis; Mons. Iosephus Nicomedes Grossi, ep. el. Speleopolitanus a Bono Iesu; Walmor Battù Wichrowski, VT Felbes; Alfonsus Maria Ungarelli, VT Azura; Aniger F. M. Melillo, ep. Piracicabensis; Emmanuel, ep. Campinensis Grandis; Eliseus Maria, ep. tit. Zamensis maior; Manuel Tavares de Araújo, bispo de Caicó; Gentilis, ep. Mossorensis; David, ep. S. Ioannis in Brasilia; Iosephus Medeiros Leite, ep. Oliveirensis; José Eugênio Correa, ep. Caratingenis in Brasilia; José, bispo de Garanhuns; João Baptista, arch. Victoriensis Sp. S.

22

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO
Episcopus Pisaurensis

Haec mihi proponenda videntur vel animadvertenda.

Facultates quae in re liturgica in schematibus tribuuntur Conferentiis regionalibus, tribuendae videntur Conferentiis nationalibus tantum, ad vitandas nimias et inutiles varietates.

Ad linguam latinam quod attinet, mihi videtur quod non solum eadem pergat esse lingua liturgica sed esse omnino servanda in Canone Missae et in sacramentis administrandis ad formam sacramentalem quod spectat.

Dixi, quia ad reliqua dicenda renuntio cum excedant fines articuli propositi.

Praeses: Excusate, nondum locutus est exc.mus Marelim, ep. Caixiensis; sed mane ut primus loquetur. Nunc clauditur sessio; reponitur Sacra Scriptura.

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis habebitur crastina, sabbato, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS VIII

27 octobris 1962

CONGREGATIO GENERALIS VIII

27 octobris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Hodiernae congregationi generali praeest em.mus ac rev.mus D. Ernestus card. Ruffini, arch. Panormitanus.

Orationem habebunt ex ordine: exc.mi Marcellinus Olaechea, arch. Valentinus in Hispania, Aloisius Gonzaga da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Maragnano, Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis in India, Secundus Garcia de Sierra, arch. tit. Parianus in Hispania, Franciscus Marty, ep. Rhemensis in Gallia, Cyrillus Zohrabian, ep. tit. Acilisenus; rev. Anicetus Fernandez, superior generalis O. P.; exc.mi Henricus Jenny, ep. aux. Cameracensis in Gallia, Marcus McGrath, ep. tit. Caeciritanus, Ioannes Przyklenk, ep. Ianuariensis, Zacharias Rolim de Moura, ep. Cajazeirasensis in Brasilia, Georgius Kemerer, ep. Posadensis in Argentina, Albertus Devoto, ep. Goyanensis in Argentina, Petrus Kobayashi, ep. Sendaiensis in Iaponia, Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis in Senegalia, Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania, Ioseph Melas, ep. Nuorensis in Italia, Conradus De Vito, ep. Lucknovensis in India, Ioseph Schoiswohl, ep. Secoviensis in Austria, Carolus Weber, ep. Iceuvensis in Sinis, Carolus Saboia Bandeira, ep. Palmensis in Brasilia, Thomas Muldoon, ep. tit. Fesseitanus, Ioseph Carraro, ep. Veronensis in Italia, Antonius Fustella, ep. Tudertinus in Italia, Paulus Gouyon, ep. Baionensis in Gallia, Carolus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus in Italia, Gerardus Vielmo, ep. tit. Ariassensis, Gerardus de Morais Penido, arch. Iudiciforensis in Brasilia, Ansgarius Sevrin, ep. tit. Mossinensis, Franciscus Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis in Brasilia, Ioseph López Ortiz, ep. Tudensis-Vicensis in Hispania, Antonius Santin, ep. Tergestinus in Italia, Franciscus Charrière, ep. Lausannensis in Helvetia, Leo De Kesel, ep. tit. Synaïtanus, aux. ep. Gandavensis in Belgio, Ioseph Battaglia, ep. Faventinus in Italia, Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis, Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia, Henricus Nico-

demo, arch. Barensis in Italia, Otto Spülbeck, ep. Misnensis in Germania.

Praeses card. RUFFINI:

Venerabiles Fratres, singuli habent quidem plenam loquendi libertatem, sed velim omnes enixe rogare, ne diutius quam oporteat sessio nostra protrahatur, ut a repetitionibus omnino se abstineant. Si quis vero quae iam alii Patres dixerunt, existimaverit esse sua auctoritate confirmanda, sententiam suam paucissimis verbis constringat. [*Plausus*].

Sunt quasi quadraginta Patres, qui petierunt facultatem loquendi.

1

EXC.MUS P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA
Archiepiscopus Valentinus

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Parcite *mihi* [1] si argumento iam a Patribus tractato, praeeunte ni fallor em.mo Sancti Officii secretario, ad recalcandum breviter insisto. Schema, corde fraterno *et iuste* [2] plaudens, illud tamen, ut aliqui auspicarunt, strictiori examini theologorum commissionis liturgicae subiiciendum credo; quaedam enim *maiori claritati et exactitudini* [3] vertenda sunt, v. g. — praeter iam a ceteris notata — haec advertere humiliter audeo.

In prooemio, n. 10, pag. 157, ubi asseritur per Liturgiam opus redemptionis *exerceri,* melius erit dicere « opus redemptionis *applicari* ». Quia, primum, formula refertur praecipue ad sacrificium Eucharistiae, per quod Concilium Tridentinum in capite I sessionis XXII asserit *applicari* virtus sacrificii Crucis. Notum enim est redemptionem peractam et consummatam fuisse in sacrificio Crucis. Sacrificium vero altaris et sacramenta non peragunt, sed applicant tantum. Iamvero verbum « exercere », in prooemio adhibitum, sumi potest pro applicatione, sed insuper pro exsecutione. Unde aequivocum videtur. Qua de causa, claritatis gratia, postulo ut in melius mutetur et verbum « applicari » adhibeatur.

Secundum, *in eodem prooemio,* ubi asseritur « Liturgia Ecclesiam cotidie *interne* aedificat " in templum sanctum in Domino..., in habitaculum Dei, in Spiritu " (*Eph.* 2, 21-22), usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (*Eph.* 4, 13) ».

Operteret dicere: « Liturgia Ecclesiam cotidie aedificat in templum sanctum in Domino, in habitaculum Dei in Spiritu, usque ad mensuram

aetatis plenitudinis Christi », exclusis verbo « interne » et forte citationibus Epistolae ad Ephesios.

1. Quia Ecclesia interne aedificatur in templum sanctum per gratiam et caritatem, non per Liturgiam, quae medium externum et sociale communicationis horum donorum tantum est.

2. Quia citationes S. Pauli ad Liturgiam praecise non referuntur.

Formula vero, prout castigata proponitur, exactior mihi videtur.

In capite I, paragr. I, de sacrae Liturgiae natura et momento, ad n. 3, pag. 160, advertendum censeo: Hic numerus loquitur de *praesentia Christi* in actionibus liturgicis *unius alteriusve generis.*

Perspicuum tamen est praesentia Christi non esse identica in praedictis actionibus. Nec proinde virtus quae ex praesentia derivatur.

Quapropter proponerem ut n. 3 remaneret sic: « Ad tantum vero opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest in actionibus liturgicis. Adest ut magister, ipse qui misit Apostolos ut docerent (*Mt.* 28, 19-20), asserendo Ipsum audire qui eos audissent. Adest ut primus et capitalis orans, ipse qui caput est totius Ecclesiae orantis. Adest ut potestatem excellentiae in sacramentis habens, ipse a quo efficacitatem obiectivam sacramenta accipiunt (*Summ. Theol.* III, 64). Adest insuper ut victima et sacerdos, ipse qui cotidie semetipsum offert Deo Patri in altari, sacerdotum ministerio... » (Conc. Trid. sess. XXII, c. 2; Denz. 940). Cetera ut in schemate.

In par. II huius capitis, pag. 162: « de liturgica institutione et de actuosa participatione prosequenda », dicerem:

Primum: ut pulchra et utilis doctrina « de actuosa participatione prosequenda » in hac paragrapho proposita roboretur, nonnulla addere oportet circa fundamentum sacramentale huius participationis. Sumerem ergo verba *tam* [4] S. Thomae *quam* [5] Encyclicae *Mediator Dei,* ubi dicitur: « Christiani vero omnes baptismatis lavacro, generali titulo in Mystico Corpore membra efficiuntur Christi sacerdotis, et charactere qui eorum in animo quasi insculpitur, ad cultum divinum deputantur; atque adeo ipsius Christi sacerdotio pro sua conditione participant » (*A.A.S.* 39 [1947] pag. 555).

Insuper quae in nn. 11 et 12 huius paragraphi *proponuntur* [6] evidenti exaggeratione laborant, ut iam plures Patres notavere. Nam in institutione cleri principaliores disciplinae sunt Sacra Scriptura et theologia. Ipsis omnes aliae, etiam Liturgia, suppeditantur. Textus vero n. 11 considerat Liturgiam tamquam centrum et culmen totius institutionis clericalis.

Tandem, in n. 12 proponerem suppressionem pericopae finalis, ubi asseritur « ita ut *tota* vitae ratio in seminariis et institutis religiosorum

liturgico spiritu informetur » *et*[7] ut n. 12 finiatur ubi ait: « ... et toto animo participare queant ».

Gratias omnibus! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] clarius maiorique exactitudine. [4] deest. [5] et. [6] apponuntur. [7] ita.

2

Exc.mus P. D. ALOISIUS DA CUNHA MARELIM
Episcopus Caxiensis in Maragnano

Em.me ac rev.me Praeses, em.mi et exc.mi ac rev.mi Patres,

Haec pauca propono:[1]

In pag. 166, n. 21, lin. 3: « Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae episcopali nationali, maior concedatur facultas divinum cultum ordinandi ». Supprimatur « Ordinariis singularum provinciarum vel regionum ».

Et in n. 22, lin. 15: « Aptationes quae utiles vel necessariae existimantur Sanctae Sedi proponantur », emendetur: « ... Conferentiae episcopali nationali subiiciantur, quae eas potest S. Sedi proponere ».

Et pag. seq., n. 24, lin. 16: « Conferentia episcopalis in singulis regionibus », emendetur: « Conferentia episcopalis nationalis ». Conferentia episcopalis nationalis hic intelligitur coetus plenarius episcoporum cuiusque nationis.

Ratio est: ne nimia diversitas ansam praebeat confusioni et pluribus incommodis, maxime quando sacerdotes et etiam fideles de loco in locum transferuntur. Haec incommoda vitantur si Liturgiae ordinatio Conferentiae episcopali nationali plenariae subiiciatur, ad quam episcopi omnium provinciarum conveniunt, actis postea a S. Sede recognoscendis vel adprobandis.

Pag. 169, n. 32, lin. 17, addatur: « Quando celebratur Missa cathedralis (sicut etiam paroecialis), eadem hora, in ecclesiis aut in oratoriis vicinioribus, iudicio Ordinarii, ne celebretur Missa cum fidelium concursu, firmo etiam praescripto canonico circa praecedentiam, eadem hora, episcopi praedicationis ».

Ratio est ne plures fideles amoveantur a Missa dioecesis (aut paroeciae) pastoris aut a praedicatione episcopi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Animadversiones adiunctae:
Supprimatur « Ordinariis singularum provinciarum vel regionum ».
Ratio est: ne nimia diversitas ansam praebeat confusioni et pluribus incommodis, maxime quando sacerdotes, et etiam fideles, de loco in locum transferuntur.
[*Subsignati etiam*] Aristide, VT Adriani; Carlos, ep. Palmensis; Expeditus Oliveiri, ep. Patosensis; Walmor Battù Wichrowski, VT Felbes.

3

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Nagpurensis

Venerabiles Patres Concilii,

Solummodo pauca velim loqui de n. 22 in schemate, scilicet de potestate Conferentiae nationalis episcoporum in Missionibus, imprimis circa aptationes faciendas in sacra Liturgia.[1]

In nn. 21 et 22 (pag. 166) delineatur intra quos limites aptationes sacrae Liturgiae fieri possint. Secundum tenorem n. 21, Conferentiis episcopalibus in genere dantur facultates ampliores ad aptationes faciendas in sacra Liturgia. Attamen in n. 22 ea ipsa facultas, uti concessa Conferentiis episcopalibus in missionibus, coarctatur; illis est enim solummodo facultas *proponendi* aptationes faciendas. Aliquot periti Romae nominandi et Sacrae Congregationi Rituum aggregandi sunt, qui adiuvent S. Sedem ...[2] in recto iudicio ferendo in aptationes propositas. *Humiliter*[3] velim dicere, hoc propositum minime prodest...[4] Quod sequentibus argumentis sic statuo...[5]

Velim ut tantum consideretis difficultates practicas oriundas cum procedatur ad nominationes horum peritorum. Quot periti nominandi sunt a S. Congregatione? An unaquaeque regio suum habebit peritum nominatum? Et tamen, ut recte et apte iudicentur aptationes introducendae in qualicumque regione, unaquaeque regio missionalis suum quemque peritum exigit; sicque legio requiratur peritorum. An forsitan S. Congregatio nominaret commissionem limitatam peritorum quorum opere S. Congregatio *speret*[6] omnia nostra problemata *solvi posse?*[7] Sed ubinam terrarum invenietur ille peritus vel etiam commissio peritorum quae et plene et apte cognoscat omnia problemata in missionibus vigentia simulque omnes mores, traditiones, artes, culturas et aspirationes religiosas populorum tam diversorum in missionibus? ...[8]

Ad aptationes faciendas in missionibus nonne iudices optimi sunt ipsi episcopi missionum, adiuti a peritis ipsius regionis? Nonne melius esset illis facultates ampliores concedere? E contra, quid invenimus in

schemate?...[9] Quid plus potestatis Sacrosanctum Concilium Conferentiis episcopalibus ...[10] in Missionibus concedere proponit? Nonne iamdudum per multum temporis, hac ipsa facultate proponendi fruimur? Etiam ipsae Conferentiae episcopales regionales nonne iam hac eadem facultate gaudent? Si Concilium Conferentiis episcopalibus nihil praeter facultatem proponendi concedere proponit, undenam, quaeso, necessitas ut Concilium de hoc legem ferat?

Difficile intellectu est cur *facultates coarctantur pro Conferentiis episcopalibus* [11] in missionibus. An haec coarctatio propterea introducitur quod conditiones in missionibus difficiliores evadunt? Si haec sit ratio, ecce et aliud argumentum quod confirmat episcopos in missionibus solos *posse* [12] esse iudices optimos ad aptationes faciendas. Si autem coarctatio oriatur ex timore, ne nescio qui episcopi in missionibus « liberalismo », uti dicam, imbuti, auctoritate adepta, omnia mutare incipiant, quaero, nonne episcopi in missionibus iam « aetatem habent »? An fides nostra et devotio erga S. Sedem ullo pacto debilior aut infirmior est?

Venerabiles Patres, videor fulminare uti filius Boanerges, sed apud episcopos nostros adsunt multi sagaces et fide digni qui aliis magis ardentibus — uti ego sum — frenum imponent.

Quare, cum omni submissione, *peto ut n. 22* [13] sequenti modo condatur:

1. Conferentiis episcoporum in missionibus collegialiter et per commissiones agentibus, concedatur facultas *statuendi* aptationes, de quibus episcopi certi sunt illas substantiam Liturgiae nullo modo contradicere, salvo praescripto numeri 21, actis a S. Sede recognitis.

2. Tempus — v. g. decem annorum — concedatur, intra quod Conferentiae nationales episcoporum experimenta producere poterunt.

3. His experimentis peractis, acta omnia a S. Sedem mittantur ut S. Congregatio ea perscrutari possit et recognoscere quod in substantialibus nihil mutatum sit.

Tandem, humiliter petimus ut hoc Sacrosanctum Concilium, attentis peculiaribus circumstantiis in missionibus, aliquatenus latius se exhibeat erga Conferentias episcopales harum regionum...[14] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Corde pavido et magna cum trepidatione coram vobis adsto, cum imprimis aspicerem perplures qui et auctoritate eminentissimi sicut gigantes ad pugnas prementes, praecesserunt. Attamen, verbis Psalmistae confisus « ex ore infantium perfecisti laudes » audacter procedam. In schemate, pag. 165, sic proponitur norma ut principium fundamentale in problemate aptationis S. Liturgiae praesertim in Missionibus: « Ecclesia, in iis quae ad fidem aut

bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit; quinimmo, variarum gentium populorumque animi ornamenta ac dotem colit ac provehit, et quidquid, in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, in quantum potest, sartum tectumque servat ». Quae ut finem quidem nobilissimum omnino accipimus atque ad plenum effectum deduci fore exspectamus. Quae spes tamen iam a priori in multis vana esse videtur, ex pluribus quae ulterius in schemate proponuntur. Omnino verum est « in sacra Liturgia fidelium mentem voci concordare debere » (pag. 162, lin. 3), « liturgicam institutionem et actuosam fidelium participationem in Liturgia prosequendam esse, secundum eorum condicionem, vitae genus, religionis culturae gradum » (pag. 164, lin. 2-4). Ad quod requiritur ut populus non adigatur ad cultum suum exprimendum per actus qui, secundum propriam culturam, nullo modo apti sunt ad cultum et reverentiam exprimendi, sed, ut possit secundum suum nativum modum sese in vita religiosa exprimendi, per usus probatos atque pulcherrimos — varios apud populos diversos — Deum colere eique reverentiam exhibere. [2] et Sacram Congregationem Rituum. [3] Humillime. [4] et tantum abest ut adiuvet ut potius impediat omni verae et fructuosae aptationi Liturgiae saltem in missionibus. [5] Maxima difficultas consistit in apte diiudicandis ritibus et actibus religiosis illis nostro populo propriis. Non tantum diversitas habetur pro variis populis in nostra natione, sed etiam haec tantum post longam experientiam et cum intima cognitione populi diiudicari possunt. Non sufficit scientia missiologica, non sufficit peritia circa mores alicuius populi in missionibus. Ut verbi gratia exemplum adhibeam mihi bene notum: in India, intima cognitio Hinduismi localis necessaria est ne quidquam admittetur quod non est aptum, neque quidquam valde utile recusetur propterea quod idem in Hinduismo invenitur, siquidem persaepe non est nisi humanum quid, quod ab hinduistis simul et a christianis accipitur. Intima cognitio requiritur religionis et morum animistarum et aliarum religionum Indiae. Similis difficultas in aliis missionibus habetur. Ob has rationes cum omni reverentia erga S. Sedem, sed solummodo ut veritati suus sit locus, exprimere velim peritos S. Congregationi Rituum adiudicandos aptos non fore ad ferendum iudicium, sicuti requiritur, circa valorem pro Liturgia sacra quarundam actionum et aliarum rerum moribus populorum regionis missionariae propriis. Hoc per longam experientiam edocti sumus. Igitur parum solatii est nobis nominatio facienda peritorum hic Romae. [6] speraret. [7] solvenda fore. [8] Propterea ad propositum nominandi peritos sic compellor adloqui: « Hic ultimus error maior erit priore ». [9] Facultates ampliores concessae in n. 21 Conferentiis episcopalibus in genere coarctari videntur in n. 22 quoad Conferentias episcopales in missionibus. Sicque quod una manu conceditur, altera manu tollitur quoad missiones. Forsitan erroneum quid iudico — utinam erroneum esset — attamen n. 22 attente considerato, hoc iudicium gignere videtur. Facultas quae sola Conferentiis episcopalibus in missionibus relinquitur videtur esse facultas *proponendi.* [10] imprimis. [11] ampliores facultates Conferentiis episcopalibus in genere concessae in n. 21 coarctantur quoad Conferentias episcopales. [12] deest. [13] S. Sedi et Sacrosancto Concilio, humiliter petimus ut n. 22 ex pag. 166. [14] et in specie circa hanc aptationem Liturgiae in illis territoriis. Quae concessio missionibus facta multum iuvabit opus conversionum, simulque roborem dabit pastoribus missionalibus.

4

EXC.MUS P. D. SECUNDUS GARCÍA DE SIERRA Y MENDEZ
Archiepiscopus tit. Parianus, coad. Ovetensis

Em.mi Praesides, em.mi ac rev.mi Domini,

Circa nn. 8 et 9 in pag. 162. Maioris momenti nobis oratio, ut aiunt, subiectiva et omnium fidelium ascesis, ut perfectio assequatur, videtur quam quod schema huius rei tribuit. Licet in schemate de « instauranda Liturgia » tantum agatur, quae cum aliis extra-liturgicis pietatis actibus mira necessitudine arctatur, cum et haec necessitudo haud in schemate effulgeat, immo, ex loquendi modo, aliquis falsi specie decipi possit, sequentia mihi animadvertenda visum est, quia « haec oportet facere et illa non omittere ».

Optaremus declarationem firmam et clariorem ne in « panliturgismo » — favete verbis — incidamus. De necessitate « colendae pietatis in tota vita etiam extra Liturgiam », sic apparet rubrum. Sed comma « christianus tamen quandoque invitatur ad intrandum cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret », hanc orationem eiusque necessitatem valoremque quasi enervare videtur. Hoc verbo « quandoque », quod in decima linea et in undecima quasi in gratioso « ritornello » decantatur, videtur fluxus in arena levis in deserto. Opportunitas clarae et firmae declarationis a nobis quaesitae satis suo iure gaudet et ipso schemate et Magisterii Ecclesiae testimonio in variis documentis exposito, tum pro clericis tum pro laicis, maxime in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* et erroribus, quod gravissimum est, quibus fidelium agendi ratio perturbatur.

Pius XII in charta magna Liturgiae sacrae, numquam satis memorata, et a qua numquam nobis videtur recedendum, dicit: « Haec sunt, ut praecipua tantum attingamus, spiritualium rerum meditatio, diligens sui ipsius recognitio ac censura, sacri secessus aeternis commendandis rebus instituti, piae ad Eucharistica tabernacula salutationes supplicationesque in honorem Beatae Mariae Virginis etc.

« Multiplicibus hisce pietatis formis Spiritus Sancti afflatus et actio non adesse non possunt; eo enim spectant, ut animos nostros, etsi varia ratione, ad Deum convertant ac dirigant, ut eos a peccatis expient ad virtutemque excitent assequendam etc. Ac praeterea, cum impensius in christifidelibus spiritualem vitam alant, eos ad publica participanda sacra uberioribus cum fructibus inducunt, atque a periculo prohibent, quominus liturgicae preces in inanes ritus dilabantur. Ne desistatis — cla-

mat vehementer voce caelica Pius XII sanctae memoriae — ne desistatis igitur pro pastorali diligentia vestra, venerabiles Fratres, eiusmodi pietatis exercitia commendare ac fovere. Idque potissimum ne permittatis — quod nonnulli profitentur, vel renovandae Liturgiae specie decepti, vel effutientes liturgicos dumtaxat ritus efficacia dignitateque pollere — ut templa nempe per horas, publicis sacris non destinatas, occlusa permaneant, quemadmodum in quibusdam regionibus iam evenit; ut Augusti Sacramenti adoratio ac piae ad Eucharistica tabernacula salutationes neglegantur; utque admissorum confessio, quae pietatis tantum causa peragatur, dissuadeatur, etc. ».

Multa alia sunt testimonia quae in cuiuscumque manu sunt; etiam pro hac pietate privata Ecclesiae exstant praescriptiones Codicis Iuris Canonici, iuxta diversas christifidelium categorias. Etiam in S. Scriptura patet: Christus Dominus semel atque iterum commendat christianam adorationem privatam. Similiter in Epistolis SS. Apostolorum Petri et Pauli, Iacobi et Ioannis plura testimonia circa exercitia pietatis privata adducuntur. Tantum liceat, in Epistola ad Corinthios, sobrie: « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus », et in Epistola ad Ephesios: « De cetero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum..., etc. ».

Rationes ascesis et perfectionis, quae ardere intendunt, inter fumos et crepitationes, viridem stipitem nostrae inordinatae concupiscentiae, et nos igni caritatis adiungere, plane sunt necessariae ut animus Deum quaerat atque in perfectionem ascendat. Confirmatur ex vita sanctorum et scriptis magistrorum spiritualium. Sancti quos Ecclesia veneratur non solum ornamenta ac decus sponsae sanctae Christi sunt habendi, sed ut viva testimonia huius pietatis quae indeficientem orationem poenitentiamque continet; qua validiorem sacramentorum affectionem reddiderunt et strenue cum gratia adlaborarunt. Quare tanti thesauri sanctificationis, quos ipsa Ecclesia sancta ut dona pretiosa sui sponsi existimat, in hoc schemate veluti verecundia apparent? Potius ipsa praestantia, quam Pius XII in Encyclica iam citata tribuit, donentur, non tantum quia illa gaudent sed ob eas declinationes quas idem Pontifex enunciat ut falsas et insidiosas et damnosas.

Ex tribus argumentis tantum unum, brevitatis causa, theologicis propono.

Inter vitam socialem Ecclesiae et vitam individualem uniuscuiusque christiani mira viget concordia, immo et subordinatio partis ad totum.

Sed membrum Corporis Christi, quod est Ecclesia, non suae personalitati libertatique valedicit eo quod ad totum pertinet Corpus ad ipsumque ordinatur. Habet et servat sua iura atque obligationes proprias. Oratio totius Ecclesiae ut societas visibilis, ut ita dicam, est oratio liturgica; oratio individui christiani duplex vero exstat: oratio quatenus persona et oratio quatenus membrum Corporis Christi seu pars alicuius totius.

Quibus perspectis, iam aliquas eruere conclusiones lubet:

1) melius determinare naturam Liturgiae naturamque « pietatis privatae »;

2) ipsius pietatis privatae valorem necessitatemque in sanctificatione christifidelium in allatis numeris significare opus est;

3) aliquas formas pietatis seu extraliturgicas, praesertim quae ab Ecclesia semper laudatae fuerunt atque quae « in spiritu et veritate » evolvuntur, laudare etiam convenit. Ita ut per verbum « invitatur » vel per totum comma « christianus quandoque invitatur » non infirmetur robur ac vis verborum *commendare et fovere,* quae in Encycl. *Mediator Dei* proferuntur;

4) a schemate delere quae « pan-liturgismum » sapiunt, cum magno quidem parvipendendi exercitia extraliturgica periculo;

5) relationem ac nexum inter Liturgiam et pietatem privatam explicare magis atque magis oportet, ita ut « suum cuique tribuatur », nec conflictationes inter utramque aut contemptus appareant. Sic, nec « pan-liturgismo » in Encycl. *Mediator Dei* damnato indulgentia, nec pietati privatae primatum in vita spirituali fidelium;

6) et ultima: Uno verbo: loco textus in nn. 8 et 9 inclusi, alia redactio adhibeatur, et quae ibi proponantur sint: *a*) magis magisterio Ecclesiae consona, ne regressus ab ipso latitet; *b*) magis unitas et iuvamen inter Liturgiam et pietatem privatam emineat quam disiunctio aut oppositio aut postpositio, ne contra pietatem privatam contemptus gignatur exinde; *c*) non enervetur doctrina Ecclesiae circa nimios fervores aliquorum, spiritu instaurandae Liturgiae prolatos, cum ad extrema vitanda ducit; utque magis, quae proponantur, consentanea sint cum fidelium orbis christiani indole pastorali, ita ne Liturgia evadat quid theoretice purum aut chimice perfectum, haud vero practicum. Dixi.

Textus scripto traditus:

1. Licet in schemate de « instauranda Liturgia » tantum agatur, quae cum in se « non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae » (n. 5) — « est tamen in suo centro, quod est divinum Eucharistiae Sacrificium » (ibid.) —, quaeque cum aliis *extraliturgicis* pietatis actibus mira necessitudine arctatur, quum et haec ne-

cessitudo haud in schemate effulgeat, immo, ex loquendi modo, aliquis falsi specie decipi possit, sequentia mihi animadvertenda peropportunum visum est. Quia « haec oportuit facere, et illa non omittere » (*Mt.* 23, 23; cf. *Lc.* 11, 42).

2. Schema de necessitate « colendae pietatis in tota vita, etiam extra Liturgiam » loquitur. Sed *comma* aut paragraphus « christianus tamen quandoque (praeter orationem liturgicam) *invitatur* ad intrandum cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret » (pag. 162, n .8, lin. 11-12), hanc orationem privatam seu extraliturgicam eiusque necessitatem valoremque quasi enervare videtur.

3. Insuper, ex illis, quae ad n. 9, de « piis exercitiis approbatis et commendatis » adiiciuntur, notis ansam cogitandi vel minimi faciendi huiusmodi pia exercitia aliquis accipere valet. Nam ibi textus encycl. *Mediator Dei,* ubi perspicue horum exercitiorum utilitas declaratur, solummodo per referentiam *bibliographicam* citantur, dum e contra « commentum » explicite recolit abusus nonnullos, qui nonnunquam in huiusmodi exercitiis extraliturgicis, in Liturgiae detrimentum, inveniuntur. Quamvis « constitutio de sacra Liturgia » non intendat definitionem dogmaticam et notae ad textum adiectae sint tantum in « Patrum commodum », ideoque extra textum, nemo non videt quantam in futurum « auctoritatem » vimque pro theologis gignere queunt haec praeclara documenta notaeque. Quam ob rem, pietas privata eiusque exercitia nec parvipendenda nec ad quoddam ridiculum reducenda sunt.

4. Magnum esse valorem pietatis privatae — qui nonnisi confuse in schemate apparet — multiplici ex capite probari potest:

a) *At imprimis, ex ipso Magisterio Ecclesiae constat*:

Pius PP. XII, in litt. encycl. *Mediator Dei,* quae ut « charta magna » Liturgiae Sacrae salutatae venerant, ait: « Haec sunt, ut praecipua tantum attingamus, spiritualium rerum meditatio, diligens sui ipsius recognitio ac censura, sacri secessus aeternis commendandis rebus instituti, piae ad Eucharistica tabernacula salutationes, ac peculiares illae preces supplicationesque in honorem Beatae Virginis Mariae habitae, in quibus, ut omnes norunt, Mariale excellit Rosarium.

Multiplicibus hisce pietatis formis Spiritus Sancti afflatus et actio non adesse non possunt; eo enim spectant, ut animos nostros, etsi varia ratione, ad Deum convertant ac dirigant, ut eos a peccatis expient ad virtutemque excitent assequendam, ut denique ad sincerae pietatis studium salutariter instimulent, cum eos ad aeternas meditandas veritates assuescant, et ad mysteria contemplanda divinae humanaeque Christi naturae aptiores reddant. Ac praeterea, cum impensius in christifidelibus spiritualem vitam alant, eos ad publica participanda sacra uberioribus cum fructibus inducunt, atque a periculo prohibent, quominus liturgicae preces in inanes ritus dilabantur.

Ne desistatis igitur pro pastorali diligentia vestra, Venerabiles Fratres, eiusmodi pietatis exercitia commendare ac fovere, ex quibus procul dubio populo vobis credito salutiferi non poterunt non oriri fructus. Idque potissimum ne permittatis — quod nonnulli profitentur, vel renovandae Liturgiae specie decepti, vel effutientes liturgicos dumtaxat ritus efficacia dignitateque pollere — ut templa nempe per horas, publicis sacris non destinatas, occlusa permaneant, quemadmodum in quibusdam regionibus iam evenit; ut augusti Sacramenti adoratio ac piae ad Eucharistica tabernacula salutationes neglegantur; utque admissorum confessio, quae pietatis tantum causa peragatur, dissuadeatur; ac cultus Deiparae Virginis, qui ex sanctorum virorum sententia index est « praedestinationis », in iuvenili

praesertim aetate ita posthabeatur, ut pedetemptim deferveat atque languescat ». *A.A.S.*, 39 (1947), pp. 384-385.

Etiam Pius PP. XI haec ait: « ... privata supplicatio tam sollemnibus pollet magnisque a Iesu Christo datis pollicitationibus ». Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.*, 28 (1936), p. 18. Cf. insuper: Pii PP. XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), pp. 671-675. Alia documenta Magisterii circa pietatem privatam videsis apud: J. de Guibert, *Documenta ecclesiastica christianae perfectionis studium spectantia,* Romae 1931, pp. 556-560, 420, 659 ss.; pro hac privata pietate varia exstant Ecclesiae praescriptiones: cf. *C.I.C.* cc. 125 2°, 126, 632 2°, 685, 1290 et 1367, 1° et 4°, iuxta diversas christifidelium categorias.

b) *Hoc etiam ex Sacra Scriptura patet*: Christus Dominus semel atque iterum commendat orationem privatam, exemplumque Apostolis tradit. Cf. *Mt.* 7, 7-11; *Mc.* 11, 24; *Lc.* 11, 9-13. Similiter in Epistolis sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Iacobi et Ioannis plurima testimonia circa pietatis privatae exercitium facile est invenire.

Privata enim ad Deum religio seu devotio seu pietas, nonne primum, una cum pietate sacramentali eucharistica, locum in opere sanctificationis christianorum obtinet iuxta Novum Testamentum?

c) *Confirmatur ex vita sanctorum et ex scriptis magistrorum vitae spiritualis.* In omnium promptu est quanti sancti pietatem privatam fecerint, quomodo ipsam coluere; sicut et magistri conspicui qui multa pulchraque de ipsa in suis operibus scripserunt.

d) *Necnon ex rationibus theologicis confirmatur.* Tria tantum argumenta in memoriam revocare iuvat:

Primum: Inter vitam « socialem » Ecclesiae et « vitam individualem » uniuscuiusque christiani mira viget concordia, immo et subordinatio partis ad totum. Sed « membrum » Corporis Mystici, quod est Ecclesia, non suae personalitati libertatique valedicit eo quod ad totum pertinet « Corpus » ad ipsumque ordinatur. Habet et servat sua iura atque obligationes proprias. Oratio totius Ecclesiae ut « societas visibilis », ut ita dicam, est oratio liturgica; oratio individui christiani duplex vero exstat: oratio quatenus « persona » et oratio quatenus « membrum » Corporis Mystici seu pars alicuius totius.

Quocirca, patet quod « pietas privata » est maximi momenti pro christiano proque eius sanctificatione personali.

Secundum: In Liturgia distingui possunt: « sacrificium laudis » et « sacrificium altaris », ex una parte; ex alia autem, actus exteriores — ritus, caeremoniae, cantus, gestus, etc. — et actus interiores quibus participans inhaeret cum Ecclesia actioni liturgicae. Haec duo elementa — actus exteriores, actus interiores — ad invicem comparari possunt sicut corpus ad animam.

Iamvero: patet quod etiam in « pietate privata » sunt quaedam exercitia interiora et quaedam exteriora; quaedam quae ab uno evolvuntur, aliaque a coetu fidelium.

In utroque actu, sive liturgico sive extraliturgico, facile est invenire defectus: actio liturgica penitus inanis evadit si deest interior adhaesio; actio pietatis exterior, itemque, si ei desit interior devotio.

Sed defectus nonnisi per accidens dantur; oportet ad fructus per se perspicere. Et in utraque actione quamplurimi reperiuntur.

Ergo, si bene omnia perpendantur, non arguere opus est ab elementis negativis — a defectu, ex labilitate humana derivato —, sed ab illis potioribus « et per se », quia ex natura sua omne opus sacrum producit fructus bonos.

Et ad rem quod attinet, utraque, et Liturgia et pietas privata, « in aedificationem Ecclesiae » sunt.

Tertium: Verissimum « Eucharisticum Sacrificium » centrum Liturgiae esse affirmare possumus. Sed insuper notandum est: *a*) non semper « sacrificium laudis » in Liturgia ordinatur ad « sacrificium altaris »; *b*) etsi centrum Liturgiae « sacrificium eucharisticum », non ita hoc est intelligendum ac si centrum esset *exclusive,* qua de causa ab ipso extra arceatur « pietas privata ». Nam etiam pro ipsa, « Eucharistia » exstat revera centrum et fons.

5. Quibus perspectis, iam aliquas eruere conclusiones lubet, cum signatis schematis « De sacra Liturgia » numeris connexas:

Prima: Melius determinare *naturam Liturgiae naturamque* « pietatis privatae » oportet.

Secunda: Ipsius pietatis privatae *valorem necessitatemque* in sanctificatione christifidelium in allatis numeris significare lucidius, opus est.

Tertia: Aliquas formas « pietatis privatae » seu extraliturgicas, praesertim quae ab Ecclesia semper laudatae fuerunt atque quae « in spiritu et veritate » evolvuntur, laudare etiam convenit aut saltem non exempla tantum ex defectibus adducere aut ipsa delere. Ita ut per verbum *invitatur* vel per totum comma « christianus quandoque invitatur » non infirmetur robur ac vis verborum *commendare et fovere,* quae in Encycl. *Mediator Dei* proferuntur (cf. l. c., pag. 584).

Quarta: Ab schemate delere quae « panliturgismum » sapiunt, cum magno quidem parvipendendi exercitia extraliturgica periculo.

Quinta: *Relationem ac nexum inter Liturgiam et pietatem privatam explicare* magis atque magis oportet, ita ut « suum cuique tribuatur », nec conflictationes inter utramque aut contemptus appareant.

Sic, nec « panliturgicismo » in encycl. *Mediator Dei* damnato indulgentia, nec pietati privatae supremum primatum in vita spirituali fidelium sicut in opere J. et R. Maritain, *Liturgie et contemplation,* Desclée 1959, circa quem magnae exortae nostro tempore disceptationes sunt. E contrario, teste Pio XII: « Inter sacram Liturgiam ceterasque religionis actiones veram repugnantiam interesse non posse, immo quaedam esse pietatis exercitia, quae Ecclesia religiosisque sodalibus summopere suadeat » (loc. cit., pag. 583).

Et haec *unitas* vel maxime elucet in ipso Eucharistiae Sacramento, signum etiam cum sit huiusmodi inter Liturgiam et « pietatem privatam » unitatis. Nam « opus sacrum » quasi duabus partibus coalescere patet, liturgica nimirum ac privata: « Valde consentaneum est eum, Eucharistica dape accepta ac publicis conclusis ritibus, se recollegere, ac cum Divino Magistro intime coniunctum, cum eodem, prouti rerum adiuncta concedant, dulcissime salubriterque colloqui » (loc. cit., pag. 556).

Sexta: Uno verbo: loco textus in nn. 8 et 9 inclusi, alia redactio adhibeatur, et quae ibi proponantur, sint: *a*) magis magisterio Ecclesiae consona, ne regressus ab ipso latitet; *b*) magis unitas et iuvamen inter Liturgiam et pietatem privatam emineat quam disiunctio aut oppositio aut postpositio, ne contra pietatem privatam contemptus gignatur exinde; *c*) non enervetur doctrina Ecclesiae circa nimios fervores aliquorum, spiritu « instaurandae Liturgiae » prolatos, cum ad ex-

trema vitanda ducit; *d*) utque magis, quae proponantur, consentanea sint cum fidelium orbis christiani indole pastorali, ita ne « Liturgia » evadat *quid* theoretice purum et perfectum, haud vero practicum.

Ea quae in numero nono proponuntur possent fortasse in unum sic redigi: « Piae populi christiani exercitationes vel exercitia, si legibus et traditionibus Sanctae Ecclesiae conformes sint, valde commendantur et foveri iubentur; atque inter ipsa prima dignitate gaudent, ut patet, quae de mandato Sanctae Sedis pro universa Ecclesia aut de mandato episcopi pro tota dioecesi celebrantur; ita tamen ea ordinare oportet ut... ».

5

Exc.mus P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

Venerabiles Patres,

Tria breviter dicenda:

1. In primo capitulo notandum esset munus praecellens Spiritus Sancti in operationibus sacramentalibus, quae notio a S. Thoma explicatur et videtur praetermissa in schemate.

2. Nn. 5 et 6: Indicatur sacrificium eucharisticum esse centrum et fontem vitae Ecclesiae. Non satis dicitur, mea quidem humili sententia, quod Ecclesia, essentia sua missionaria, traducere debet in sua Liturgia hanc functionem essentialem. Ex hoc, Eucharistia, vel melius communitates eucharisticae, ut sunt paroeciae, praebere debent spiritum missionarium.

Eucharistiae participantes occurrunt obviam Domino Nostro Iesu Christo, ad homines salvandos laboranti. Hi ex hac participatione surgere debent cum voluntate missionaria. Liturgia eucharistica favere debet hunc finem.

In lin. 35, post verba « caritatem Christi trahit », opto ut addatur: « Communitas eucharistica spiritui missionario Ecclesiae alimentum praebet ».

3. tandem. N. 22: In hac paragrapho et in quibusdam aliis, insinuari videtur in missionis regionibus liturgicas commendationes concedi tantum accidentaliter ex necessitate. Si Ecclesia essentialiter ut missionaria habetur, in sua vita liturgica semper parata esse debet ad evangelizandos omnes homines, non tantum modo secundario et accidentali.

Lin. 26, post verba « leges parantur », opto ut addatur: « In omnibus regionibus vita liturgica praebere debet alimentum spiritui missionario Ecclesiae ». Dixi.

6

EXC.MUS P. D. CYRILLUS ZOHRABIAN
Episcopus tit. Acilisenus

Rev.mi Patres ven.mi ac Fratres in episcopatu carissimi,

Permittatur mihi, humiliter quaeso, ut nonnulla pauca proferam de ritu armeno, qui cum sit novissimus inter omnes ritus, saltem orientales, propriusque sit minusculae gentis Armeniae, ni fallor paucissimos esse Ecclesiae Catholicae vel sapientissimos doctores qui eius existentiam noverunt.

Ritum armenum dixi esse novissimum inter omnes, saltem orientales ritus, quamvis, teste historia ecclesiastica, Tiridates (armenice « Drtàd »), Rex Armeniae, amicus Imperatoris Diocletiani, acerrimus persecutor christianorum ac deinde ope ministerii Gregorii Illuminatoris conversus ad fidem, factus crudelissimus persecutor idolatriae, fuerit qui primus inter omnes reges decrevit religionem christianam esse religionem Status Regni Armeniae (anno 295) et ritui nostro viam stravit.

Quod non significat fidem Christi non fuisse propagatam in Armenia ante praelaudatum decretum regium. Iam enim a primo saeculo valde floridae christianitates existebant apud nos. Nostis Martyrologium Romanum duo et quadragies commemorare martyres Armeniae. Inter alia placet mihi reminisci historiam virginum romanarum, Ripsimae et Caianae, quae, impudenter persecutae a Diocletiano, fugerunt in Armeniam; audierant enim christianam religionem maxima ibi libertate tunc gaudere. Diocletianus autem, de loco fugae duarum virginum edoctus, iussit Tiridati, amico suo, ut eas crudelissimis tormentis necaret. Sanctae virgines Ripsimae et Caianae vitam tunc sacrificaverunt pro conversione Armeniae. Revera post mortem ipsarum, statim incipit historia conversionis gentis nostrae ope Gregorii Illuminatoris Apostoli Armeniae S. Hieronymus maxime extulit zelum ac sanctitatem eremitarum et monachorum armenorum.

Missionarii cum non essent Armeni (erant Graeci, Romani et Syri) singuli propria lingua Liturgiam faciebant, et prout accidit in nostris temporibus Armenos fideles edocebant linguam suam patriam et quae ad istam pertinent, v. g. grammaticam, litteras, historiam...[1]

Praeses card. RUFFINI: Rogo te, exc.me Pater, ut redeas ad argumentum de quo tractamus, merito quidem extollitur laudibus Armenia, sed non agimus de Armenia, sed de Liturgia.

Orator: Beh allora! *Quid igitur de mutationibus in Liturgia?* Libri liturgici quales nobis traditi sunt a Patribus non sunt tangendi. Concordes utique sumus omnes quaedam esse supprimenda, alia quidem minuenda. Tamen nobis catholicis non licet innovare nisi cum consensu in congressu habito, unanimiter cum fratribus nostris gregorianis (*id est,*[2] Armeni dissidentes vel orthodoxi).

Editiones librorum liturgicorum integrae manentes, in praxi tamen nihil obest quominus inter Conferentias episcopales nationales catholicas, Patres conveniant quoad suppressionem aut diminutionem quorundam textuum. Ita v. g., mihi videtur quod supprimi possunt orationes quas secreto recitat sacerdos concomitanter cum cantu Trisagii et secundam ac tertiam ante sanctam Communionem; quae revera sunt orationes gratiarum actionum post Communionem. Diminui possunt etiam Epistolae et Evangelia cycli quadragesimalis quae sunt valde longa...[3]

Quid de lingua vernacula? Hic firmum manet principium superius enunciatum, hoc est, libri liturgici non sunt tangendi.

Gens nostra est dispersa per universum mundum. Unde hic sermo non valet pro Armenis linguam patriam loquentibus, nam ii intelligunt linguam classicam, quae non multum differt a lingua vulgari. Quod autem pertinet ad Armenos xenophonos, Conferentiae episcopales nationales definire debent modalitates quibus comprehensibili modo Liturgia, lingua classica expressa, traducenda sit populo fideli.

Laudetur Iesus Christus.

In textu scripto tradito: [1] geographiam etc. cum debuissent e contrario toto conatu oblivisci quae sua erant, ad lucrandas Christo animas armenorum armenice. Patres nostri Isaac patriarca et Mesrob monachus animadvertentes quod hic agendi modus restringit amorem patrium in corde armenorum, excogitarunt alphabetum nationale cum 36 signis. Inde statim S. Scripturae versionem curaverunt. Componentes deinde sacram Liturgiam ex ritibus graeco, romano et syriaco eas coeremonias vel orationes sumpserunt quae efficaciores apparent ad excitandam devotionem. Strophae hymnorum divini officii cum ordine alphabetico procedunt, ita ut facillime vulgus etiam hodiernus memoria eas retinet. [2] qui sunt. [3] et connexionem non habent cum mysterio diei.

7

Rev.mus P. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O.P.

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Considerando quae dixit em.mus praeses, omitto quaedam, quae iam aliquo modo exposita sunt. Tantum pauca dicam de possibili concordia inter diversas opinantium sententias de usu linguae latinae, quae puto posse esse utilia. Forsitan maior concordia obtinebitur si duae quaestiones *clare* [1] distinguantur.

Prima: Utrum sit conveniens maior libertas utendi linguis vernaculis in actionibus liturgicis.

Responsio erit affirmativa, iuxta mensuram tamen viae mediae, quae in schemate praevidetur, cum animadversionibus iam *ab aliis* [2] factis.

Secunda: Utrum omnes sacerdotes debeant cognoscere linguam latinam eamque callere.

Responsio erit insuper affirmativa. Optimum enim est, pulchrum atque utile unam eamdemque linguam et cognoscere et loqui. Alias, difficiles evaderent inter nos et communicatio socialis et adunationes similes huic Oecumenico Concilio.

At inter omnes linguas oportet latina seligatur propter tria:

1. Quia ius habet ab immemorabili tempore acquisitum.

2. Quia exstat lingua officialis in praesenti. Et melior est conditio possidentis.

3. Quia in lingua latina continentur immensi thesauri sapientiae christianae. Qui in aliis linguis non ita abundanter inveniuntur.

Ideoque *humiliter dicam* [3] optimum, utilissimum et pulcherrimum esset si Sacrosanctum Concilium urgeat ut omnes sacerdotes cognoscant linguam latinam, et laudet et confirmet quae iam statuta sunt in Encyclica *Veterum Sapientia*. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

Animadversiones adiunctae:

Ad corroboranda ea quae dixit em.mus card. Tisserant, adducere liceat exempla duo, paucissimis nota, ex historia Ordinis Praedicatorum.

1. De usu *linguae Armenae* in celebrando iuxta ritum Fratrum Praedicatorum inde ab anno millesimo tercentesimo trigesimo, usque ad finem saeculi decimi octavi, id est per quatuor saecula, extant testimonia multa scriptorum.[1] Extant etiam breviarium et missale Ordinis lingua Armena typis mandata, auctoritate et sumptibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Venetiis apud Antonium

Bortoli, anno millesimo septingentesimo decimo quarto. Usus linguae Armenae in celebrando iuxta ritum nostrum coepit quando coetus quidam monachorum Armenorum, auctore Beato Bartholomaeo Podio, O. P., simul fidem Ecclesiae Romanae professi, et collegialiter Ordinem Praedicatorum ingressi sunt. Qui, cum linguam nullam praeter suam scirent, libris liturgicis nostris, armenice redditis, usi sunt.[2]

2. De usu *linguae graecae* in Ordine Praedicatorum pauca tantum referre queo, gravissima tamen, ob auctoritatem Sedis Apostolicae, quam involvunt.

Anno Domini millesimo tercentesimo nonagesimo octavo, die vigesimo quinto februarii, Bonifacius Papa nonus concessit fratri Maximo de Constantinopoli, O. P., ut sacra in lingua Graeca, servato ritu Fratrum Praedicatorum, celebrare possit.[3] In ea constitutione Pontifex fratrem Maximum sic alloquitur: « ... tu desideras missas et alia divina officia in praesentia populi alta voce in Graeco sermone celebrare, dicere, legere vel cantare; ad id videlicet ut catholici praefati in partibus praelibatis ad ipsarum missarum et divinorum officiorum celebrationem pro tempore crebrius confluant et ferventius intersint eisdem...

« ... Nos itaque qui cunctorum fidelium animarum salutem intensis desideriis affectamus..., ut in eisdem partibus Graeciae... missas et alia huiusmodi officia celebrare in praefata lingua, alias tamen iuxta ritum et institutionem Ordinis Fratrum Praedicatorum... libere et licite valeas... tenore praesentium indulgemus ».

Consensio Bonifatii noni ad effectum mox deducta est. Libros liturgicos dominicanos graece vertit vir doctissimus, graecus catholicus, unus ex eis qui graeca studia in Italia instauraverunt, Emmanuel Chrysolaras. Qui, cum sacerdos fieri cuperet, anno millesimo quadringentesimo sexto, die decimonono februarii, ab Innocentio papa septimo impetravit « ut possit promoveri ad omnes sacros ordines iuxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae, necnon officium divinum iuxta dictum ritum, et ab ipso *de latino in graecum translatum,* celebrare, vel facere celebrari per sacerdotem idoneum ».[4]

Anno etiam millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, die secundo octobris, Callistus papa tertius fratrem Simonem de Candia, O. P., Priorem Provincialem Graeciae, inquisitorem haereticae pravitatis in Graecia constituit, eique praeter alia sequens privilegium concessit: « Damus insuper et concedimus tibi licentiam missam celebrandi in lingua Graeca, modo tamen latino, iuxta tuam discretionem, et praesertim a " Te igitur " inclusive ad " Pater noster " exclusive ».[5]

Itaque per dictas bullas Bonifatii noni, Innocentii septimi et Callisti tertii sunt quaedam antecedentia quae illustrant concessionem Pii Papae XII super usum linguae hebraicae in celebrandam missam romanam.

NOTAE

[1] De liturgia Armeno-dominicana, praesertim de prima translatione breviarii, agit M. A. van den Ouderijn O. P., *Das Offizium des heiligen Dominicus des Bekenners im Brevier der " Fratres Unitores ", von Ost-armenien,* Romae (Institutum historicum FF. Praedicatorum) 1935. Cf. etiam R. Loenertz O. P., *La Société des Frères Pérégrinants. Etudes sur l'Orient dominicain,* ibid., 1937, 141-150.

[2] Narratio Ambrosii Taegii (qui florebat saeculo decimo quinto in decimum sextum vertente) edita est in *Archivum FF. Praedicatorum,* 10 (1940), 279.

[3] Constitutio Bonifatii IX edita est in *Bullario Ordinis FF. Praedicatorum,* t. II, Romae 1730, 370 nº xcvii. Denuo typis mandavit b. m. Ioannes Card. Mercati in *Studi Bizantini e Neoellenici,* 4 (1933), 315, eamque commentario illustravit. Repetitum in G. Mercati, *Opere minori,* t. III (*Studi e Testi,* 79), Città del Vaticano 1937, 467-468).

[4] Bulla Innocentii VII periit. Summarium, in Archivo Vaticano servatum, invenit et publici iuris fecit eiusdem Archivi praefectus, b. m. Angelus Mercati in *Stoudion,* 5 (1928), 66. Repetiit frater eius Ioannes Cardinalis in *Studi e Testi,* 56 (Città del Vaticano, 1931), 491. Qui et ostendit in verbis « officia divina » includi celebrationem missae.

[5] Bullam Callisti III edidit G. Hofmann S. I. in *Miscellanea Giovanni Mercati,* t. III (*Studi e Testi,* 123) Città del Vaticano 1946, 213.

Animadversio in prooemium:

1. In lin. 18 ss. pag. 157 haec leguntur: « Unde, dum Liturgia cotidie Ecclesiam *interne* aedificat in templum sanctum in Domino..., in habitaculum Dei in Spiritu (*Eph.* 2, 21-22), usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (*Eph.* 4, 13) ».

2. In his verbis aliqua minus vera continentur. Etenim:

1) Neque Ecclesia *interne* aedificatur per Liturgiam, sed per gratiam et caritatem. Liturgia vero est medium externum et sociale communicationis horum bonorum.

2) Neque citationes Sancti Pauli quae in medium afferuntur ad Liturgiam pertinent.

3. Unde proponitur textus cum exclusione verbi *interne* et sine referentia ad epistolam paulinam. Qui textus sic se haberet: « Unde, dum Liturgia cotidie Ecclesiam aedificat in templum sanctum in Domino, in habitaculum Dei in Spiritu, usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi ».

Formula, prout castigata proponitur, censetur vera.

Animadversio in prooemium et n. 2:

1. In lin. 9 et ss. pag. 157 legitur sic: « Liturgia enim, per quam, maxime in suo centro, divinae scilicet Eucharistiae sacrificio, opus redemptionis *exercetur* ».

Et in lin. 30 et seq. pag. 159 : ..« sed etiam opus salutis, quod annuntiabant (apostoli) per sacramenta *efficerent* ».

2. Sacrificium redemptionis et opus redemptionis de quibus sermo est in textibus praecitatis peracta et consummata fuerunt in cruce et in resurrectione. Ex tunc iam amplius opus non est alterius sacrificii ad redemptionem peragendam neque perficiendam.

Reformatores missae sacrificium reiciebant, inter alia, quia derogabat efficaciam sacrificii crucis. Necessitas sacrificii missae signum erit inefficaciae sacrificii crucis.

Doctrina vero catholica in Tridentino sancita asserit et Missae et crucis sacrificia vere efficacia esse. Unumquodque munus suum implet. In cruce redemptio perficitur et consummatur. In missa vero redemptio iam peracta *applicatur.*

3. Qua de causa, et ne ansa daretur aequivocationi, aequivocum verbum *exercetur* in secreta dominicae IX post Pentecosten adhibitum et in textu schematis reportatum, mutandum erit, et loco ipsius usitandum verbo *applicatur,* prout fit in sess. XXII, cap. I Tridentini.

Similiter, loco asserendi quod apostoli per sacramenta efficiunt opus salutis vel redemptionis, melius erit asserere quod ab ipsis, per sacramenta opus redemptionis vel salutis *applicatur*.

Textus ergo remaneret sic: « Liturgia enim, per quam, maxime in suo centro, divinae scilicet Eucharistiae sacrificio, opus redemptionis *applicatur* »; « ... sed etiam opus salutis quod annuntiabant (apostoli) per sacramenta *applicarent* ».

Animadversio in n. 3:

1. N. 3 huius constitutionis loquitur *de praesentia Christi* in actionibus liturgicis *unius alteriusve generis*. In lectione scilicet et explicatione Scripturarum; in laudibus quae Deo Patri persolvuntur; in sacramentis; et in sacrificio Missae. Perspicuum tamen est praesentia Christi non esse identica in praedictis rebus. Nec proinde virtus, quae ex praesentia derivatur. Sequitur inde diversitas efficacitatis actionum liturgicarum, quia efficacia a natura praesentiae quamplurimum pendet. Et sequitur insuper diversitas graduum necessitatis participandi in talibus actionibus ad vitam christianam tum cleri tum populi christiani nutriendam.

Haec diversitas efficacitatis quae datur inter liturgias sacrificialem, sacramentalem et deprecatoriam, maximi momenti est insuper ad rectam intelligentiam eorum quae de institutione et vita liturgica cleri et populi christiani in numeris 11-14 apponuntur. Et ad rectam intelligentiam eorum etiam quae in capitibus « De sacrosancto Eucharistiae mysterio », « De Sacramentis et Sacramentalibus » et « De Officio divino » docentur.

2. Quapropter proponerem ut n. 3 redigeretur sic: « Ad tantum ergo opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest in actionibus liturgicis. Adest ut magister, ipse qui misit apostolos ut docerent,[1] asserendo Ipsum audire qui eos audissent. Adest ut primus orans, ipse qui caput est totius Ecclesiae orantis.[2] Adest ut potestatem excellentiae in sacramentis habens, ipse a quo efficacitatem obiectivam sacramenta accipiunt.[3] Adest, insuper, ut victima et sacerdos, ipse qui cotidie semetipsum offert Deo Patri in altari, sacerdotum ministerio.[4]

« In hoc opere perfectae Dei glorificationis... » (sequitur ut in schemate).

---

[1] *Matth.* 28, 19-20.
[2] *Hebr.* 7, 25.
[3] *Summ. Theol.* III, 64.
[4] Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 2. Denz. 940.

8

EXC.MUS P. D. HENRICUS JENNY
Episcopus tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis

Venerabiles Patres,

Emendationes quasdam proponere velim...[1]

1. Pag. 160, n. 2, lin. 11...[2] Supprimenda essent verba: « Sacramenta administrando ». *Agitur enim hic*[3] de Missa, in qua duae partes inter se connexae inveniuntur: scilicet Verbum Dei quod annuntiatur,

et sacramentum Corporis Christi quod offertur. *Textus primitivus* [4] ita voluit intime coniungere: fidem et Sacramentum, mensam Verbi et mensam Carnis Domini, quae mensa unica est. Etenim Verbum Dei caro factum unicum est...[5]

2. In eadem pagina, n. 3, lin. 21, proponerem ut supprimantur verba: « et explicantur ». *Et non explico quia iam dictum est.*[6]

3. Pag. 161, n. 5, lin. 10, legitur: « in suo centro quod est divinae Eucharistiae sacramentum ». *Haec clausula videtur supprimenda.*[7] Non agitur hic solummodo de Sacramento Eucharistiae in stricto sensu. Omnes sciunt Eucharistiam esse culmen et fontem. Agitur hic de Liturgia, id est, si vultis, de Eucharistia, sed amplissima; splendor enim Eucharistiae fulget omnimode in tota Liturgia et non solum in Sacramentis ipsis, sed etiam in anno Domini, in Paschate, ...[8] in festis, in dominicis, in ritibus, etc. Tempus est ut pulchritudinem et amplitudinem nostrae Liturgiae melius cognoscamus, quae est gloria Domini in actione salutis, Epiphania Christi pro nostris temporibus, *ita ut homines ad caritatem et unitatem ducantur.*[9]

4. In n. 6, lin. 29: « Filii Dei fiant per Baptismum ». Addatur: « in aqua et Spiritu Sancto », ut nominetur Spiritus *in isto capite.*[10]

5. Pag. 165, n. 19: de mente biblica.

Rogo ut addatur: « declaratio », vel Patribus mittatur *declaratio,*[11] quae pro explanando textu parata est et ad commissionem centralem proposita...[12]

Non possumus Liturgiam renovare sine intelligentia et amore Scripturae. Liturgia est enim quodammodo Biblia ipsa semper in actu; per Liturgiam Ecclesia denuo verba Dei audit, facta salutis annuntiat, Christum profitetur Dominum et in adventum Domini homines ducit.

Haec est ratio cur stylo concreto et biblico usi sunt qui exararunt hunc textum. Dicunt quidam poeticum esse stylum. Si poeticus est, universa Biblia poetica est, quia facta historica concreta de Iesu Christo narrat, et de populo Dei, qui noster est.

De hoc stylo addo verba alia. Dicunt [13] aliqui hunc stylum non esse conciliarem, *non esse pro Concilio.*[14] Stylus est priorum Conciliorum. Patres venerabiles et sapientes, humiliter rogo vos ut attente vigiletis, ne sub specie verae doctrinae et verborum proprietatis, ille dicendi modus quem multos ut pulchrum laudasse audivimus, et toto transvertatur. In nostro casu stylus menti et sensui concordat. Experto, velitis credere Roberto! *Si mutatur textus, mutabitur mens et sensus.*[15] Quomodo non esset conciliaris hic modus dicendi qui ex Evangelio et Sancto Paulo venit? *Haec est lingua Patrum et Scripturae. In nostris temporibus veritatem non in doctis et quasi extraneis verbis proponamus. Proponere*

debemus, sed ducamus ad hunc fontem aquae vivae [16] quae fluxit a Scriptura. Haec est divina Sapientia. Sicut Apostoli in primitivo Ecclesiae tempore, testimonium Resurrectionis clamare, praedicare debemus...[17] Unus est *qui mortem superavit, unus* [18] qui resurrexit, qui venit ut vitam habeant et abundantius habeant...[19] Coram mundo universo, per Liturgiam renovatam, poterimus Pascha annuntiare, et per mysterium paschale, de Christo glorioso *semper* [20] vivere.

6. Pag. 167, n. 25. Proponere vellem aliquid addendum de catechesi. Non solum de catechesi liturgica quae *fit* [21] in actu ipso liturgico, sed de catechesi tota quae, ...[22] proh dolor, adhuc abstracta et ...[23] scholaris est. Debet esse catechesis liturgica, id est, « a Liturgia inspirata », in Scripturis fundata, et ad Liturgiam celebrandam ordinata, ita ut viventes in Christo, christiani vere sint, et ita in operibus quotidianis Dei testes atque hominibus fraterna caritate coniuncti *homines*.[24] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] textui, quem prae oculis habemus. [2] Secundum meam sententiam. [3] Haec clausula forsitan addita est ne alia sacramenta obliviscamur. Sed in hoc textu de quanam re agitur? Agitur. [4] Commissio praeparatoria. [5] Si adderetur clausula illa « Sacramenta administrando », sensus huius textus everteretur. [6] (« Ipse est qui loquitur dum verba S. Scripturae in Ecclesia leguntur et explicantur »). Christus est enim qui loquitur dum verba S. Scripturae in Ecclesia leguntur; sed quando verba Scripturae explicantur, non est ipse Christus qui loquitur, sed minister, qui bene forsan explicat, puto et spero, sed iam non est Scriptura Sacra. [7] Cur videmus saepius in hoc capite talem explicationem quae vim significationis minuit et, ut ita dicam, enervat? [8] et. [9] Idem dico de titulo n. 6 in eadem pagina. Restituatur textus primitivus huius tituli: « Est tamen (liturgia) culmen et fons » (non « Eucharistiae sacrificium »). [10] saltem semel in isto capite. De Spiritu Sancto et de Tribus Personis loquendum esset in toto hoc capite. Ita legeretur: « per Baptismum in aqua et Spiritu Sancto, conveniant in unum etc. ». [11] deest. [12] Melius esset ut textus ipse abundantius loquatur de Scriptura Sacra, et non solum de verbis in ea contentis, sed praesertim de factis quae per Bibliam ad nos annuntiantur de mirabilibus Dei, quae ipse patravit pro salute mundi. [13] Dicunt etiam. [14] deest. [15] deest. [16] Si volumus, in nostris temporibus, hominum fratrum nostrorum exspectationi respondere, veritatem non in doctis et quasi extraneis verbis proponere, debemus eos ad hunc fontem aquae vivae ducere. [17] Omnes homines moriuntur, iam mortui sunt, sed et vivere volunt. Et Deus vult ut vivant homines. [18] deest. [19] Christus heri et hodie, ipse et in saecula. [20] et semper vivente nos. [21] potest fieri. [22] saepe. [23] pure. [24] deest.

9

EXC.MUS P. D. MARCUS McGRATH
Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Panamensis

Venerabiles Patres et Fratres in Domino,

Voluerim referre orationem inventam in prooemio, *lin. 26*: « *Quare Sacrosanctum Concilium, dum declarat se in praesenti constitutione* », *et* [1] in lin. 26, pag. 158: « nihil velle dogmatice definire... etc. ». Mihi videtur oratio « *nihil velle dogmatice definire* »[2] nimis dicere.

In schemate de sacra Liturgia, sicut legitur in linea sequenti, 27, principia Liturgiae in mentem revocantur ad normas practicas statuendas. Quamvis pauca et generalia, haec principia sunt magni momenti ideoque hic inveniuntur. Nulla vera renovatio seu reformatio Ecclesiae secure navat nisi habeatur clara visio theologica finium persequentium. Theologia pastoralis, etenim, est semper primo loco theologia, ex qua fines actionis apostolicae statuuntur, antequam quaerantur media apta eisdem.

Proinde, prae mente habentes intentionem magis pastoralem huius schematis, in quo nulla definitio invenietur, nihilominus tribuemus brevi expositioni principiorum doctrinalium munus suum de fundamento *servando. Clarius* [3] esset, meo iudicio, in lin. 26 scribere, loco orationis iam allatae: « Quare Sacrosanctum Concilium, dum declarat se in praesenti constitutione potius pastoralia quam dogmatica tractare, de fovenda tamen... etc. », vel quid simile.

Schema generatim mihi valde placet quoad contentum et stylum.[4] Non obstante, mihi videntur haberi in incisis *quae* [5] de doctrina agunt, aliquae impraecisiones, neque videntur omnia elementa bene et concinne connecti una et compacta expositione. Hoc forsitan deberi potest mutationibus textu effectis multis manibus in transitu per commissionem liturgicam praeparatoriam et aliam commissionem *praeparatoriam* [6] centralem. Doctrina totius schematis debet certe certius a theologis peritis recognosci, iuxta nova vota hic in congregationibus generalibus expressa, ut eadem quae iam in schemate inveniuntur accuratius et concinnius redigantur.

...[7] Nullo modo, tamen, videtur approbanda suggestio alicuius Patris rem doctrinalem huius schematis remittendi alterae commissioni, scilicet, de fide et doctrina morum. Hic modus procedendi nullibi statuitur, in quantum scio, in methodo a Concilio sequenda; et impossibilis in praxi evadit.

Verum est quod Concilium Tridentinum materiam omnem disposuit in duas partes: de fide et de disciplina. Aliquo simili modo in Concilio Vaticano I quaestiones doctrinales generaliter relictae fuerunt commissioni theologicae. E contra, in praesenti Concilio Oecumenico, evidens fit examine schematum, quanta materia doctrinalis invenitur in pluribus schematibus variis commissionibus commendatis, v. gr. in schemate de unitate Ecclesiae, in hoc nostro schemate de sacra Liturgia, et in aliis postea videndis de natura status perfectionis, etc. Ad rem suam doctrinalem et pastoralem apte peragendam, omnis commissio constituitur a viginti quattuor Patribus Concilii, et adiuvatur ab omnibus illis peritis theologis quos vult vocare. *Quandoque, si ita vult, quaecumque commissio potest* [8] cum alia commissionem mixtam formare ubi agi potest de negotio utrique communi. In laboribus commissionum praeparatoriarum omnis commissio — etiam de fide et doctrina morum — debuit sua schemata commissioni centrali praebere *approbanda* [9] vel emendanda. In methodo nunc in Concilio sequenda, nisi fallor, nulla commissio vocatur centralis. Omnes inserviunt et oboedire debent Concilio ipso, i. e., collegio Patrum Conciliarium, cum Petro sedentium. Concilium ipsum (i. e., Summus Pontifex una cum omnibus episcopis), hic supreme iudicat. Munus est uniuscuiusque commissionis, unaquaeque in sua propria competentia, tantum auscultare vota Patrum Concilii super schemata proposita et, iuxta eorum vota, schemata reformare seu redigere donec a Concilio approbentur.

Denique, aliqua velim dicere de lingua latina seu de argumentis allatis et afferendis in hac materia. Principaliora argumenta pro lingua vernacula in Liturgia sunt pastoralia et theologica, quae heri ab exc.mo Domino Rau ex Argentina bene, optime, exposita fuerunt. Voluerim aliqua ex his argumentis clarius invenire [10] in textu schematis, quia elucidant normas practicas postea *dandas, et quia etiam* [11] clare demonstrant positivas rationes pro usu linguae vernaculae in Liturgia, ut non appareat sicuti aliqua exceptio mere toleranda.

Illi qui nolunt [12] admittere usum vernaculae in Liturgia pollent etiam bonis argumentis; sed fatendum est illos saepe *argumenta sua* [13] nimis extendere, iuxta illud axioma, « Qui nimis probat nil probat ». Sumantur aliqua ex hisce argumentis.

a) Multi locuti sunt de sacra et venerabili lingua latina...[14]

Praeses card. Ruffini: Exc.me Domine, ne repetas quod iam dictum est.

Orator: Bene. *Deinde* [15] pervenimus ad ultimum argumentum contra linguam vernaculam, ex auctoritate S. Sedis et eius decisionibus in

re sumptum. Revera doluit quod *aliquis*[16] orator nomen dederit « novatores » iis qui vernaculae linguae in Missa favent — nomen quod in loquela Conciliorum applicatur tantum haereticis...[17] Sic non videtur *intelligenda res*[18] neque dicenda. E converso, renovationem utique quaerimus, uti nos Summus Pontifex ...[19] exhortat.

Dicenda *deinde*[20] sequentia:

1. Nemo nostrum ignorat existere plures prohibitiones modernis temporibus contra vernaculam in Missa, a Summis Pontificibus et Congregationibus Romanae Curiae emissas.

2. Attamen existunt etiam permissiones in eadem re — recenter datae: v. g., in ritualibus plurium nationum, in Missa ...[21] intra Sinenses, in restaurata Liturgia Vigiliae Paschalis, etc.

3. Perspicuum nobis omnibus est in hac materia *tractari*[22] de re disciplinaria. Si in re doctrinali potest haberi evolutio quaedam — in eodem sensu, eodem dogmate, *sicut dixit*[23] I Concilium Vaticanum — potiori ratione etiam in regulis practicis cultus. Sic inter litteras encyclicas *Rerum novarum, Quadragesimo anno* et *Mater et Magistra* magnus observatur progressus doctrinalis...[24] *Et*[25] simili modo prohibitiones disciplinariae saeculi XIX contra versiones vernaculas S. Scripturae et missalis pro populo sub Papa Leone XIII lapserunt.

4. Ultimo, Summus Pontifex nos omnes Pastores Ecclesiae adunavit in Concilium ad renovationem Ecclesiae in sua missione et in suo cultu. Voluit audire et audivit multas voces pastorum qui vernaculam in Missa petierunt. Ex his votis, habemus ante nos schema, ab ipso Summo Pontifice *approbatum,*[26] principium statuens introductionis vernaculae in Missam — quidem iusta cum moderatione. Sumus in Concilio. Hic non loquuntur pastores singillatim neque...[27] Congregationes Romanae Curiae ut tales. Iuxta Codicem Iuris Canonici: « Concilium Oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate » (c. 228). Procedamus omnes simul, deinde, ad renovationem Ecclesiae quam tempus exigit, sub auctoritate *et approbante Summo Pontifice*[28] qui nos ...[29] praesidet, mediantibus em.mis praesulibus, *et nos*[30] in fide confirmat et in disciplina *nos conducit.*[31] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] ponendo. Hoc considerato, melius. [4] 2. Melior expositio partis doctrinalis: Mihi valde placet schema generaliter sumptum — quoad argumentum et stylum. [5] qui. [6] deest. [7] 3. Nulla Commissio in Concilio valet iudicare alias: [8] Semper licet ut una Commissio petat. [9] ad probanda. [10] 4. De lingua vernacula in Liturgia: Urgatur ratio theologica solida in textu pro usu illius. Principaliora argumenta pro linguae vernaculae usu in Liturgia sunt pastoralia et theologica — actuosa participatio populi Dei, verum subiectum cum Christo actionis liturgicae, per res,

gesta et signa intelligibilia etc. Haec argumenta iam ab exc. D. Rau, ep. ex Argentina, heri exposita, debent clarius inveniri. [11] etiam quia. [12] 5. Refellitur excessus aliquorum argumentorum contra vernaculam in Liturgia. Illi qui nolunt omnino. [13] deest. [14] Tamen linguae latinae sacralitas omnino non ratione latinitatis competit sed tantum quia in Liturgiam assumpta est. Ergo aequo iure omnes aliae linguae sacrae fiunt, si in Liturgia adhibentur, sicut de facto fit in aliis ritibus Ecclesiae Christi, et in ipso ritu romano, sicut ab em.mo card. Tisserant docte demonstratum fuit ante aliquos dies in Congregatione generali.

b) Multa etiam dicta sunt de mysterio praeservando in Liturgia. Argumentum examinandum est. Comparatio religionis christianae cum aliis religionibus quae linguam arcanam servant ad mysteria inculcanda non nimis placet, quia sapit magiam et quia non sufficienter considerat differentiam essentialem ortam ex facto quod Deus nobis loquitur per Filium suum, verbis intelligibilibus in se, quamvis nobis communicent mysteria divina. Mysterium in Liturgia insinuatur melius silentio quam per linguam incognitam. Ceterum qui voluerit laicos non intelligere lectiones S. Scripturae in Missa, quia ex eis scandalum sumere possent, eodem modo arguitur ac illi qui saeculis praeteritis libros sacros ipsos noluerunt in vernacula pro fidelibus permittere. Utique Scriptura explicanda est, notis et commentariis, sed explicatio supponit etiam lecturam, et ipsa lectura nunc ab Ecclesia indulgentiis praemiatur.

c) Item pro aliis argumentis quae nimis probant. Bene insistitur v. g. in usum linguae latinae in studiis seminarii, sicut a Summo Pontifice recenter in *Veterum Sapientiae* factum est; sed nil ex hoc adducendum respectu laicorum et eius participationis in Liturgia.

d) Item speramus fore ut cantus gregorianus semper colatur in monasteriis, et in festis habeatur sollemnioribus pro fidelibus quandoque lingua latina, saltem ex parte. Sed hoc non obstat quod fideles possint simpliciores modos cantare, latina vel vernacula lingua, sicut iam multis locis probatum est; neque possumus amplius spectare de fidelibus respectu cantus gregoriani. Historice constat etenim quod initio medii aevi in quantum cantus pluribus neumatibus ornatus fuerit, eo minus cantabant laici, relinquendo cantum sive monachis sive aliis peritis in cantu.

e) Item respectu peregrinorum, militum etc. Dicitur quod Missa ubique et totaliter praeservanda est latina lingua ut viatores eandem coeremoniam semper inveniant. Quaeritur autem, utrum debeamus Liturgiam ubique terrarum regere ex consideratione huiusmodi quae parvi momenti est extra regiones ut ita dicam « turisticas ». Ceterum, nihil impedit quominus Missa latina lingua integre celebretur quando numerus peregrinorum vel alia causa id exigat. Ut bene memoravit aliquis orator heri, in schemate de quo agimus tribuitur facultas usus linguae vernaculae in Missa, non autem imponitur obligatio.

f) Revera prae oculis habendum est constanter illud principium aureum in hac materia — quod usus linguae vernaculae in Liturgia relinquatur conferentiis episcoporum, approbante S. Sede. Neque imponatur vernacula nolentibus; neque prohibeatur volentibus. Videant pastores de salute animarum eis commendatarum.

g) Ne confundatur unitas vitalis cum aliqua uniformitate mechanica et mortifera. Certum est quod lingua latina roborat unitatem ritus romani. Sed ad hoc sufficeret illa via media iam a pluribus proposita: i. e. latinam linguam in editionibus typicis necnon aliquibus partibus Liturgiae potius sacerdotibus propriis praeservandi. Uniformitas mechanica quae oritur ex usu exclusivo latinae linguae in

omni parte Liturgiae, esset potius signum debilitatis: quia unitas in multitudine difficulter servari potest eaque de causa multitudo cohiberi deberet, etiam in Ecclesia, uniformitate externa. E contra, si lingua vulgaris in Liturgia Missae permittitur, vigilantia Ecclesiae habet multa alia media, ut tueatur eius doctrinam incorruptam; experientia hoc docet quod attinet ad editiones S. Scripturae, catechismi, librorum theologiae ac spiritualitatis, in lingua vernacula confectas.
[15] *h*) tandem. [16] quidam. [17] seu iis qui adversarii sunt auctoritati Summi Pontificis. [18] res intelligenda. [19] ipse. [20] deest. [21] catechumenorum. [22] tractare. [23] uti docuit. [24] socialis. [25] deest. [26] recognito. [27] inveniuntur. [28] ipsius Summi Pontificis. [29] in hoc congregavit et qui nos. [30] nosque. [31] roborat.

Praeses card. RUFFINI: Tempus concessum semper servetur!

10

EXC.MUS P. D. ZACHARIAS ROLIM DE MOURA
Episcopus Cajazeirasensis

Em.me Princeps, venerabiles Patres,

1. In n. 21 schematis de sacra Liturgia, in lin. 3 pag. 166, tollenda censemus haec verba: « Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae episcopali nationali... », et ponenda: « Conciliis Plenariis, ad normam canonum 281-292 ».

2. In fine eiusdem n. 21 post verbum « recognitis » addatur: « ac probatis ». Deinde, sequentia declarentur: « Haec Concilia Plenaria a Conferentia episcopali nationali, post consultos episcopos singularum provinciarum, sedulo parentur ».

3. In n. 24, in lin. 16, pag. 167, tollenda censemus verba: « Sit vero Conferentiae episcopalis in singulis regionibus » et eius loco ut supra ponenda: « Sit vero Conciliorum Plenariorum ».

Ratio: Harum emendationum mens ea est ut in re tanti momenti caute vitetur, secundum illud cognitum: « Quot capita, tot sententiae », multiplicatio rituum localium, ex qua magna animorum confusio mox sequeretur; nam, etiam in re liturgica Ecclesia Romana, quae Cathedra Sancti Petri honoratur et in quam, velut in signum levatum, nationes conspiciunt, symbolum est illius unitatis quae in omnium voluntate est.

Ad ea quae in schemate de sacra Liturgia sub n. 24 de lingua liturgica et n. 27 de actuosa participatione fidelium continentur, haec videntur notanda:

1. De vernaculi usu in sacra Liturgia, humiliter affirmo eum non esse unicum medium actuosae participationis populi in sacris actionibus.

Sumus coram altissimis mysteriis. Remanebit semper aliquid arcani, quod tantum in patria caelesti, auxiliante lumine gloriae, satis intelligemus.

2. Etiam non video qua ratione lingua latina ianuam Ecclesiae fratribus separatis claudat, cum latinitas, in Germania, Hollandia, Britannia Maiori et Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, magni habetur.

3. De actuosa participatione fidelium in sacra Liturgia auderem memorare ut locus sit silentio ad reflexiones quae colloquium hominis cum Deo semper paraverunt, *secundum illam Scripturam:*[1] « Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei » (Lamen. III, 26)...[2]

4. Serenitate et firmitate apostolica qua fruimur, non debemus confundere legitimam participationem liturgicam cum innovationibus et exaggerationibus quae in diversis orbis regionibus apparent.

Utinam voces venerabilium Ecclesiae traditionum in auribus nostris sonent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Desolatione desolata est omnis terra quia nullus est qui recogitet corde.

11

Exc.mus P. D. GEORGIUS KEMERER
Episcopus Posadensis

Venerabiles Patres,

In scripto meo viginti subsignationes episcoporum habeo, et ideo non tantum nomine proprio sed horum episcoporum loquor. Ex quinque punctis tantummodo sumam duo, brevitatis causa, cetera tradam secretario generali.[1] Patres Conciliarii subsignantes iudicant schema *de sacra Liturgia* generaliter sumptum bonum, immo optimum esse; et hoc praesertim quia nititur rationibus pastoralibus et omnino conforme est cum sana et recta traditione Ecclesiae.

...[2] Ideo, Patres Conciliares, mecum subsignantes, exoptant ut hoc schema in genere sumptum, ab omnibus Patribus Concilii recipiatur, ita ut modificationes schemati faciendae pastoralem orientationem prae se ferant...[3]

Primo: *Schema variis in locis loquitur de necessitate restaurandi liturgiam Verbi. Exempli gratia, quando dicit, pag. 161, art. 5, lin. 13, « Antequam homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem*

et conversionem vocentur », *et citantur verba S. Pauli* « *Quomodo invocabunt* » *etc. In alio loco schematis dicitur*: « *Christifideles cum verbi tum corporis Domini reficiantur* », *et iterum*, « *Fidelibus cum mensa eucharistica, etiam ditior mensa verbi paretur* ». *Ideo propono ut*[4] ad n. 25, pag. 167, inter paragraphum secundam et tertiam sequens paragraphus addatur:
« Specialis Liturgia Verbi, qua talis, restauretur pro solemnioribus vigiliis et feriis atque pro dominicis et festis. Haec Liturgia Verbi Dei maximi momenti est pro illis locis qui sacerdote carent, quippe cum Diaconus, si habebitur, vel etiam vir laicus ab episcopo delegatus, illam agere possit ».

Ratio additionis: Huiusmodi Liturgia Verbi antiquitus habebatur et medium erat efficax, *quodammodo unicum*,[5] docendi fideles. Hodie in multis locis, praesertim in Missionibus et in America meridionali, pauci sunt sacerdotes, et ita fit, ut christifideles rarissime, immo per annos, nihil audiant de Deo et de fine ac salute hominis.[6]

Et nunc secundo,[7] ad n. 24 (pag. 167). *Maneat ita articulus*:[8] « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur. Cum tamen in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio », *et hic mutatio*,[9] « non solum valde utilis, sed etiam necessaria videatur, amplior locus ipsi in Liturgia tribuatur ».

Et postea:[10] « Sit vero Conferentiae episcopalis limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis a S. Sede recognitis ».

Declaratio: Nolo afferre argumenta positiva pro lingua vernacula in Liturgia adhibenda. Haec argumenta multoties allata sunt et illis toto corde adhaereo.

Duo tantum dicam:

1. Hisce diebus cum de Liturgia agebatur et etiam de linguis in ea adhibendis, audivimus haec ut argumentum: quod quaedam iam a Codice canonico vel Decretis a Sancta Sede statuta sunt. Sed notandum est quod sumus in Concilio, et Concilium est magisterium extraordinarium Ecclesiae et maxima pollet auctoritate. Ideo, quae iam statuta sunt utique gaudent vi legislativa *adhuc*[11] sed praesertim valent ut documenta ad nos illustrandos, sed non valent ut *aliquid omnino*[12] absolutum et definitivum.

Ergo concludendum est: si quid mutabitur, et speramus fore ut non pauca mutentur, et quidem a Concilio, i. e. a nobis cum Summo Romano Pontifice, et a Romano Pontifice nobiscum.

2. Lingua latina a multis ut signum vel medium unitatis in Ecclesia habetur. Sed, *quaero*,[13] quid de orientalibus qui ad unitatem

Ecclesiae redierunt quin latine loquantur, et manent in unitate nobiscum quin lingua latina in Liturgia utentur? Triplex est unitas Ecclesiae: regiminis, veritatis, caritatis; et haec triplex unitas pernimis magna est ut a lingua ulla dependeat. Triplex haec unitas servari potest et debet, quamvis variae sint linguae.

Fons unitatis Spiritus Sanctus est, qui obstaculum linguarum cunctarum superavit, *primo Pentecoste*,[14] — et superabit *in futuro*[15] — non lingua unica eaque latina, sed illustratione mentis et cordis amore.[16] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] et. [3] Ecce quaedam animadversiones quae schemati faciendae sunt. Imprimis relate ad structuram rituum. Ad n. 23 (pag. 167) textus dicit: « Ritus modo simplici et claro exstruantur, sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles evitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim indigeant multis commentariis ut intelligantur ». Addatur: « Proinde signa sacramentalia vera significatione ditentur, v. g. panis eucharisticus speciem veri panis prae se ferat ». Ratio additionis: Inter praecipuos Liturgiae ritus exstant sacramentalia signa, quae in actuali oeconomia salutis sunt media per quae gratia conferenda etiam significatur, ita ut appareat eorum munus catecheticus apud fideles. Tamen non raro ipsa signa sacramentalia suam significationem sufficienter non exprimunt, ut accidit v. g. in Ecclesia latina: formae consecrandae non aptae apparent. [*Subsignati etiam*] Henricus Muhn, ep. Jujuyensis; Wilhelm van Bekkum, ep. Ruteng. [4] deest. [5] deest. [6] [*inde ab « ad n. 25, pag. 167 » subsignati etiam*] Wilhelm van Bekkum, ep. Ruteng; A. Thyssen, ep. Larantukanus; F. Simons, ep. Indorensis; Henricus Muhn, ep. Jujuyensis. [7] deest. [8] *a*) Textus dicit: « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur ». Cum tamen « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere possit etc. ». Dicatur: [9] deest. [10] *b*) Textus dicit: « Sit vero Conferentiae episcopalis... limites et modum linguae vernaculae in Liturgia admittendae S. Sedi proponere ». Dicatur: [11] deest. [12] argumentum. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] [*inde ab « Ad n. 24 (pag. 167) » subsignati etiam*]: Henricus Muhn, ep. Jujuyensis; F. Simons; Thyssen SVD; Wilhelm van Bekkum, ep. Ruteng.

Animadversiones adiunctae:

Ad n. 26 (pag. 168). In fine paragraphi addatur: « Administratio proinde sacramentorum (baptismatis, confirmationis, primae communionis, matrimonii) ne remaneat res plus minusve privata, sed fiat celebratio communitatis in quantum fieri potest ».

Ratio additionis: Administratio sacramentorum privata, pluries quotidie repetita, pro ministro onus est nimis grave et saepe inducit modum rutinarium, eodem tempore eum impediens a laboribus magis necessariis. Ita ipsi sacerdoti et fidelibus damnum infert spirituale. Saepe pro fidelibus est periculum vanae gloriae et ostentationis quod periculum minus est in functione communitatis.

[*Subsignati etiam*] Henricus Muhn, ep. Jujuyensis; Thyssen SVD.

Ad n. 31 (pag. 169) (« In Liturgia nulla sit acceptio personarum »). Ad finem paragraphi haec verba addantur: « Proinde omnes " cathegoriae " ex emolumento arancelario provenientes prohibentur in omni actus liturgici celebratione. Immo,

Ordinarii ad suppressionem cuiuscumque stipendii formae pro celebratione Missae et administratione sacramentorum gradatim procedant, dum iusta sustentatio cleri ex alio fonte reperiatur ».

Ratio additionis: In consuetudine contraria abusus abundare nemo nescit. Res sacras et ipsam beatitudinem caelestem pecunia emi posse non pauci putant.

Quo ditior quis est, eo propinquior Deo esse habetur. Respectus falsi sociales et contemptus paupertatis ab Ecclesia sanciri videntur.

Haec omnia spiritum communisticum fovent.

Multi christiani quia pauperes sunt, in peccatis vitam degere coguntur, multi ipsam fidem amittunt.

Lex qua hi abusus a Concilio prohibentur, clarissime monstrat voluntatem efficacem Ecclesiae restaurandi vitam religiosam et socialem in claritatem pristinam Christi Domini!

[*Subsignati etiam*] Wilhelm van Bekkum, ep. Ruteng; Thyssen SVD Larantuka; Henricus Muhn, ep. Jujuyensis.

12

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Venerabiles Patres,

Nonnulla omittam et venio statim ad haec puncta:[1]

In pag. 168 ad n. 26: *addatur iuxta meum modum cogitandi, addantur haec verba in fine paragraphi:*[2] « Celebratio proinde Baptismatis, primae Communionis, Confirmationis et Matrimonii, in quantum possibile evadat, communiter fiat ».

Ratio additionis: Evidens est innecessariam iterationem ipsorum Sacramentorum non solum eorum sensum communitarium sed etiam debitam populi participationem minuere. Insuper, receptio singularis et quasi privata horum Sacramentorum passim mundanam ostentationem et vanitatem fidelium fovet, cum detrimento eorumdem fructus.

In pag. 169, ad n. 31, *mea suggestio est ut addantur haec verba:*[3] « Proinde omnes categoriae ex emolumento arancelario provenientes, prohibentur in omnis actus liturgici celebratione. Immo, Ordinarii ad suppressionem cuiuscumque stipendii formae pro celebratione Missae et administratione Sacramentorum gradatim procedant, iusta sustentatione cleri ex alio fonte repetita ».

Rationes:[4] Omissa imprimis mentione circa innumerabiles abusus in hac materia, patet ipsam praxim taxarum secundum diversas sic dictas « categorias », contra cultus sanctitatem graviter attentare et simul eius characterem sacrum ab oculis non paucorum fidelium deformare. *Quamvis primo visu haec additio videatur pertinere ad aliud schema, tamen firma*

est eius connexio cum re liturgica.[5] Propterea, haec sunt odiosa et etiam attentant — ut ipsa experientia docet — contra fraternum spiritum, qui sine dubio in ipsis fundamentis doctrinae Christi adest, praesertim ratione habita « aequalitatis socialis » quae de die in diem in mundo exoptatur et augetur.

Denique, actualis connexio inter quosdam actus liturgicos et stipendia fixa, secum fert aliquem aspectum commercii, qui, quamvis theoretice iustificetur, tamen in praxi difficilis evadit captui multorum fidelium, et etiam aliquando non paucos a vita christiana avertit.

Rebus rite perpensis, resolutio conciliaris huius ordinis, esset sine dubio, coram mundo hodierno, evidens manifestatio vehementis voluntatis Patrum huius coetus, reddendi vultui Ecclesiae splendorem puritatis et simplicitatis qui in ipso Evangelio praelucet, iuxta mentem Summi Pontificis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Placet iuxta modum, scilicet: in fine paragraphi addatur. [3] haec verba addantur. [4] Ratio additionis. [5] [*Haec phrasis, hic verbis prolata, in textu scripto tradito habetur tanquam nota in ima pagina*].

Animadversiones additae:

Patres Conciliarii — quorum nomina hic referuntur — iudicant schema *de sacra Liturgia* in genere optimum esse, habita ratione praesertim eius orientationis pastoralis necnon eius conformitatis cum sana ac puriore traditione Ecclesiae. Hac de causa exoptant ut a Patribus recipiatur, ita ut omnes modificationes quae ipsi schemati proponantur hanc pastoralem orientationem una cum sana traditione servent et augeant. Quasdam tamen observationes, proponendas necessario ducunt, imprimis relate ad structuram rituum:

Pag. 167 ad n. 23: Placet iuxta modum, scilicet: « Ritus modo simplici et claro extruantur, sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles evitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim indigeant multis commentariis ut intelligantur. Proinde signa sacramentalia vera significatione ditentur, v. gr. panem eucharisticum speciem panis prae se ferre ».

Ratio additionis: Inter omnes liturgicos ritus, sacramentalia signa, praesertim eucharisticum, primum locum tenent, quia in actuali oeconomia salutis sunt media per quae gratia significatur et confertur, ita ut in traditione saepe appareat eorum munus catecheticum apud fideles. Tamen frequenter suam significationem sufficienter non exprimunt, ut accidit, v. gr. in ecclesia latina cum formis consecrandis ad distribuendam s. Eucharistiam ad fideles.

[*Subsignati etiam*] Manuel Marengo, ob. de Azul; Carlos H. Ponce de León, aux. de Salta; Vicente Zaspe, ob. de Rafaela; A. Quarracino, ob. de Nueve de Julio.

Pag. 167, n. 24: In hoc articulo constitutionis, hae mutationes videntur necessariae, scilicet:

— In 2 paragrapho, ubi dicit: « Vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populos existere », quamvis sit citatio Enc. *Mediator Dei,* potius legatur: « Vulgati sermonis usurpatio non tantum valde utilis, sed etiam necessaria videatur in fere omnibus regionibus... ».

— In 3 vero paragrapho dicatur ita: « Sit vero Conferentiae episcopalis in singulis regionibus, etiam si casus ferat, consilio habito cum episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, usum linguae vernaculae in Liturgia statuere, actis a Sancta Sede recognitis ».

Ratio mutationis: Rationes pastorales suadent usum vulgati sermonis in Liturgia necessarium evadere, ex eo quod nostris temporibus latina lingua a fere omnibus populis ignoratur, etiam ab illis hominibus qui superiora studia percurrunt. Secus, thesaurus spiritualis sacrae Liturgiae oculis populi christiani ex magna parte velatus maneret.

Insuper, verbum, et quidem rite captum, est habituale medium communicationis inter homines. In hoc sensu pastoralis experientia docet actuosam et conscientem participationem fidelium in sacra Liturgia, eo faciliorem evadere, quo magis intelleguntur verba quae in ipsis ritibus a ministro proferuntur.

Ex alia parte notandum est, Conferentias episcopales maiore facilitate ad statuendum usum vulgati sermonis gaudere, cum pleniorem cognitionem habeant circa conditiones concretas populi fidelis in unaquaque regione. Hoc modo solvitur practice difficultas quae oriri potest in locis ubi loquuntur linguae diversae.

In unoquoque casu iudicium Conferentiae episcopalis valde utile et opportunum erit ad dirimendam quaestionem.

Pag. 167, ad n. 25: Placet iuxta modum, scilicet: Inter paragraphum 2 et 3 hoc aliud paragraphum addatur: « Liturgica celebratio verbi Dei per se ipsa restauretur, praesertim pro vigiliis sollemnium festorum, pro aliquibus feriis adventus et quadragesimae. Insuper pro dominicis et diebus festivis iis in locis, quae sacerdote carent, quo in casu a diacono vel ab alio delegato episcopi praesidenda est ».

Ratio additionis: Haec « Celebratio Verbi », in suo naturali ambitu qui Liturgia est, cum antiquiore traditione concordat et medium valde efficacissimum est ad cognitionem et appretiationem Verbi Dei in fidelibus excitandam. Ex alia parte Concilium prae oculis habere debet, in pluribus regionibus ruralibus, saltem Americae Meridionalis, fideles sacerdotibus carere, ita ut frequenter per plures menses, et in casibus etiam per annum, Verbum Dei nullo modo audiant.

13

Exc.mus P. D. PETRUS ARIKATA KOBAYASHI
Episcopus Sendaiensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Ego, episcopus Iaponensis, laborans in terra missionis extremae Orientis, in nomine omnium episcoporum iaponensium, humiliter, magna tamen cum laude, vellem commendare hoc schema de sacra Liturgia a commissione iam praeparatum, in quo proponitur ut amplior locus tribuatur linguae vernaculae in sacra Liturgia, quod habet speciale momentum pro Iaponia.

Cultura enim nostra iaponensis, *ut ita dicam,*[1] nullo modo fundatur

in aliqua cultura occidentali vel romanorum vel graecorum, sed in cultura antiqua Orientis, et specialiter in cultura sinensi.

Quare, lingua latina non aliud significat apud nos Iaponenses, nisi aliquid pertinens ad mundum occidentalem; si ergo in Liturgia nimis praevalet usus linguae latinae, fideles valde difficile cum Liturgia familiares fieri poterunt, et infideles considerare pergent Religionem catholicam ut quid occidentale, totaliter alienum a mente Iaponiae.

Insuper lingua latina in Iaponia omnino incognita est ita ut, per usum linguae latinae populus noster impediatur ab accessu ad thesauros divinos in Liturgia contentos.

Si res ita habetur, omnibus evidens erit quia non possumus sacrificare salutem animarum *alicuius nationis*[2] ad conservandam uniformitatem externam Ecclesiae catholicae, quae uniformitas, ut mihi videtur, non est quid absolute essentiale « Oeconomiae Salutis ». Unitas non confundenda est cum uniformitate externa. Unitas vero Ecclesiae catholicae, seu adhaesio nostra erga Sanctam Sedem, quae est centrum nostrae fidei, non esset tam debilis quam non conservetur nisi vi uniformitatis externae, *artificio modo determinatae.*[3] Credimus quod Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, sane constituerat viam propriam et aptam pro unoquoque populo.

Pro progressu igitur Ecclesiae catholicae in nostro populo omnino necessarium puto ut maior usus linguae vernaculae in sacra Liturgia, etiam in Liturgia Missae, apte concedatur; et ut Conferentia episcopalis nationalis aptas provisiones de hac re facere possit.

Ideo vellem insistere et repetere unum tantum, quod iam notatum est per plures Patres, id est, n. 24, ut ponatur in loco « Sanctae Sedi proponere », haec phrasis, scilicet: « ... statuere, actis a Sancta Sede recognitis ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] populi nostri iaponensis. [3] per usum linguae latinae.

14

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS THIANDOUM
Archiepiscopus Dakarensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Multa et varia iam dicta sunt de n. 24 schematis. Ideo de hoc n. animadversiones duas tantum proponerem.[1] Episcopi totius Continentis Africae, Madagascar et aliarum insularum non dubitant de vero

sensu expressionis « in Liturgia occidentali » quae in textu schematis invenitur. Distinguitur enim Liturgia occidentalis ab illis quae in Oriente christiano florent.

Attamen, datis hodiernis circumstantiis ex emancipatione politica populorum Africae exortis, vocabulum « occidentali » auribus plurimorum eorum evocat tempora peracta et sic Ecclesia nimis connexa videtur cum cultura et historia Europae occidentalis.

Ergo hoc vocabulum deleatur et, ex n. 20, nomen « Ritus Romani » (et affinium) proponitur.

...[2] De usu linguae vernaculae. Episcopi totius Continentis Africae, Madagascar et aliarum insularum, quamvis usum linguae latinae servare omnino intendant, tamen maximi momenti existimant ipsum celebrantem, lingua vernacula, directe, id est sine ullo intermediante, uti posse in iis Missae partibus quae ad populum diriguntur.

Omnes episcopi Africae, Madagascar et insularum insistunt ut bene intelligantur. Nullatenus petimus ut a sacra Liturgia lingua latina tollatur, sed praecise petimus ut Conferentiis episcopalibus possibilitas tribuatur lingua vernacula utendi *quotiescumque et ubicumque* necessitas pastoralis hoc revera exigerit.

Ratio praecipua est quod usus linguae vernaculae in istis Liturgiae partibus ad meliorem et actuosam populi participationem et ad aptiorem magisque fructuosam efformationem religiosam inserviet. Etenim Liturgia vernacula lingua celebrata naturaliter fiet optima expressio culturae eorum christianae; et sic sensus et doctrina Sanctae Missae, Sacramentorum et Divini Officii mentem eorum facilius attingent, memoria melius retinebuntur, vitam et culturam eorum intimius penetrabunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ad n. 24 schematis. [2] Ad n. 24 schematis.

15

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Loqui vellem, gratia Dei fretus, de numero sive articulo 31 qui, ni fallor, usque heri intactus prorsus remansit, qui tamen mihi, et, absque dubio, omnibus etiam vobis, pergratus est, quia continet phrasim illam quae, utpote a iustitia sociali et a caritate inspirata, pergrata erit praesertim eis erga quos nos, Patres Conciliares, specialem praedilectionem

manifestavimus in illo nostro Nuntio ad universos homines, videlicet humilioribus, pauperioribus debilioribusque. Phrasis illa pergrata haec est: « Nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caeremoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio ».

Phrasis, quae adhuc gratior efflueret, si adderetur: « Nulla personarum habeatur acceptio, praesertim quae in erogatione pecuniae consistat ».

Quaestionem, prout videtis, urentem attingimus de abolitione absoluta omnium illarum diversitatum sive differentiarum « classium », ut dicunt, Matrimonii scilicet vel Baptismi vel funeris primae classis, secundae classis, tertiae aut quintae aut septimae classis, quarum diversarum classium absolutam et radicalem abolitionem vehementer desiderant et anhelanter exspectant a Concilio hoc Oecumenico ingentes multitudines, non solum pauperum et operariorum, sed et illorum omnium qui, quamvis pauperes et operarii non sint, divites tamen non sunt; qui omnes profunde humiliatos sese sentiunt per tabulas taxarum nostrarum ecclesiarum, quae ita sunt dispositae ut maiores honores et caeremoniae splendidiores et pompae maiores, primae videlicet vel primissimae classis, tribuantur divitibus taxas maiores erogantibus, minores vero, immo et infimae classis, pauperibus illas taxas erogare non valentibus.

Qui omnes, non solum profunde humiliatos, sed et amare a nobis deceptos et illusos sese sentient si nos, Patres Conciliares, intactam *relinquamus* [1] hanc quaestionem, quae est gravissima quaestio iustitiae socialis, non iustitiae socialis profanae, sed quae gravior est, videlicet, iustitiae socialis ecclesiasticae sed et iustitiae socialis liturgicae.

Ego igitur humiliter et reverenter propono vobis, em.mis, exc.mis et rev.mis Patribus Conciliaribus, ut numerus sive articulus hic 31, sublata ultima pericopa, propter convincentissimam rationem quam heri exponebat, ni fallor, rev.mus Abbas Ordinis Sancti Benedicti, sequentibus verbis claudatur:

« Nulla privatarum personarum, aut condicionum, sive in caeremoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio, praesertim quae in erogatione pecuniae consistat: ita ut de medio tollantur omnes differentiae et diversitates classium et cuiusvis alterius generis, maxime in administratione Baptismi, in celebratione Matrimonii, et in funeribus exsequendis; abrogatis legibus et revocatis omnibus consuetudinibus contrariis ».

Quae quidem omnia Concilium Oecumenicum perfecte peragere potest suprema qua pollet in universam Ecclesiam potestate.

Haec est igitur propositio nostra.

Rationes vero praecipuae, quibus propositio nostra fulcitur, sunt sequentes:

Prima ratio: Non apparet quomodo congruat, ...[2] in paroeciis Ecclesiae Catholicae, fundatae a Iesu Christo Domino Nostro qui, prout dicitur in n. 1 huius capitis *schematis,*[3] « ad evangelizandum pauperibus est missus », *qui*[4] et pauper nascens, pauper vivens et pauper moriens, evangelium suum evangelizavit clamans: « Beati pauperes », « vae vobis divitibus » — non explicatur, *repeto,*[5] quod in paroeciis huius Ecclesiae a tali Iesu Christo fundatae, instituantur differentiae classium fundatae in eo quod, toto caelo, distat a littera et spiritu Evangelii, videlicet in maiori vel minori erogatione pecuniae seu mammonae.

Secunda ratio: Non patet quomodo hodiernae tabulae taxarum, reddentes maiores honores divitibus, minores autem pauperibus, facile effugere valeant illam durissimam Beati Iacobi Apostoli obiurgationem contra acceptionem personarum, consistentem praecise in eo quod in conventibus seu ecclesiis christianorum maior honor exhiberetur divitibus, minor vero pauperibus: « Etenim si introierit in conventu vestro vir aureum anulum habens, introierit autem et pauper in habitu sordido... ». *Omitto explicationem, brevitatis gratia, et prosequitur*:[6] « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? Divites in fide... etc. »; et clauditur severissima illa apostrophe: « Vos autem exhonorastis pauperem ». Exhonorastis pauperem, exhonorastis pauperes, ...[7] praevocati, praedilecti in Ecclesia, prouti innuit S. Iacobus in hoc *ipso*[8] loco et eloquentissime exponit Bossuet in illo suo celeberrimo sermone « De eminente dignitate pauperum in Ecclesia Dei ».

Tertia ratio: Totum hoc systema diversarum classium et taxarum, ansam ineluctabilem praebere potest, et de facto praebet, gravissimis iniustitiis socialibus, ita ut saepe saepius videatur quod alicui personae pientissimae, sed pauperi, quae tamen tamquam paupercula illa gazophylacii non semel totum quod habebat, parum quidem, sed totum *quod habebat,*[9] pro necessitatibus Ecclesiae aut pauperum dedit, deinde infimae...[10] classis in ecclesia tribuantur et honores et exsequiae, dum e contra, cuilibet diviti, qui epulabatur quotidie splendide, quin umquam nec nummum nec micam panis pauperibus erogaret, immo operariis suis iustum salarium denegaret, primae et primissimae classis honores tribuuntur et pompae, ea unica ratione quia exsolvit taxas pro eis requisitas, quamvis comparatae copiis suis incomparabiliter minus et significent et sint quam duo illa minuta aera quae in gazophylacium misit paupercula illa vidua.

Quarta et ultima ratio ...

Praeses card. RUFFINI: Rogo, exc.me Domine, ut optimum sermonem tuum concludas!

Orator: Concludo. Quarta et ultima ratio: quia haec omnia, si umquam alias, nostris hisce temporibus, magnam movent sive fidelium, sive maxime infidelium, indignationem immo et scandalum...[11] *Itaque,*[12] em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres, *audistis meam propositionem.*[13] Totus mundus, sed praecipue pauperum et operariorum, haec a Concilio exspectat. Et iure quidem. Secus deceptos et illusos *a nobis* [14] sese credent...[15]

Si ergo tanta esset humilis propositionis meae fortuna, ut remitteretur hic, vestris suffragiis subiicienda, rogo humiliter vos ut vestrum « placet » ei detis, quia erit « placet » vestrum dare Christo, iustitiae et pauperibus. Dixi.

[*Quidam Patres plaudunt*].

In textu scripto tradito: [1] relinquimus. [2] ut. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] illa durissima obiurgatio quae prosequitur cum illo. [7] pauperes qui sunt praecise praeelecti. [8] eodem. [9] deest. [10] tamen. [11] qui capere non possunt quomodo in ecclesiis Iesu Christi, amatoris praecipue pauperum, maiores honores et pompae tribuantur, primae classis nempe, divitibus, non quia meliores christiani sint, sed unice quia sunt divites, taxas primae classis exsolventes; dum e contra, honores inferiores, immo et infimae classis, exhibentur pauperibus, quantumvis meliores christiani sint, ea unica ratione, quia pauperes sunt et superiores taxas pecuniarias solvere non possunt. Optandum igitur omnino, ut s. Concilium tales differentias et taxas ita absolute prohibeat ut illas aut similes non liceat amplius instaurare quavis de causa vel occasione, sive directe sive indirecte, abrogatis et revocatis omnibus legibus et consuetudinibus contrariis. Quae quidem omnia Concilium Oecumenicum perfecte agere valet suprema qua pollet in Universam Ecclesiam potestate. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] agitur enim de problemate quod tangit non solum ipsorum paupertatem, sed et honorem.

Animadversiones additae:

Numerus 31. In Liturgia nulla sit acceptio personarum.

Duo adnotare vellem in hoc numero. Non ad reiicienda, sed potius ad admittenda et corroboranda quae in hoc numero dicuntur, indicando deformationes quae, hac in re, introductae fuere, ad ipsarum reformationem.

1) Quoad honores auctoritatibus civilibus debitos.

2) Quoad acceptionem privatarum personarum.

De singulis separatim loquamur.

I - *De honoribus qui debentur auctoritatibus civilibus.*

In primis: honores qui auctoritatibus civilibus debentur, reddendi sunt. « Cui honorem, honorem » et « regem honorificate ». Sed non nimis. Praesertim quando hoc nimium, prout in casu, in errorem incidere facit fideles.

Cum in praesenti numero agatur « de principiis instaurationis sacrae Litur-

giae » et quidem, in Sectione D), de normis « ex indole communitaria et hierarchica » Liturgiae promanantibus, haec quae sequuntur adnotanda videntur:

a) Principium generale, ex indole hierarchica sacrae Liturgiae promanans et in libris liturgicis expresse consignatum, est quod laici, in functionibus liturgicis, locum quidem suae dignitati convenientem, si de auctoritatibus civilibus agatur, semper autem extra presbyterium occupent (cf. Caeremoniale Episcoporum).

Dicitur enim in Caeremoniali Episcoporum, cap. XIII, n. 13: « Sedes autem pro nobilibus, atque illustribus laicis, Magistratibus et Principibus, quantumlibet magnis, et primariae nobilitatis, plus minusve, pro cuiusque dignitate et gradu, ornatae debent extra chorum et presbyterium collocari, iuxta Sacrorum Canonum praescriptum, laudabilisque antiquae disciplinae documenta, quae inde ab exordiis christianae religionis introductae, a longo tempore servatur ».

Ita ut, prout notatur in quodam prolegomeno in Pontificale Romanum: « Porro sola adeo fuit antiquitus Episcoporum praerogativa in Presbyterio solium suum habere, ut ne ipsis quidem Imperatoribus in Presbyterio consistere permitteretur ».

b) Decursu temporum, et in diversis locis, et propter diversa rerum adiuncta, mos cepit induci magistratus civiles ad presbyterium, sacris functionibus perdurantibus, admittendi et in illo locum occupandi, qui semper et ubique episcopi et clericorum erat proprius; ita ut, non semel, visum fuerit episcopum ad altare locum occupare in cornu epistolae, dum civiles Magistratus in cornu evangelii sub solio consedebant.

c) Cum sacra Liturgia, praeter suam indolem cultualem, rationem quoque induat paedagogicam, et quidem efficacissimam ad populi christiani institutionem atque aedificationem, nemo non videt ex eiusmodi praxi christifideles in errorem induci facillime posse circa respectivam episcoporum et potestatis civilis in rebus Ecclesiae auctoritatem.

d) Optandum igitur ut Sacrosancta Synodus, revocata etiam quatenus opus fuerit qualibet contraria consuetudine, rectum et venerandum ordinem universim instauret, ita ut magistratibus civilibus, salvis aliis legitimis honoribus ipsis debitis, numquam liceat in sacris liturgicis functionibus episcopis suo munere fungentibus praecedere, neve locum in presbyterio occupare superiorem, aut aequalem illi qui sacris ministris tales functiones peragentibus, et maxime episcopis reservatur.

e) Revocata diximus quatenus opus fuerit, qualibet contraria consuetudine. Consuetudo enim — si consuetudo dici potest — quae detrahit honori debito dignitati episcopi, qui ius plenum habet sedendi sub solio in cornu evangelii; consuetudo quae insuper in errorem inducit fideles qui, videntes Auctoritatem Civilem in ipsa ecclesia superiorem locum occupare prae episcopo, putant illam etiam in ecclesia potestatem habere, quinimmo et potestati episcopali superiorem, talem consuetudinem radicitus tollendam et omnimode revocandam esse putamus.

f) Quae omnia, cum de personis catholicis semper agatur, eo facilius et cum magna fidelium atque infidelium maiori aedificatione obtineri poterunt, quo magis illarum personarum, tali munere fungentium fuerit pietas sincera.

Conclusio. Itaque, hic numerus, in sua prima parte, hoc modo redigi posse videtur: « In Liturgia, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, debiti honores, sed ad normam legum liturgicarum, reddendi sunt auctoritatibus civilibus, quaeque proinde, revocata qualibet contraria consuetudine, nunquam debent neque in ecclesiis, neque in quibuslibet functionibus liturgicis,

episcopos praecedere, neque occupare locum superiorem, neve aequalem illi quem occupat Episcopus; quinimmo neque in presbyterio consedere ».

II - *De vitanda acceptatione personarum privatarum aut conditionum.*

Laudabilissima mihi videtur phrasis huius n. 31 schematis in qua dicitur « nulla privatorum personarum aut conditionum, sive in caeremoniis sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio », praesertim — addendum nobis videtur — quae in erogatione pecuniae consistat. Etenim:

1) Non videtur perfecte congruere Ecclesiae Christi, cuius inter fideles nulla debet esse differentia fundata, neque in nationalitate, neque in conditione sociali, ubi, prout dicit Apostolus, « non est Iudaeus neque graecus, non est servus, neque liber, omnes enim vos unum estis in Christo Iesu », ibi statuantur differentiae et « classes », fundatae in aliquo, quod toto caelo differt a littera et spiritu Evangelii, videlicet, in divitiis, in pecunia, in mammona, ita ut divitibus, maiores taxas mammonae praebentibus splendidiores pompae, minores vero et obscuriores pauperibus tales taxas pecuniae erogare non valentibus.

2) Omnibus enim compertum est, saepius, in sacris functionibus peragendis, occasione praesertim Baptismi administrandi, Matrimonii contrahendi, sacri funeris, aliorum id genus absolvendi, magnas et evidentes institui differentias in favorem et acceptionem illarum personarum quae maiorem pecuniae quantitatem offerre valent, non semper absente illa « turpis quaestus specie » de qua can. 1261, par. 1.

3) Non apparet quomodo haec facile componi queant cum Religione fundata a D. N. Iesu Christo qui, prout in n. 1 huius schematis recordatur, « ad evangelizandum pauperibus » missus, praedilectionem suam erga pauperes monstravit, pauper nascens, pauper vivens, pauper moriens, et Evangelium suum praedicans clamando « Beati pauperes » et « Vae vobis divitibus ».

4) Neque evidenter patet quomodo hodiernae tabulae taxarum, reddentes maiores honores divitibus, minores pauperibus, facile effugere valeant illam durissimam B. Iacobi Apostoli obiurgationem: « Fratres, nolite in acceptione personarum habere fidem D. N. Iesu Christi. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens etc. ».

5) Totum hoc systema diversarum classium et taxarum ansam ineluctabilem praebere potest et de facto praebet gravissimis iniustitiis socialibus, ita ut, saepe saepius, mulieri pientissimae sed pauperi, totum tamen quod habet non semel ecclesiae vel pauperibus elargienti, ultimae classis honores in ecclesia tribuantur, dum e contra diviti cuilibet qui elegantissime induitur et epulatur quotidie splendide, quin unquam neque minimum nummum pauperibus largiatur, sed, contra, est operariorum suorum iniustus exactor, honores maximi tribuuntur, sive in celebratione matrimonii, sive in filiorum baptismate, sive in funeribus et exequiis, non alia de causa nisi quia taxas primae classis exsolvit, quae copiis suis comparatae, incomparabiliter minus significant et sunt quam duo illa aera minuta quae in gazophilacium misit paupercula illa vidua.

6) Quae quidem omnia, si unquam alias, nostris hisce temporibus, magnam movent sive fidelium sive maxime infidelium admirationem et non raro indignationem et scandalum.

7) Optandum igitur omnino ut Sacrosanctum Concilium, ratione habita, prae caeteris, radicalium mutationum quae in hac materia mundi conscientia passa est, et magis ac magis in dies passura legitime praevideatur tales differentias et taxas

ita absolute prohibeat ut illas non liceat amplius instaurare propter pecuniam quoquomodo datam sive sacris ministris, sive ipsi ecclesiae, neque erogatam ad splendorem caeremoniae religiosae, utputa cantu, musicis instrumentis, altaris ornatu et aliis eiusmodi.

8) Demum, si in aliquo, saltem in funeribus, servandum est quod insignis liturgista S. Gregorius Magnus docuerat praecipiens « omnia gratis esse praestanda ».

9) Totus mundus, sed praecipue pauperum et operariorum haec a Concilio spectat.

Peragat igitur Concilium contrariis quibuscumque canonibus et consuetudinibus non obstantibus. Concilium enim Oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate.

10) Iam ergo necesse non est addere expurgenda mihi videri ultima verba huius numeri 31 « salvis consuetudinibus ab Ordinario loci approbandis ».

Conclusio. Itaque ultima pars huius paragraphi ita conscribi posse videtur: « Nulla privatorum personarum aut conditionum, sive in caeremoniis, sive in exterioribus pompis habeatur acceptio, praesertim ratione pecuniae, ita ut abrogatis omnibus legibus et revocatis omnibus consuetudinibus contrariis, de medio tollantur omnes taxae, et omnes differentiae classium, et cuiusvis alterius generis, maxime in administratione Baptismi et in celebratione Matrimonii et in funeribus exsequendis. Quinimmo haec ultima omnino gratuita esse oportet.

Praeses card. RUFFINI: Rogo humillime ut abstineatis semper a plausu proferendo, quia etiam decipere potest.

16

EXC.MUS P. D. IOSEPH MELAS
Episcopus Nuorensis

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Pauca quae verba dicturus sum eo praecipue respiciunt ut usus latinae linguae in sacra Liturgia nedum spernendus, aut minuendus vel debilitandus, servandus sit potius et commendandus.

De quo argumento plures hucusque et diversimode locuti sunt, de quo forsan et alii adhuc locuturi erunt. Res igitur urit, ut aiunt, et ipsa agitata quaestio clare demonstrat rem maximi momenti esse. Non enim verba frustra consumuntur cum quid neminis interest; ceterum bonum est ut de eadem agamus quae nec nostra est, nec nostra tangit, sed totam Ecclesiam, et praeteritum respiciens tempus et futurum. Agitur enim quasi de scalpto prismate undequaque observando ut plurimae facies videri possint, quae ab uno vel uno ictu scrutari nequeunt!

Quae hucusque de hoc dicta sunt maximo quo par est studio audivi et omnino patet duplicem esse summatim in Concilio opinionem: fa-

vorabilem primam, contrariam alteram; et argumenta perpendi quae ab utraque parte adducta sunt ad suam sententiam firmandam. Liceat et mihi, episcoporum minimo, et meam aperire mentem, in hoc amplissimo consessu, in quo filiorum Dei et praecipue episcoporum Domini libertas, qua libertate liberavit nos Dominus, honorem nobis confert quae in animo sentimus pandere. Si fieri posset, vellem in statera probare partium iura et sententias. Argumenta eorum qui in sacra Liturgia latinum idioma retinendum esse putant longe maius validiora censeo quam ea quae illud abolendum esse credunt.

Qui latinae linguae adversantur Patres nequeunt et ipsi aestimationem et admirationem non sentire, et cum in certamine descendunt practicum sibi proponunt finem ut animas facilius attingere valeant. Quod tamen melius faciliusque aliter obtineri poterit. Qui ita sentimus non ideo spernendam aliorum sententiam putamus, eorumque sollicitudinem perpendimus. Optandum ut et ipsi similiter erga ceteros se gererent, ut S. Ecclesia suo modo nos docet.

Certissime in errore versari mihi videntur qui credant et fratres ab Ecclesia seiunctos ad unitatem facile revocari, et fideles in religione desides ad meliorem et actuosam vitam christianam reduci si in sacra Liturgia pro latina lingua vernaculus sermo adhibeatur. Norunt omnes rem nimis implicatam esse, et causis plurimis tribuenda esse sive fidelium discessum a vita sacramentali, sive aliorum christianorum separationem!

Utinam verum esset ut horum malorum quae lugemus causae in usu latini sermonis invenirentur! Facillimam certo invenire esset medicinam!

Non aeger morte, sed medicina curatur; nec aedes demolitione sed refectione reparantur! Et dum nova cum fidelibus quaeruntur ligamina, quae nulla hucusque firmitate pollent, cavendum erit ne perantiqua vincula frangantur quae et temporis et spatii sunt fortitudine probata, neve nova quaeratur via nondum bene cognita, veteri et iam probata relicta. Denique, ut paucis dicam, nulla est convenientia inter id quod quidam assequi volunt, idque incertum et disputabile, et quod certo demolitur nec postea facile restitui poterit!

Ceterum qui latinum idioma servandum esse censemus, procul dubio nolumus illud cunctos fideles docere; neminem fugit tamen etiam vulgares linguas non omnibus bene cognitas esse, et communem ignorantiam nimis crassam et supinam esse plus quam credi potest. Unde et novae omnino exsurgerent difficultates ex ipsa novitate sermonis, ut clare et sapienter a quibusdam Patribus pluries dictum est!

Sunt qui velint latinam linguam prorsus abolendam, quod sit mortua lingua! Agitur e contra de idiomate quod singularem habet locum in

litterarum provincia, nec aliud est idioma quod ei comparari possit. Mortuane putanda est lingua quam bis mille et quingenti Patres ex universo orbe collecti, immo et selecti, ita norunt ut eamdem et loqui simul et intellegere sciant, eaque utantur ad quaelibet quam graviora argumenta tractanda, ut facile videre est? Sacrum Concilium, etsi vix initum, praeclarum argumentum iam praebere potuit, paucis utique diebus, quam mirabile sit spectaculum quod Patres omnes, ex omni lingua et populo et natione, Romae coadunati latine loquantur, et inter se communicare valeant, humana Babele tandem aliquando superata! Liceat Patribus qui ex longinquis terris provenientes hic adsunt, ut puta ex Africa, vel Asia, aut Australia, vel etiam ex extrema Iaponia, quique iam locuti sunt, ut nuperrime audivimus, admirationis sensus ex animo proferre quod mentem suam perbelle aperuerint, ita ut audire eos et intellegere potuimus. Placet immo desiderium promere ut saeculare idioma in posterum amplius meliusque doceatur, et quoad fieri poterit pari modo discatur, quibusdam sublatis differentiis quae ad pronuntiandi rationem pertinent, quandoque nimis barbaram et fere incomprehensibilem!...

Sacrosancta Synodus Oecumenica dicitur, atque talis revera est multiplici quidem ratione: quod omnes Patres S. Ecclesiae comprehendat, quod argumenta universum orbem cunctosque homines respicientia agitet, quod Christi amor cor unum animamque unam nos efficiat, quod denique unius labii ore loquamur! Ideoque quamquam multi, unum tamen sumus!

Audivimus claram vocem cuiusdam Patris asserentem in quibusdam regionibus plurimos homines legere non novisse, et qui legere norunt magis audire velle quam legere! Quod revera dolendum est. Nos autem omnia natura sua optima esse arbitramur, et maxima esset pernicies — proh dolor! — si mundo ita semper vivendum esset. Abhorret mens ne credat ita in posterum res semper habituras. Idem de persecutionibus quibus sunt plures nostri in Christo fratres subiecti. Quod utique nimis lamentabile est, sed fides nos docet non ita semper similiter et in posterum futurum esse!

Haec ad nos. Quod vero fideles respicit suadendae sunt et commendandae vernaculae versiones, quae iam largius et laudabiliter vulgatae sunt non sine maximo animarum profectu. Sacra Liturgia, et ipsa qua profertur lingua, sunt grave unitatis signum omni sollicita cura tuendum.

Quod denique ad capita constitutionis attinet, sinite me anxio trepidoque esse animo cum pluries legere datum est Conferentiis episcoporum aut commissionibus liturgicis facultatem tributam esse quaedam innovandi sive quoad ritus, sive quoad vernaculam linguam quandoque

adhibendam. Si talis esset mihi vox quae altius longiusque audiri posset, humiliter commendare vellem ut pauca tantummodo, et caute quidem, immutarentur, omni adhibita cura ne fidelium sensus offendatur nova subito introducendo, praecipue *v. g.*[1] quoad Communionem sub utraque specie etiam laicis concedendam, et Missae concelebrationem, nisi agatur de paucis...

Praeses: Rogo, exc.me Domine, hoc argumentum est extra caput nunc considerandum et tempus tibi concessum iam effluxit...

Orator: Duo tantummodo verba... nisi agatur de paucis tantummodo casibus... ad amussim definiendis...

Praeses: No! No! Rogo ut finem imponas...

Orator: ... sed de hoc suo tempore agetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

17

Exc.mus P. D. CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

Em.mi et exc.mi Patres,

Ne videar repetere id quod iam dictum est, tantum animadversiones meas enuntiabo.[1]

1. Lingua latina pro fidelibus totius mundi est hereditas Sanctorum Patrum et revera monumentum per quod recepimus fidem, i. e. normam precandi et ...[2] normam credendi.

2. Istis diebus omnes populi magni faciunt humanas culturas, monumenta antiquitatis et hereditatem suorum patrum.

3. Ideo magni momenti est pro nobis retinere linguam latinam, non tantum uti medium ad fidem tuendam et illam docendam, sed etiam uti instrumentum ad essentiales sacramentales liturgicas actiones praeservandas, et speciatim pro Missa, quae revera est monumentum fidei nostrae.

4. Quod si linguae vernaculae adoptentur ut linguae liturgicae, quae linguae adoptari debent, cum tot multae dentur linguae vernaculae, etiam in una eademque regione, immo in eadem dioecesi, ut accidit in India, *et v. g. in mea dioecesi ubi saltem tres linguae loquuntur?*[3]

5. Caveamus ne linguae vernaculae, causa discordiae et divisionis in Ecclesia evadant.

6. Bona pars populorum uniuscuiusque regionis non intelligit lin-

guas vulgares quamvis officialiter nationales vocantur, quia populus dialectis utitur. Ideo potius *explicationes* necessariae sunt, linguis popularibus adhibitis, quam introductio novarum linguarum in Liturgia.

7. Linguae vulgares subiectae sunt mutationibus; si ipsae adhibentur in Liturgia, Ecclesia saepe, *persaepe,*[4] deberet inducere mutationes in libros liturgicos.

8. Nostris diebus Rectores *populorum* [5] rerum publicarum libenter acceptarent unam linguam pro conventibus universalibus, si aliquam facile *invenire possent.*[6] Hac ratione Esperanto inventus est. Nos qui hoc donum divinum *recepimus,*[7] illum amare et retinere debemus.

9. Erroneum est putare quod lingua latina magni fit in nationibus sic dictis latinis, propter derivationem linguarum vulgarium ab ea. Revera omnes linguae, etiam illae quae originem non habent a *lingua latina,*[8] multa verba, speciatim technica et scientifica, a latino et graeco mutuo recipiunt.

10. Etiam pagani in eorum liturgiis non utuntur linguis vulgaribus, sed linguis classicis iam mortuis, v. g. Hindus *in India, qui sunt revera magna pars populi Indiani (ex 430.000.000 animae, saltem 400.000.000 sunt Hindus*),[9] non utuntur Hindi, Bengali, Punjabi, Gujarati, Marati, Konkani, Maleyalam, etc., sed lingua sanscrita, *quae mortua est ut lingua latina et immutabilis est ut lingua latina.*[10]

11. Lingua liturgica mysteria debet enunciare. Ista quam difficile enuntiantur linguis vulgaribus, facillime vero *enunciantur lingua latina.*[11]

12. Etsi una tantum lingua vernacula adesset, in unaquaque dioecesi, simus sinceri, introductio istius linguae in Liturgia eritne revera efficax adiutorium pastorale et didacticum?

13. Quando sacerdos legit, etiamsi ecclesia fuerit parva, et ipse faciem ad populum vertat, generatim vox ita debilis est ut clare non audiatur, etiam si lingua vernacula utatur. Media moderna radiophonica, in hac venerabili Basilica adhibita, non inveniuntur in maiori numero ecclesiarum Africae, Indiae, Alasckae, etc.

Id quod revera necessarium est, ut nostra Liturgia evadat medium didacticum et pastorale, est zelus apostolicus sacerdotis, qui in praedicatione zelanter explicet linguis *popularibus, magis quam* [12] vernaculis, divina mysteria per Liturgiam expressa.

14. Si *liturgicae* [13] linguae multae essent, quid eveniret in Conventibus, Congressibus, etc., ubi conveniunt sacerdotes ex universo orbe? Confusio magna. Unusquisque sacerdos deberet secumferre Missale, Rituale etc. et nemo, ex loco, posset illum adiuvare. Nunc ubique terrarum omnes celebrare possunt, *et* [14] etiam parvuli *illius loci* [15] adiuvare pos-

sunt, populus se iungit sacerdoti et intelligit quid facit, *actiones liturgicas nempe,*[16] etiam si non intelligit verba.

15. Ideo *vellem proponere*[17] quod, in futuro:

a) Maiori cura Missalia, Ritualia et omnes libri liturgici traducantur in omnibus *linguis popularibus.*[18]

b) Quod Epistola et Evangelium, in Missis pro populo, legantur in lingua *populari*[19] tantum, et quidem alta voce uti fit in praedicatione Verbi Dei. *Qui legit non declamat. Ideo deberet esse lectio declamationis, eo quod aliter fideles non intelligerint, non audierint praecise.*[20]

c) Ut minister sacramentorum et celebrans in Missa facultatem recipiat explicandi in linguis vernaculis *vel potius popularibus*[21] partes maioris momenti tum sacramentorum quam Missae, quin haec explicatio interruptio Missae consideretur.

d) Ut ubi fieri potest commentator permittatur qui, dum Missa offertur et aliae actiones liturgicae peraguntur, illas explicet linguis *popularibus.*[22]

Hoc modo puto nos omnes contentos esse debere, quia latina lingua ut lingua proprie liturgica *permanebit,*[23] et ex alia parte, per quantum possibile est *et fieri potest,*[24] providetur pro usu linguarum *populorum,*[25] secundum necessitatem et zelum pastoralem. *Et puto quod n. 24 uti est deberet approbari.*[26]

In textu scripto tradito: [1] Permulta iam dicta sunt circa linguam liturgicam, tam circa praeservationem linguae latinae, quam circa introductionem linguarum vernacularum in Liturgia, praesertim ubi agitur de indole pastorali et didactica ipsius s. Liturgiae. Eo quod solutio istius rei est revera magni momenti, liceat etiam mihi, minimus inter Patres, aliquas animadversiones proponere. [2] per ipsam. [3] v. g. in mea Dioecesi Lucknowensi? [4] deest. [5] deest. [6] invenirent. [7] habemus. [8] latino. [9] deest. [10] deest. [11] latine. [12] deest. [13] Liturgiae. [14] deest. [15] illos. [16] i. e. actiones liturgicas. [17] propono. [18] vernaculis linguis. [19] vernacula. [20] deest. [21] deest. [22] vulgaribus. [23] remanebit. [24] deest. [25] vernacularum. [26] deest.

18

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHOISWOHL
Episcopus Secoviensis

Venerabiles Patres,

Nolo repetere quae iam dicta sunt, quare scriptum meum secretariatui generali tradam.

Unam quaestionem et unam commendationem liceat mihi proferre:

Rogare vellem pastores huius Urbis aeternae num quoad sacrae Missae frequentiam et quoad actuosam populi participationem contenti sint.

Patribus autem commendo ut diebus dominicis ab ecclesia ad ecclesiam eant et Missas frequentent, sicut ego feci dominicis praeteritis, et etiam hoc respectu diiudicent de hoc schemate.

Quod sufficiat!

Textus scripto traditus:

Schema de sacra Liturgia, sicut permulti Patres desiderabant, usum linguae vernaculae praeter linguae latinae usum praevidet. Contra hoc obiectum est: in quibusdam regionibus exclusive linguam latinam in usu esse et nihilominus diebus dominicis ecclesias fidelibus esse plenas; et ab aliis, Ecclesiae unitatem in periculum vocari et fidelium sensum perturbari, si in sancta Missa etiam lingua vernacula adhibeatur.

Ad has obiectiones haec animadvertere velim:

1. Lingua latina nullatenus removeri debet. Quoties autem de Verbi Dei annuntiatione agitur, hoc verbum etiam a populo ita percipiendum est, ut immediate in fide confortetur et ad Deum cum laetitia laudandum incitetur. Deus vinculo linguae non ligatur. Sicut Christus praedicans et orans lingua paterna usus est; ita et in oculis suis gratum erit, si eius membra, christiani, doctrinam et orationem in lingua ipsis nota et cara comperiant. Hoc valet etiam de sancta Missa, quatenus non agatur de ipso sacro mysterio, quia intelligentia fidei eiusque actuatio immediata in oratione non impediri, sed foveri debet. Secundum voluntatem Christi « omni creaturae praedicetur », quod intra sacram Liturgiam etiam et imprimis per Sacrae Scripturae verba efficiatur. Quomodo autem « fides ex auditu » oriri potest, nisi lingua omnibus intelligibili?

2. Sit libertas in usu linguae vernaculae intra fines a schemate indicatas. Ubicumque, usu linguae latinae non obstante, participatio activa populi floret, status hodiernus manere poterit. In aliis autem regionibus, ubi usus exclusivus sermonis latini servabatur, participatio liturgiae modo deplorando collapsa est. Partim post primum bellum mundiale per usum linguae vernaculae concomitantem fideles attrahi poterant. Nunc ibi etiam fructuosa populi participatio floret, sed propter auxiliarem usum linguae vernaculae. Nonne esset magis conveniens, ipsos ministros liturgicos lectiones et orationes pronuntiare in lingua vernacula, quam commentatorem seu interpretem, qui personam celebrantis obscurat? In sacra Liturgia nolumus substitutum, ni dicam « coadiutorem » celebrantis haud aptum, sed quatenus fieri potest volumus coniunctionem inter sacros ministros et populum fidelem, qualem ritus orientales adhuc magis retinent.

Ceterum pastores in ipsa Urbe aeterna rogare vellem, num et quoad sacrae Missae frequentiam et quoad activam participationem contenti sint. Status etenim non exemplaris esse videtur. Commendo Patribus, ut diebus dominicis ab ecclesia ad ecclesiam eant, sicut ego feci dominicis praeteritis, et mea verba melius intelligent.

3. Nemo ne unum momentum quidem cogitat, unitatem Ecclesiae eiusque doctrinae in periculum vocare. Propugnatores solius linguae latinae adhibendae

pondus huius argumenti exaggerant. Sunt multi homines, qui idem idioma loquuntur, inter se autem maxime dissentiunt. Nos, catholici, secundum posse etiam lingua, magis autem corde uniti esse debemus et volumus.

Ceterum in Ecclesia lingua liturgica non est una, ritus orientales variis linguis utuntur, immo in ritu Romano in quibusdam regionibus Missa lingua slavica celebratur, ut iam alii Patres demonstrabant. Et quis auderet dicere, hos populos eorumque pastores, qui in medio nostrum sunt, minorem unitatem communionemque cum Ecclesia habere, aut Sanctam Sedem per approbationem huius usus unitatem in discrimen vocavisse?

Certe ferventes unitatis assertores sumus, non autem uniformitatis. Perniciosum esset in Ecclesia omnia aequare velle, putans se ita unitatem servare. Hoc aequationis uniformitatisque studium in sic dicto totalitarismo locum habet; ubi autem spiritus Dei, ibi libertas, caritas, pax et communio.

Hoc spiritu animati, isti Patres, qui consueta diligunt, sollicitudinem quoque eorum intelligere velint, qui, oves perditas recuperare vel infideles attrahere adlaborantes, thesauros sacrae Liturgiae uberes omnibus quam maxime aperire student.

19

EXC.MUS P. D. CAROLUS WEBER
Episcopus Iceuvensis

Carissimi Patres et Fratres,

Vobis data est occasio salvare populum christianum a materialismo et ab atheismo. Haec *occasio unica est* [1] in hoc Concilio et ultima est in hoc saeculo!

...[2] Est pestis contagiosa quae cecidit super fideles in omni terra, nempe, materialismus et atheismus. Sic per materialismum permulti fideles iam divisi sunt inter Deum et mundum.

Fides eorum tendit quidem ad Deum, sed tepida est vel iam mortua, quia non profert opera caritatis. Caritas vero directa est ad cor proprium. Homo sic divisus minimum curat de Deo, nihil de proximo. Hac de re debiles facti sunt *christiani nostri* [3] et tentationibus materialismi resistere non possunt. Christiani in omni terra fortes fieri possunt per Liturgiam tantum. Caritas efficax erga Deum et erga homines ex Liturgia nascitur. Liturgia vero maiorem potest producere fructum, si in lingua vernacula populo offertur. Lingua vernacula cum caeremoniis ingenio populi congruentibus meliorem producit intelligentiam, ex *qua* [4] affectus oritur, qui affectus maxime necessarius est, quia Liturgia postulat a fidele ut sese abneget, ut portet crucem suam quotidianam, ut sacrificia continua praestet.

Hac de re, Patres et Fratres carissimi, elargiamini corda vestra et concedatis Liturgiam in lingua vernacula. Periculum de die in diem ap-

propinquat nostros fines. Hostis atrocissimus composuit aciem suam ordinatam fortissimam et numerosam. Et acies nostra est christiana.

Porro:[5] Unio populorum praeparatur et in Africa et in America meridionali et in Europa Occidentali. Quaevis unio *civitatum*[6] constituitur vel cum Ecclesia vel sine Ecclesia. Si fiet sine Ecclesia, tunc in spiritu fiet materialismi et in spiritu atheismi *et contra Ecclesiam se vertet.*[7] Ubi sunt christiani tam eruditi et ferventes qui civitates adhuc mundanas mutare possint in christianas? Hac de re erudiantur *in illis regionibus*[8] homines qui ex Liturgia formati sunt; quae Liturgia, ex ingenio proprio gentis suae orta, omnino christiana facta est. Hi sunt homines apti qui gentem suam salvare possunt a materialismo et ab atheismo. Et possunt quia non speciem praeseferant eruditionis extraneae...[9]

Porro:[10] Sed nulla, etiam lingua latina, per se non est vinculum unionis. Quare? Quia bonus homo et malus utuntur eadem lingua hic ad bona verba, ille ad mala verba producenda. Tamen habetur vinculum unionis: quod est caritas. Caritas sola *est vinculum unionis inter homines.*[11]

...[12] Hac de re instantissime rogo Patres Concilii ut quam primum porta sancta Liturgiae aperiatur: et omnis populus sciat quod habeat ius ad Liturgiam in lingua sua vernacula. Etiam ius detur populis ad caeremonias vel ritus qui correspondent ingenio quod huic populo tantum est proprium. *Instantissime rogo Beatissimum Patrem nostrum Papam ut convocet expertos quam primum, qui experti convenientes, statim opus de Liturgia restauranda incipiant et perficiant in circulo vel duorum vel trium annorum. Non in circulo decem vel viginti annorum: hoc tempore mundus, et nos cum mundo, possumus perdi!*[13]

Ex quibus sequitur: data permissione populis quod in Liturgia lingua vernacula uti possunt, totum schema de Liturgia uti iacet accipi potest et in praxim deduci.

Periculum instat! Ne tempus perdatur, *tempus pretiosum, pretiosissimum,*[14] per discussionem aliquarum sententiarum minoris momenti. *Quid prodest si huic sententiae absciditur manus, aliae sententiae absciditur pes et per hanc fortasse sententiam magni momenti item caput absciditur?*[15] Hostis paratus est. Et acies nostra quam proxime etiam parata sit! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] est unica occasio. [2] Primo: [3] deest. [4] quibus. [5] Secundo: [6] deest. [7] Vertetur contra Ecclesiam. [8] deest. [9] E contra in Sinis missionarii per saecula « Yan kueize » diabolus foraneus maledicti sunt et religio semper denotata fuit Yang Chiao « Religio foranensis ». [10] deest. [11] inter homines est vinculum unionis. [12] Quarto: [13] Rogo instantissime ut beatissimus Papa convocet expertos quam primum. Qui con-

venientes incipiant statim opus Liturgiae et circulo 2 vel 3 annorum perficiant. Quinto: Ne oriatur timor aliquis propter linguam vernaculam: nec orietur schisma nec haeresis. Schisma oritur si quis hierarcha non vult se subiicere superiori suo, sed independenter vult regere gregem suum. Hoc patet ex historia Ecclesiae. Haeresis communiter oritur ex superbia theologorum, qui per scientiam caeci facti noluerunt agnoscere errores suos. Sed homo per Liturgiam cultus contentus est et humilis et patiens factus etiam oboedit mandatis episcopi. Lingua latina est et permaneat lingua *officialis* in Ecclesia. In ipsa lingua depositum fidei servatur ita ut omnibus populis sit et maneat norma credendi immutabilis. [14] deest. [15] deest.

20

EXC.MUS P. D. CAROLUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Em.mi Legati Praesides, em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

De eis quae scripsi solummodo duo vel tria legam, quia alia iam dicta sunt et scriptum meum iam feci ante quattuor dies, et solummodo duo vel tres animadversiones quae, reor, adhuc non factae sunt.

De lingua latina, nempe, loquar, saltem pro terris quae ad culturam occidentalem pertinent. De aliis terris non loquar.

Ex experientia constiti in variis locis sacerdotes quasi cogi ad acceptandas innovationes in Liturgia, non solum in lingua sed et in caeremoniis. Post linguam enim, sicut iam ante varios annos timebamus, post linguam enim venerunt et adhuc venient ipsae caeremoniae, quae mutandae nempe sint iuxta sensum eorum qui novis rebus student. Coactio illa a iuvenibus sacerdotibus fit, ex rationibus pulcherrimis, quas afferunt, ita ut veteres parochi se subiicere debeant, quia nesciunt quomodo resistant quando tot confusiones, ultimis annis, introductae sint. Non solum autem a iuvenibus sacerdotibus sed etiam a laicis aliquando; ab iis laicis qui dicunt laicos nostris temporibus esse adultos in religione nec indigere amplius conductione Pastorum; cum melius sciant quam multi sacerdotes et ipsi episcopi, praesertim veteriores, qui in istis quaestionibus non fuerint modo moderno instructi, cum melius sciant, dicunt, quae in Ecclesia facienda sint. Mutatio linguae periculum fert laicismi! Hodie linguam, cras alia! Hodie cum sacerdotibus, qui se eorum opinionibus praestant, cras contra et super sacerdotes, immo super episcopos. Haec praevidenda sunt a nobis. Nec valet dici nos legibus et prohibitionibus cursum novitatum cohibere posse. Si in tanta re, ut est lingua unitiva in Liturgia romana pro terris Occidentibus, cedemus, alia per se ipsa aliquando evenient.

Praeterea: Participatio activa in Missa non consistit in recitatione earundem orationum ac sacerdos recitat. Attendatur rogo ad hoc! Recitatio earundem orationum potest esse simpliciter externe participare. Participatio actuosa, seu ut dixit S. Pius X, « orare Missam », est cum omni compunctione cordis se in sensus in actus sacrificales Iesu Christi Redemptoris ponere, cum Eo ea facere, quae Ille facit, ut « per Eum, cum Eo, in Eo » ad Patrem veniatur. Ad hoc non est necesse, absolute, ut quis eas orationes recitet quas sacerdos, nec in sua lingua vernacula nec in altera. Si sensum suum ad ea dirigit, intentionaliter saltem, quae a sacerdote nomine Christi in Missa dicuntur vel aguntur, Missam orat, in ea active et fructuose participat. Alioquin Leo XIII non suasisset rosarium in Missa recitare. Alioquin sanctae nostrae matres et aviae, quae fortasse nihil de instauratione moderna Liturgiae sciebant, tot Missis, quibus adsistebant, non participassent. Ne inferamus hoc illis sanctis feminis, quae nobis gratiam sacerdotalem suis orationibus et Missis meruerunt.

Sed etiam populus nunquam, ne prisca quidem christianismi aetate, nec in Occidente nec in Oriente, orationes Missae una cum celebrante dicere consuevit. Semper solum responsiones breviores dabant: « Et cum spirituo tuo », « Habemus ad Dominum », « Miserere nobis », « Deo Gratias », alias, vel faciliores et breviores strophas cantorum seu psalmorum insimul cum choro cantabant. Quare post 1900 annos hoc necessarium erit? Ad illas responsiones dandas nemo est qui eas non discat et comprehendat post aliqualem instructionem.

Meminerimus, precor: ab Offertorio et deinceps in omnibus ritibus ea quae sacrificium directe spectant secrete a solo celebrante vel concelebrantibus dicebantur et dicuntur, cum aliquibus exceptionibus ut v. g. in ritu maronitico verba Consecrationis alta voce promenda sunt. Quod vidimus etiam in ritu byzantino ante duos dies. Consideremus: in ipso silentio populi « mysterium fidei », mysterium Missae exprimitur et psychologice maximam impressionem in animas fidelium producit. Eo quod solus celebrans orationes directe sacrificales recitat, apparet dogma de sacerdote specialiter sacramento Ordinis ad hoc deputato. Delebimusne nos has doctrinales et psychologicas praxes profanis verbis linguarum modernarum? Censeo Sanctos Patres bene scivisse, cur caeremoniae illae a solo celebrante et submissa voce peragendae essent, dum interim chorus concomitante populo alia verba, e. g. psalmum cantaret, vel etiam totaliter sileret.

Alia iam dicta sunt, sed adiicio aliquid ad nn. 24, 21 et alios.

Conferentiis nationalibus, iudico, nullum moderamen nec ulla iurisdictio super episcopos dari potest. Est contra constitutionem divinam

Ecclesiae, iam fuit dictum. Episcopi soli unico Romano Pontifici subiiciuntur. Non habemus metum de Romano Pontifice, non habemus metum de Organis Romani Pontificis, id est de Romana Curia seu de eis qui res a Romana Curia nobis transmittunt. Sed habemus metum de intermediariis qui censent se habere potestatem super episcopos quia aliqualiter super eis stare videantur. Uni soli Pastori Universali subiecti sumus et quidem maxima cum laetitia et amore.

Textus scripto traditus:

Ad n. 24, pag. 167, lin. 10 sq. *De lingua latina servanda.*

Non loquar, venerabiles Patres de rationibus pro utenda lingua latina in ritu occidentalis Ecclesiae. Quae sunt pro, et quae sunt contra, a Patribus Conciliaribus clarissime proferuntur vel prolata iam sunt, atque a nobis maxima cum consideratione attenduntur. Quamquam mihi ipsi plus quam omnino persuasum habeo, rationes contra non posse praevalere unquam adversus rationes in favorem. Quidquid proferatur, pro me certum est linguam latinam esse conservandam, saltem in nationibus, quae ad culturam occidentalem pertinent.

Volo simpliciter quaedam exponere de experientia in hoc themate.

1. Ab aliquibus episcopis Sinae hic praesentibus, de illis missionibus benemeritis, qui signa confessionis in suis corporibus praebent, audivi se nunquam percepisse Sinos aliquam difficultatem invenisse in sequendo nostra lingua ritum catholicum. Nescio, an alii episcopi sinenses alius sint opinionis.

2. In variis colloquiis cum sacerdotibus et imprimis laicis laete constiti eos omnino linguam latinam in Liturgia, saltem in Missa, servandam optare. Posse ecquidem quaedam in lingua vernacula recitari, ut mos est verbi gratia in Germania, et adiungo: ut in schemate praevidentur; attamen omnia ut hucusque, quae latine, ita etiam permanere debere. Quid facerent, dicunt, quando in Sinam aliquando venerint et Missam lingua incognita celebrari viderint? Quid facerent sinenses, si aliquando ad Americam se conferrent? Num sacerdotes quocumque ierint proprium suum Missale secum ferre deberent?

Affirmare posse mihi videtur hanc opinionem (de non mutanda lingua) esse tam universalem, ex colloquiis concludo, ut ne quidem decima pars intra centum pro mutatione opinari. Dicebatur adhuc, nisi essent theologi, qui motionem pro vernaculo incepissent et de hoc multoties scriberent et sermocinarentur, nisi essent iuvenes sacerdotes, qui motione hac exaltati facti essent, forsitan neminem de ista re cogitare.

Constiti praeterea in variis locis sacerdotes quasi cogi ad acceptandas innovationes, non solum in lingua sed et in caeremoniis. Post linguam enim venerunt et venient ipsae caeremoniae, quae mutandae nempe sint iuxta sensum eorum, qui novis rebus student. Coactio illa a iuvenibus sacerdotibus fit, ex rationibus pulcherrimis, quas afferunt, ita ut veteres parochi se subiicere debeant, quia nesciunt, quomodo resistant, quando tot confusiones introductae sint. Ast non solum a iuvenibus sacerdotibus. A laicis quoque, qui dicunt laicos nostris temporibus esse adultos in religione, nec indigere amplius conductione Pastorum; cum melius sciant quam multi sacerdotes et episcopi, praesertim veteriores, qui in istis quaestionibus non fuerint modo moderno instructi, quae in Ecclesia facienda sint. Mutatio linguae periculum fert laicismi!!! Hodie linguam, cras alia! Hodie cum sacer-

dotibus, qui se eorum opinionibus praestant. Cras contra et super sacerdotes, immo super episcopos. Haec praevidenda sunt a nobis. Nec valet dici nos legibus et prohibitionibus cursum novitatum cohibere posse. Si in tanta re, ut est lingua unitiva in Liturgia romana, cedemus, alia per se ipsa aliquando evenient.

3. Participatio activa in Missa non consistit in recitatione earundem orationum ac sacerdos recitat. Attendatur rogo ad hoc! Recitatio earundem orationum potest esse simpliciter externe participare. Participatio actuosa, seu ut dixit S. Pius X « orare Missam » est: cum omni compunctione cordis se in sensus et actus sacrificales Iesu Christi Redemptoris ponere, cum Eo ea facere, quae Ille facit, ut « per eum, cum eo, in eo », ad Patrem veniatur. Ad hoc non est necesse, ut quis eas orationes recitet quas sacerdos, nec in sua lingua vernacula nec in altera. Si sensum suum ad ea dirigit, intentionaliter saltem, quae a sacerdote nomine Christi in Missa dicuntur vel aguntur, Missam orat, in ea active et fructuose participat. Alioquin Leo XIII non suasisset rosarium in Missa recitare! Alioquin sanctae nostrae matres et aviae, quae fortasse nihil de instauratione moderna Liturgiae sciebant, tot Missis, quibus adsistebant, non participassent. Ne inferamus hoc illis sanctis feminis, quae nobis gratiam sacerdotalem suis orationibus et Missis meruerunt! Concludamus: non est necessarium, ut in lingua propria quis Missam oret.

4. Populus nunquam, ne prisca quidem christianismi aetate, nec in occidente nec in oriente, orationes Missae una cum celebrante dicere consuevit. Semper solum responsiones breviores dabant: Et cum spiritu tuo, Habemus ad Dominum, Miserere nobis, Deo gratias, alias, vel faciliores et breviores strophas cantorum seu psalmorum insimul cum choro cantabant. Quare post 1962 annos hoc necessarium erit? Ad illas responsiones autem proferendas lingua latina, nemo est qui eas non discat et comprehendat post aliqualem instructionem.

Sed est potius. Meminerimus, precor: ab Offertorio et deinceps in omnibus ritibus ea quae sacrificium directe spectant secrete a solo celebrante vel concelebrantibus dicebantur et dicuntur, cum aliquibus exceptionibus, ut verbi gratia in ritu maronitico verba Consecrationis alta voce promenda sunt. Quod vidimus etiam in ritu byzanthino ante duos dies. Consideremus: in ipso silentio populi « mysterium fidei », mysterium Missae exprimitur et psychologice maximam impressionem in animas fidelium producit. Eo quod solus celebrans orationes directe sacrificiales recitat, apparet dogma de sacerdote specialiter sacramento Ordinis ad hoc deputato. Delebimusne nos has doctrinales et psychologicas praxes profanis verbis linguarum modernarum? Censeo Sanctos Patres bene scivisse, cur caeremoniae illae a solo celebrante et submissa voce peragendae essent, dum interim chorus concomitante populo alia verba e. g. psalmum cantaret, vel etiam totaliter sileret.

5. Sed perpendendum est praecipue: pauca vel nulla aestimatio multorum erga Missam non venit ex eo, quod Missa latine celebratur. Venit ex pauca instructione populi. Certe exceptiones facere debeo circa quosdam populos. Generatim autem instructio populi non datur, ut oportet. Sunt plures sacerdotes qui catechesim non tradunt. Sermocinantur, panegyria proferunt, indicationes paroeciales legunt. At catechismum non docent. Ad hoc, ad instructionem sufficientem populi attentio nostra adhibenda est, non ad mutationem linguae sanctae Ecclesiae Romanae.

6. Abhinc 10 vel 15 annis, quando in Brasilia movimentum pro adhibenda

lingua vulgari in administratione Sacramentorum incipiebatur, ego dicebam sacerdotibus de hoc enthusiasmatis: nihil conferet ad maiorem devotionem populi, quia eodem modo, quo nunc latine, vos orationes rituales in lingua lusitana pronuntiabitis, id est inintellegibiliter. Et sic revera accidit. Nec sacerdotes propter hoc reprehendendi sunt. Vellem venerabiles Fratres Concilii ad administrationem 400 baptismatum uno unico die Nativitatis Domini in ecclesia nostra de Pari in S. Paulo assisterent. Sacerdotes per binas horas baptizant, per binas confessiones audiunt, per binas Missas celebrant et ea quae Missam concomitantur agunt. Post duas horas quietis denuo binas horas, et binas horas, fortasse ulterius binas horas adhuc. Quomodo verba distincte, lente, externe devote proferent inter infantes flentes et ululantes? Vellem viderent missionarios in silvis nostris, postquam per duas vel plures horas confessiones audierunt, deinde Missam celebrarunt cum instructione populi, tum catechesim dant et demum 30, 40, 60 infantes baptizant. Quis eis aegre feret, quod celeriter agant? cum mox ad aliud sacellum ire opus sit, ubi forsitan immediate confessiones incipiant cum Missa vespertina, et alio die proximo denuo labores suscipiant sicuti die anteriore? Ad quid ergo lingua vernacula?

Ergo, concludamus, veniatur ad Decreta schematis, votationem faciamus, sententiam nostram Concilii sapientissimo Domino Nostro Papae proponamus ad iudicandum. Latine permanebunt, et vernaculo introducentur ea quae oportent.

Animadversiones additae:

Ad n. 6, pag. 161, lin. 27: Quare non indicatur doctrina Tridentinae Synodi: Missae sacrificio omnia peccata etiam immania dimitti? Si doctrinam istam recte intellego, *per Missam* peccata delentur. Sacramento Poenitentiae quidem absolutio a peccatis recipitur; quod tamen Sacramentum efficaciam suam ex Missae sacrificio, utpote ex sacrificio Crucis — quod idem unumque est — depromit. Unde *revera* per Sacrificium Missae peccata condonantur, in quo Victima pro peccatis offertur. Haec doctrina nunquam in libris theologicis et moralibus exponitur; practice saltem non docetur. Quare?

Ulteriore, decursu temporis, praxi omnia peccata mortalia in Poenitentiae Sacramento accusanda sunt, ut poenitens absolvatur. At haec non fuit praxis primorum saeculorum. Ut videndum apud Sanctos Patres. Directa remissio peccatorum *per Poenitentiam* requirebatur solummodo pro peccatis publicis. Alia, mortalia quoque, quae autem occulta erant, non indigebant subiici directe clavibus Ecclesiae in dicto Sacramento. Requirebatur sine dubio iam a pristina aetate (vd. Ep. ad Corinthios) status gratiae pro communione, melius pro participatione in Sacrificio Eucharistico. Sed hic status gratiae contritione quoque acquiri potest. Supposita ergo contritione peccata delentur solo et ipsomet Missae sacrificio. Nonne? Iuxta Tridentinum?

Fideles magna seu maxima ex parte nesciunt, quid faciant cum sacrificio Missae. (Actuosa participatio iis adhuc noviter docenda est). Nesciunt redemptionem suam in Missa semper denuo effici. Nesciunt peccata sua per *Missam* condonari. Nesciunt se per Missam iustificatos ad unionem cum Christo in Deo venire. Multa perpulchra scribuntur de ista incorporatione in Christo per Missam, multa dicuntur de fructuosa, activa participatione. Recte, rectissime. Attamen quomodo se feret maxima pars fidelium, cum maxima pars (ut videtur) peccatis obnoxii ad Missam conveniant? et sentiant se non posse Christo uniri, quia peccatis mortali-

bus irretiti sint? et censeant se a peccatis non iustificari nisi per Poenitentiae Sacramentum?

Si quis autem velit communicare, ad confessionem accedit. *De effectu ipsius Missae non cogitatur!* Estne rectum? Estne iuxta Tridentinum? Nonne inde venit, quod tam pauci Corpore Christi se reficiant?

Si vero — iuxta Tridentinum iudicare videor — fideles edoceantur, se debere puro corde ad Missam adsistere, et proinde ex tota anima peccata detestari oportere, ut veraciter adsistant, contritionem quam maximam elicere de peccatis commissis cum firmissimo proposito ea vitandi, et sic *per ipsum Sacrificium,* per merita Christi sese pro nobis offerentis, se recipere sine confessione remissionem peccatorum etiam immanium et ad communionem accedere posse, — existimo hoc valde fortasse collaturum ad intelligendam Missam, ad eius aestimationem, ad in ea fructuosam participationem. Arceantur, et strenue, peccatores publici (nec adire audebunt), donec poenitentiam agant. Alii invitentur et per Missam semper magis purificentur, peccata sua aliquando data occasione confessuri.

Reapse ab immemorabili hominum persuasione et consuetudine in omnibus sacrificiis, et iudaicis et ethnicis, gentes sperabant se remissionem peccatorum recepturos ex ipsa sacrificii vi. Victima pro peccatis offerebatur; id est: loco peccatorum hostia Deo immolatur. Ista persuasio et consuetudo abolita videtur in religione christiana. Estne rectum? Praxis quidem saepioris confessionis, ut Pius XII dixit, non sine Spiritus Sancti operatione in usum Ecclesiae introducta est. Nonne posset sub eiusdem Spiritus influxu praxis recipiendae remissionis ex sola et intima participatione Missae iterum introduci?

21

Exc.mus P. D. THOMAS MULDOON
Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Em.me Praeses,

Cum multa quae ego dicere volebam iam ab aliis dicta sint, ius loquendi nunc dimitto, exc.mo secretario emendationibus meis traditis.

Tamen magna cum reverentia hoc sequens consilio praesidentiae propono decernendum, scilicet, ut Patrum suffragio statim subiciatur quod omnis sermo de prooemio et de capite I nunc statim terminetur [*plausus*], quodque Patres, qui ius loquendi de his rebus habuerint, emendationes suas in scriptis exc.mo secretario tradant. Dixi. [*Plausus*].

Textus scripto traditus:

Caput I.

I. Prima emendatio ea respicit verba quae in pag. 160 in lin. 11 ss. inveniuntur nempe: « Eucharistiam celebrando, in qua mortis eius victoria et triumphus *repraesentatur* ».

Emendatio haec est: post verbum illud « repraesentatur » addatur haec elucidatio: « i. e. mirabili modo iterum praesentatur seu renovatur ».

Ratio emendationis haec est: ad quid de S. Liturgia tam prolixe loqui si eius fundamenta theologica non clare perspiciantur atque exprimantur? Atqui non obstante traditione nostra et doctrina clara recentiorum Summorum Pontificum, ex experientia constat germanum sensum istius tridentini verbi « repraesentatur » a multis multisque haud clare intelligi. Ergo elucidetur ut ipsum cor Liturgiae omnibus pandatur.

II. Secunda emendatio ea spectat quae in eadem pag. 160 a lin. 16 ad lin. 37, de influxu vitali Christi sacerdotis in Liturgiam, et praesertim in oblationem sacrificii Missae atque in Sacramentorum administrationem, dicuntur.

Emendatio sic se habet: in lin. 23-24, loco verborum « se offert » haec verba substituantur, scil. « actualem sui ipsius oblationem facit »; ita ut tota pericopes sic sonet: « Ipse denique nunc in sacrificio Missae actualem sui ipsius oblationem facit, sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit ».

Et similiter in lin. 22, post verbum « patraverat », haec statim inserantur, nempe: « actuali suae virtutis influxu », ita ut sic legatur: « qui opus salutis, quod degens in terra patraverat, actuali suae virtutis influxu in sacramentis pergit ».

Ratio: eadem est quam supra innuimus. Etenim nemo prorsus non videt hic agi de doctrina cuius gravissimum momentum pro tota re liturgica nimis premi non possit.

III. Tertia emendatio, proh dolor, respicit istam spinosam atque valde agitatam quaestionem de lingua liturgica, quae pag. 167, n. 24 invenitur. Emendatio proponenda, ni fallor, ea quae *nimis generatim* scripta et dicta sunt ad propositum magis determinatum reducit.

Ita *emendatio*: pag. 167 lin. 13, loco verborum « amplior locus ipsi in Liturgia tribuatur, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus » sufficiantur (seu substituantur) haec verba bene determinata: « amplior locus ipsi in administratione Sacramentorum et in sacrificio Missae tribuatur; ita tamen ut usus linguae vernaculae in ritu romano ad eam Missae partem quae Symbolo Fidei nunc absolvitur, omnino coarctetur ».

Et recognoscatur paragraphus immediate subsequens ut cum emendatione congruat.

Ratio haec est: Si lingua vernacula in Missam ritus romani revera invectura sit, deinde saltem *uniformitatis causa* valde vehementerque optandum est ut limen definitivum clare statuatur, ultra quod progrediatur nemo.

IV. Emendatio in pag. 160 lin. 21: deleantur verba « et explicantur ».

Praeses card. RUFFINI: Iam undecim renuntiarunt facultati loquendi, sed nos, ut puto, non possumus prohibere quominus exc.mi et antea em.mi Patres loquantur, quia ita statutum est. Omnes habent libertatem loquendi. Debent esse ipsi Patres, qui renuntiant facultati loquendi, sed eos privare puto nos non posse.

22

Exc.mus P. D. IOSEPH CARRARO
Episcopus Veronensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Conciliares,

« Non in destructionem sed in aedificationem » ipsius schematis, liceat mihi mentem aperire super duo animorum studia seu motiones (italice dicerem: tendenze) quae mihi videntur in expressis hucusque sententiis praecipue emersisse, scilicet: ex una parte emersit zelus salutis animarum omnibus viribus procurandae, praesertim in illis regionibus ubi vires apostolicae deficiunt; ex altera zelus veritatis, unitatis et disciplinae Ecclesiae firmiter servandae et colendae. Attamen neque primi negant necessitatem sacrae doctrinae et ordinatae disciplinae; neque e converso alteri sunt tepidi pro animarum salute et profectu.

Recta ergo et fructuosa progressio motus liturgici requireret, ut opinor, sinceram et realem compositionem inter has duas motiones *seu tendentias.*[1] Ad hoc obtinendum haec humiliter velim proponere:

1. Ut in initio huius primi capitis, cuius titulus est « De Principiis Generalibus », post accuratam Liturgiae definitionem, revocentur stricte et breviter sed lucide nonnulla principia, vere altiora et fundamentalia, quibus dirigenda sit sana progressio spiritus liturgici. Per haec principia, in pluribus documentis pontificiis clarissime iam expressa, enuntientur in primis:

— *finis* ad quem cultus liturgicus ordinatur sive circa Deum, seu Sanctissimam Trinitatem, sive circa homines, eorumque salutem et sanctificationem: finis enim est mensura mediorum;

— *relatio inter cultum externum et cultum internum*, et per consequens necessitas humanae et personalis cooperationis in cultu liturgico;

— *stricta connexio inter cultum liturgicum et doctrinam fidei;*

— et denique *S. Hierarchiae auctoritas* in iis quae pertinent ad cultum liturgicum.

2. Haec distincta et clara principiorum enuntiatio statueret fundamentum et vinculum quo melius connecterentur tum partes huius capitis tum etiam totius constitutionis corpus, et valde conferret ad iustam expositionem, theologice et iuridice diligentiorem.

Haec enuntiatio, praeterea, aequilibritatem introduceret inter vota pastoralia quae opportunas aptationes expostulant, et limites et exi-

gentias quae ab integritate fidei et ab unitate et disciplina Ecclesiae (quae sunt ipsa maxima bona pastoralia) stricte requiruntur.

Haec enuntiatio, tandem, praeveniret scopulos qui possunt occurrere in motu liturgico, de quibus iam dictum est.

3. Ut unum exemplum praebeam de necessitate et de emolumentis huius affirmationis, velit benevolentia vestra tres articulos considerare in folio 162, quorum numeri sunt 7, 8 et 9.

Hi articuli continent tria quae, uti iacent, videntur quasi disiuncta vel simpliciter iuxtaposita; censeo autem ea unum efficere et ad unum tendere, scilicet ut « formetur Christus » (cf. *Gal.* 4, 19) in animis fidelium.

Nonne pietas est anima illarum personalium dispositionum de quibus loquitur art. 7, cum per pietatem potissime christianus virtute corroboretur per Spiritum in interiorem hominem? (cf. *Eph.* 3, 16). Nonne pietas colitur et nutritur piis exercitationibus, quas breviter et generice attingit art. 8, v. g. meditationibus, sacris secessibus, recollectionibus menstruis (et de eis optarem ut mentio explicita fieret)? Nonne pietatem fovent pia exercitia approbata et commendata, ut dicit art. 9 (*commendata,*[2] omnibus ergo abusis et excessibus remotis) ad sanctissimam Eucharistiam adorandam et honorandam (quae explicite commendaverunt *Pius XII in « Mediator Dei »,*[3] in Allocutione pro Conventu Assisiensi, et recentissime Ioannes XXIII in Encyclica *Sacerdotii nostri primordia*), ad Passionem Christi recolendam, ad Beatissimam Virginem Mariam filiali amore et fiducia celebrandam et invocandam? De quibus omnibus, proh dolor! explicitum verbum in schemate non invenio. Nonne una est pietas, cum unus sit Deus Pater, et una fides et unum baptisma (cf. *Eph.* 4, 5)?

4. *Haec... Omitto quae scripseram de applicatione huius aequilibritatis ad n. 24 et tradam ea scripto secretariae.*[4]

5. Unum verbum velim tandem dicere de actione pastorali liturgica promovenda, de qua agitur in nn. 34, 35 et 36, in foliis 169 et 170. Spem colebam quod halitus pastoralis suggereret aliquas lineas circa media practica ad efformandum spiritum liturgicum in animis fidelium; et in primis affirmaret necessitatem ordinatae et animatae formationis catecheticae, utique in *Liturgia, in biblia et in doctrina theologica* fundata, adiunctis subsidiis psychologicis et didacticis, ut actio pastoralis liturgica genuinos et uberiores fructus producat.

Vocem profero prope altare S. Pii X, ad quod, antequam initientur nostri labores, quotidie plurimi Patres Conciliares piissime sistunt in oratione. Pius X, sacrae Liturgiae amantissimus et sapiens instaurator, Eucharistici cultus ac devotionis fervidus promotor, Beatissimaeque

Virgini Mariae specialissime addictus, Pastor animarum in catechesi fovenda studiosissimus, in puritate fidei defendenda et disciplina Ecclesiae servanda firmissimus, ipse sit inspirator, et exemplar, et pro nobis intercedat apud Deum ut, iuxta votum S. P. Ioannis XXIII in Motu Proprio *Appropinquante Concilio,* fructus afferre valeamus « in omni bonitate et iustitia et veritate » (*Eph.* 5, 8-9). Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Pius XII, fel. rec., sive in *Mediator Dei,* sive. [4] deest

23

Exc.mus P. D. CAROLUS FERRERO DI CAVALLERLEONE
Archiepiscopus tit. Trapezuntinus

Venerabiles Patres,

Mea animadversio potest forsitan particularis potius quam generalis aestimari, sed ea radicem figit legitime, mihi videtur, in lineis 2 et 3 pag. 160.[1]

Ideo:[2] Quando decreta vel textus in s. Liturgia statuuntur, unanimiter, puto, exigitur maxima prudentia: ne sterilis cognitio archaeologica fideles impediat legem orandi facile adimplere vel nimia sollicitudo pigritiae fidelium suadeat supprimere aut amputare actiones vel textus non tantum dignissimi antiquitate et usu sed — quod magni interest — splendentes significatione theologica.

Attamen, proh dolor! ab anno 1955, in Ordine Hebdomadae Sanctae — qui tam pulcherrimas actiones ac textus renovavit vel instauravit — breviatae sunt narrationes evangelicae (Matthaei, Marci et Lucae) Passionis Domini Nostri Iesu Christi, quae tamen per quindecim fere saecula, saltem a Leone Papa I, integrae lectae sunt. Consectaria mihi videntur (iuxta meam humilem opinionem et, si tamquam insipiens dico, veniam mihi concedere faveatis, *Patres*[3]), consectaria, dico, sunt liturgice et theologice dolenda et lamentanda. Nam per decursum anni liturgici non amplius invenitur in Missali Romano Evangelium de Divina institutione Eucharistiae: tantummodo in feria V Hebdomadae Sanctae legitur, tamquam epistula, narratio paulina in I ad Corinthios; non amplius intelligitur logice qualis sit proditio apostoli Iudas Iscariotes, quia narratio dramatis exordium ducit, ut ita dicam, ab actu secundo; tandem — et hoc est quod mihi videtur gravius — *facilius fidelibus offertur occasio*[4] et praesumendi in S. Liturgia minorem deve-

nisse aestimationem sublimis illius horae in qua D. N. I. Christus sese totum nobis in Corpore, Sanguine, Anima et Divinitate ad manducandum et bibendum donavit vel retinendi quod institutio Eucharistiae non pertineat ad Passionem Salvatoris nostri Iesu, contra id quod Paulus Apostolus docet: « Quotiescumque manducabitis Panem hunc et Calicem bibetis, *mortem* Domini annuntiabitis donec veniat », quod est dogma in secunda et in tertia linea pag. 160 schematis optime et sollemniter testatum. Instanter, instantius, instantissime exoro ut sacrosanctum Concilium Oecumenicum Vaticanum II votum exprimere velit de renovanda integritate lectionis Passionis D. N. I. Christi, incipiendo a Coena Domini et ab institutione Divinae Eucharistiae, in Missis Dominicae II Passionis seu in Palmis, feriae III et feriae IV Hebdomadae Sanctae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] I) Norma fundamentalis: [3] deest. [4] facilis offertur occasio fidelibus.

Animadversiones additae:

Art. 33 (lin. 28 et 29). Mihi videtur non opportunum difficiliorem reddere possibilitatem celebrandi extra propriam paroeciam primas Communiones et Matrimonia.

24

Exc.mus P. D. GERARDUS VIELMO

Episcopus tit. Ariassensis, vic. ap. Aysenensis

Venerabiles Sacrosancti Concilii Patres,

His omnibus, quae plures Patres egregie iam protulerunt, nihil oretenus addendum censeo, nisi haec quae sequuntur: [1]

Ad cap. I, art. I (pag. 159-162): ...[2] Dicam tantum hunc articulum fortasse esse debere tenoris magis essentialis, synthetici et simplicis, ideoque non multis documentorum citationibus gravatum. Hoc vero duabus de causis:

Prima ratio est quia notabilior materiae pars iam egregie invenitur exposita in Encyclicis Litteris *Mediator Dei;* altera ratio est quia huius Concilii constitutiones in praecipuas mundi linguas vertendae erunt, non tantum in doctorum et studentium utilitatem, sed etiam in ipsius christianae plebis bonum et in omnium gentium lucem et invitamentum: sollicitudo ergo pastoralis postulat ut constitutiones ab hoc Sacrosancto Concilio edendae non tantum soliditate doctrinae eniteant, sed etiam mira

simplicitate formae. Secus multi eas non intelligent et spernent aut seponent.

Ad art. II, n. 11 (pag. 163): Placet valde n. 11, attamen ea quae de *magisterio*[3] theologiae dogmaticae ibi statuuntur incompleta mihi videntur, ideoque complenda. Non enim sufficere videtur ut talis professor connexionem ostendat proprii obiecti cum Liturgia, sed necessarium aut peropportunum arbitror quod theologus, in libris praeparandis atque in lectionibus tradendis, non identidem et quando alia argumenta desunt vel sunt parum firma et perspicua, sed systematice et abundanter, materiam depromat non tantum ex documentis Magisterii, ex Bibliis et ex Sanctis Patribus et Doctoribus, at etiam ex libris liturgicis Orientis et Occidentis.

Et iure quidem, nam Liturgia, in elementis quae communia sunt omnibus ritibus, aeque vel magis quam doctrina Sanctorum Patrum et Doctorum est expressio seu manifestatio Magisterii ecclesiastici universalis ordinarii; et aeque vel magis est sub incessabili moderamine ipsius supremae auctoritatis Summi Pontificis vel Conciliorum Oecumenicorum. Ita se gessit felicis recordationis Pius Papa XII in constitutione *Munificentissimus,* ubi statim post argumentum biblicum et ante argumentum Patrum et theologorum, posuit argumentum liturgicum, depromptum ex Oriente et Occidente. Cuperem ergo ut tandem exemplum illud transeat in methodum et explicite indicetur in hac constitutione de re liturgica...[4]

Ad art. III, n. 16 (pag. 164): Placet summopere. Suggeritur tamen ut statuantur anni non ultra quos libri liturgici universae Ecclesiae recognoscantur atque edantur, exempli gratia, non ultra quinquennium...[5]

Art. III, n. 23 (pag. 167): Placet enuntiatio aureae huius regulae ut ritus scilicet sint simplices, breves, intelligibiles: cuius regulae applicatio certe secumferret ut, e ritu romano ac similibus, auferantur ea quae temporum decursu liturgicas actiones implexas reddiderunt. E. g. in Offertorio Missae Romanae, dum antiquitus sola Oratio super Oblata recitabatur, tempore quo Liturgia minus florebat, quamplures additae sunt orationes quae, fortasse, vel supprimi vel minui possent, una cum nonnullis aliis precibus et gestibus, ut maius tempus relinquatur lectionibus biblicis ad eruditionem populi...[6]

Ad art. III, n. 27 (pag. 168): Placet. Attamen numquam obliviscendum videtur quod sacerdos celebrans est praeses seu caput totius plebis circa ipsum adunatae. Inconveniens proinde videtur quod ipsius vox seu oratio operiatur seu turbetur aliorum cantibus aut vocibus aut instrumentis. Ergo actuosa participatio fidelium promovenda videtur hoc sensu, quatenus populus vel idem faciat et dicat cum sacerdote, vel

ei respondeat ac similiter. E contra saepissime ista fidelium actuosa participatio ita ad praxim deducitur ut alia lingua utantur et alias preces dicant sacerdos et populus, quod certe et dignitati celebrantis et unitati ritus et cordium nocet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] *Ad titulum et ad prooemium* (pag. 157-158):

Schema constitutionis de sacra Liturgia praebet principia et normas *romanum* ritum spectantia, sed quae etiam ad alios ritus orientales et occidentales identidem applicari possunt aut debent.

Nihilominus in hoc res proponendi modo advertitur quidam defectus concinnitatis, sive relate ad naturam Concilii eiusque finem, sive relate ad ipsius constitutionis titulum.

Etenim Concilium Vaticanum Secundum et est Oecumenicum et finem vere universalem sibi proponit: Ecclesiae unitatem pro viribus fovere.

E contra, dum titulus constitutionis, quam primo loco perpendendam suscipimus, est titulus universalis, nam constitutio inscribitur *de sacra Liturgia,* materia quae in ipsa constitutione tractatur non est plene universalis. Verum est enim, ut ibidem aperte asseritur, principia et normas quae traduntur applicari debere aut posse non raro etiam ad universos Ecclesiae ritus: nihilominus, de facto, explicite, ipsa constitutio de *solo* romano ritu est sollicita, cum ad applicationes descendit.

Nonne modus iste procedendi parum congruit cum natura et fine Sacrosancti huius Oecumenici Concilii? Nonne ergo consultius esset si, servato caractere generali ipsius tituli praesentis constitutionis, clare ponerentur principia et normae generales, pro universis ritibus valitura, et statim, clare et explicite, adderentur applicationes ad omnes rituum familias occidentis et orientis? Familias dicimus, nam fortasse bonum esset ut aliquando recenserentur non tantum ritus romanus stricte talis, sed etiam ambrosianus et alii ritus occidentales, proprii quorumdam locorum vel antiquorum Ordinum Religiosorum; itemque praecipui seu magis vulgati Orientalium Ecclesiarum venerabiles ritus.

Aliter titulo huius constitutionis addi deberet quaedam restrictio, ut non dicatur simpliciter *de sacra Liturgia,* sed cum addito: *Principia generalia et applicatio ad romanum ritum.* In alia vero constitutione subnecti deberent applicationes ad orientales ritus.

Iisdem de causis, ut veluti inter parentheses nunc dicam, abstinendum esset in posterum a scribendo: « Calendarium Ecclesiae Universae », dum e contra est calendarium ritus romani; pariter abstinendum esset ab adhibenda in Breviarii Romani lectionibus dictio: « Ad Universam extendit Ecclesiam », dum e contra extensio ista est ad solum ritum romanum.

[2] Relictis animadversionibus minoris momenti. [3] magistro. [4] Ideoque tria, clare, in hoc numero 11 essent dicenda: *primo*: Liturgiam revera inter principales disciplinas numerandam esse; *secundo*: theologum, seu theologiae dogmaticae magistrum, tanquam ex vero theologico fonte, systematice et abunde materiam depromere debere etiam ex S. Liturgiae libris orientis et occidentis, praesertim ut liturgicam doctrinalem conscientiam universalem in perspicuo ponat; *tertio*: alios sacrarum disciplinarum magistros connexionem ostendere debere proprii obiecti cum Catholicae Ecclesiae liturgica doctrina.

[5] Ad art. III, n. 19 (p. 165) (De mente biblica in instauratione liturgica inculcanda). Post hunc numerum addi posset alius numerus vel saltem animadversio de momento atque usu cantus gregoriani et musicae sacrae, hoc sensu quod, si in librorum liturgicorum instauratione quaedam mutanda vel supprimenda erunt, curetur ut loci liturgici, quos mirabiles compositiones gregorianae aut musicae sacrae clarissimos reddiderunt, non omnino e medio tollantur, sed serventur pro solemnioribus Missis, scilicet pontificalibus, monasticis, conventualibus: secus liturgia, sub artis respectu, valoris detrimentum pateretur. Si autem nec in praedictis Missis servari possent, saltem in functionibus extra liturgicis essent adhuc adhibendi.

[6] Eadem supradicta regula applicari posset aut deberet multis aliis coeremoniis, ut Baptismati et Sacris Ordinationibus ubi abundant repetitiones, et cetera. Item ad reddendum Missae romanae et ambrosianae ritum magis intelligibilem, proponi posset quod saltem minuatur pars secreto recitanda. Etenim ipsae Consecrationes, in Missae ritibus orientalibus et in romano ritu Ordinationum, elata voce pronuntiantur et, fatente Sancto Iustino in Prima Apologia, gratiarum actionem praeses totis viribus emittebat, in cuius fine populus clamabat « Amen ».

Ad art. III, n. 24 (p. 167) (Lingua liturgica). Quaeritur utrum vox « imprimis » (lin. 14) significet quod lingua vulgaris — in quibusdam locis et debito auctoritatis consensu obtento — pro *tota* Missa adhiberi possit. Hoc consentaneum videtur, si prae oculis habeatur sive antiquitas sive orientalium usus. Dominus Noster enim, in Coena novissima omnia clare pronuntiavit ac lingua ab Apostolis intelligibili; idem usus, sive cum graeca sive cum latina lingua adhibebatur, perseveravit Romae atque modo etiam perseverat apud fratres nostros orientales unitos ac separatos. Attamen, ratione habita thesaurorum quorumdam locorum sacrae Liturgiae, sive quoad textum sive quoad cantum, opportunum videtur ut lingua latina, in romano aliisque occidentalibus ritibus, servetur saltem pro Missa pontificali, pro nonnullis Missis solemnibus, pro Missa conventuali atque quotiescumque celebratio Missae non fit coram populo: fortasse, etiam quoties Missa non est de praecepto, licet coram populo celebretur.

Animadversiones additae:

Ad art. III, n. 31 (p. 169). (In Liturgia nulla sit acceptio personarum).

Placet. Attamen conclusio « salvis consuetudinibus ab Ordinario loci adprobandis », efficiet fortasse ut « multae sint exceptiones »: quod contradicit ipsi titulo « In Liturgia nulla sit acceptio personarum », et substantiae ipsius numeri trigesimi primi. Forsitan ergo adhibenda esset formula magis rigorosa.

Ad art. IV, n. 33 (p. 169). (Vita liturgica in paroecia).

Proponitur ut supprimatur vel clarius exprimatur illud quod lin. 22-33 continetur: « nam in se perfectius repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam ».

Animadversio circa ordinem rerum in pag. 165-169:

Videtur opportunum mutare ordinem rerum, quae habentur sub litteris A, B, C, D, adeo ut habeatur A, D, C, B. Insuper numerus vigesimus octavus collocandus esset sub littera A.

Praeses: Velitis audire unum verbum. Locuti sunt hoc mane viginti quinque Patres exc.mi. Remanent adhuc plures quam triginta qui facultatem petierunt loquendi.

Speramus plures ex istis aliquali cum generositate renuntiaturos esse huiusmodi facultati ut possimus feria II incipere tractationem vel disceptationem de capite II huius schematis.

Spatium temporis nobis constitutum iam effluxit. Proinde finem disceptationi faciamus, sed antequam pia oratione laborem nostrum claudamus, repositioni Sancti Evangelii venerabundi assistamus. ...

Secretarius generalis: Proxima congregatio habebitur feria II proxima, hora nona.

Praeses: Cum instet dies festus Summi Pontificis nostri, nempe commemoratio electionis suae, omnes nos vota exprimemus Beatissimo Patri concorditer per formam unicam, quae praeparabitur et legetur in hoc coetu amplissimo.

CONGREGATIO GENERALIS IX

29 octobris 1962

CONGREGATIO GENERALIS IX

29 octobris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Hodiernae congregationi generali praeest em.mus ac rev.mus D. card. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis.

Sabbato elapso ex communi voto missus est ad Summum Pontificem iam iam celebrantem quartum anniversarium suae creationis in Romanum Pontificem hic nuntius:

« Ioanni XXIII Pontifici Maximo. Faustissimo instante die quo Sanctitatis Tuae ad Summum Pontificatum ascensum catholicus orbis concelebrat, nos, Patres Conciliares, in unum collecti preces nostras pro Te humiliter sed ferventissime ex animo depromimus ut Omnipotens Deus intercedentibus Beata Virgine Maria eiusque casto sponso S. Ioseph, Oecumenici Concilii Patronis, Te, beatissimum et amantissimum Patrem nostrum Christique Vicarium, diu sospitem servet, atque Concilii labores tam prospere initos ita tueatur, ut feliciter prosequantur; atque secundum optata tua ad expectatum exitum perveniant. Quam ad rem adiuvet nos Apostolica tua Benedictio quam circa tuam veritatis Cathedram adstantes venerabundi imploramus ».

Nunc communicamus coetui nomina eorum Patrum, quos Beatissimus Dominus commissionibus conciliaribus adscivit. Placuit Sanctissimo novem eligere. Omnium commissionum nomina damus:

Commissio de Doctrina Fidei et Morum

Em.mus card. Michaël Browne

Exc.mi DD.: Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide
Francіscus Barbado y Viejo, ep. Salmantinus
Georgius Leo Pelletier, ep. Trifluvianensis
Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis
Michaël Doumith, ep. Sarbensis
Franciscus Spanedda, ep. Bosanensis

Rev.mi PP.: Benno Gut, abbas primas O.S.B.
Anicetus Fernandez, magister generalis O.P.

Commissio de Episcopis et Dioecesium regimine

Em.mus card. Petrus Tatsuo Doi, arch. Tokiensis
Exc.mi DD.: Leo Binz, arch. S. Pauli in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis
Franciscus Carpino, arch. tit. Serdicensis
Victor Bazin, arch. Rangunensis
Dionysius Hayek, arch. Aleppensis Syrorum
Angelus Fernandes, arch. tit. Neopatrensis
Hieronymus Rakotomalala, arch. Tananarivensis
Narcisius Jubany Arnau, ep. tit. Orthosiensis in Phoenicia
Aloisius Carli, ep. Signinus.

Commissio de Ecclesiis Orientalibus

Beat.mi DD.: Stephanus I Sidarouss, patr. Alexandrinus Coptorum
Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum
Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum
Paulus II Cheikho, patr. Babylonensis Chaldaeorum
Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum
Exc.mi DD.: Ioseph Rabbani, arch. tit. Nacolensis
Asrate M. Yemmeru, arch. Neanthopolitanus
Ioannes B. Scapinelli de Leguigno, arch. tit. Laodicensis ad Libanum
Hyacinthus Gad, ep. tit. Gratianopolitanus.

Commissio de Sacramentorum disciplina

Exc.mi DD.: Guido A. Bentivoglio, arch. Catanensis
Angelus Dell'Acqua, arch. tit. Chalcedonensis
Caesar Zerba, arch. tit. Colossensis
Paulus Yoshigoro Taguchi, ep. Osakensis
Darius Bolognini, ep. Cremonensis
Ioannes Chedid, ep. tit. Arcenus in Phoenicia Maronitarum
Marcellus Morgante, ep. Asculanus in Piceno
Michaël Kien Samophithak, ep. tit. Octabensis
Ioannes Felix Pepén y Soliman, ep. Higueyensis (Altagracia in Higüey).

Commissio de disciplina Cleri et Populi Christiani

Em.mus card. Alfonsus Castaldo, arch. Neapolitanus
Exc.mi DD.: Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon
Paulus Nguyen-Van-Binh, arch. Saigonensis
Petrus Palazzini, arch. tit. Caesariensis in Cappadocia
Carolus Greco, ep. Alexandrinus in Statibus Foederatis Americae Septemptrionalis
Pius Albertus Fariña, ep. tit. Citharizenus
Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis
Ernestus Corripio Ahumada, ep. Tampicensis
Ioseph Maximinus Eusebius Dominguez y Rodriguez, ep. tit. Caeciritanus.

Commissio de Religiosis

Exc.mi DD.: Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis
Paulus Philippe, arch. tit. Heracleopolis Magnae
Severinus Haller, ep. tit. Bethleemitanus
Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus
Dominicus Vendargon, ep. Kuala-Lumpurensis
Ceslaus Sipović, ep. tit. Mariammitanus
Rev.mi PP.: Sighardus Kleiner, abbas generalis Ordinis Cisterciensium
Ioannes Janssens, praepositus generalis S. I.
Renatus Ziggiotti, rector maior Soc. S. Francisci Salesii.

Commissio de Missionibus

Em.mus card. Emmanuel Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis
Exc.mi DD.: Laurentius Leo Graner, arch. Dacchensis
Petrus Sigismondi, arch. tit. Neapolitanus in Pisidia
Victor Sartre, arch. tit. Beroensis
Bernardus Yago, arch. Abidjanensis
Petrus Martinus Ngô-dinh-Thuc, arch. Huéensis
Albertus Soegijapranata, arch. Semarangensis
Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis
Rev.mus P.: Leo Deschâtelets, superior generalis O.M.I.

Commissio de Sacra Liturgia

Em.mi cardd.: Paulus Giobbe
Andreas Jullien
Anselmus Albareda

Exc.mi DD.: Leonidas Henricus Dante, arch. tit. Carpasiensis
Bernardus Fey Schneider, ep. tit. Philadelphenus Minor
Ramón Masnou Boixeda, ep. Vicensis
Villelmus Bekkers, ep. Buscoducensis

Rev.mi PP.: Ioannes Prou, abbas Solesmensis
Petrus Schweiger, superior generalis Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Mariae Virginis.

Commissio de Seminariis et de studiis et de educatione catholica

Em.mus card. Iacobus de Barros Câmara, arch. Fluminis Ianuarii
Exc.mi DD.: Ernestus Senna de Oliveira, arch.-ep. Conimbricensis
Gregorius Modrego y Casáus, arch.-ep. Barcinonensis
Iustinus Daniel Simonds, arch. tit. Antinoitanus
Ioannes Cody, arch. tit. Bostrenus
Tullius Botero Salazar, arch. Medellensis
Dinus Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina
Ioseph Carraro, ep. Veronensis
Paulus Savino, ep. tit. Caesariensis in Thessalia.

Commissio de fidelium apostolatu; de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis

Exc.mi DD.: Antonius Samorè, arch. tit. Ternobenus
Ismaël Marius Castellano, arch. Senensis
Eduardus Nécsey, ep. tit. Veliciensis, adm. ap. Nitriensis
Herbertus Bednorz, ep. tit. Bullensis Regiorum
Renatus M. Aloisius Stourm, ep. Ambianensis
Boleslaus Kominek, ep. tit. Vagensis
Sebastianus Vallopilly, ep. Tellicherriensis
Aemilius Guano, ep. Liburnensis
Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis.

Omnibus electis vel nominatis dabitur scripto singulatim nuntius.

Fit transitus ad disceptationem de sacra Liturgia, prooemio et cap. I. Loqui postulaverunt exc.mi Domini Antonius Santin, ep. Tergestinus in Italia; Iosephus Battaglia, ep. Faventinus in Italia; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Jugoslavia; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Otto Spülbeck, ep. Misnensis in Germania; Dominicus Lucas Capozi, arch. Taeiüenensis in Sinis; Philippus Iacobus Benítez, ep. aux. Assumptionis in Paraguay; Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus in Hispania; Ioannes Prou, abbas Solesmensis; Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus in Ægypto; Salomon Ferraz, ep. aux. S. Pauli in Brasilia; Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia, superior generalis Congregationis S. Spiritus; Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania; Benno Gut, abbas primas Ordinis Benedictinorum; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Marianus Oscoz, moderator supremus Camaldulensium; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii in Canada; Iulius Georgius Kandela, arch. tit. Seleuciensis, aux. patriarchae Antiochiae in Syria; Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Italia; Ioannes B. Tarcisius Benedetti, ep. Laudensis in Italia; Ioannes B. Peruzzo, arch. Agrigentinus in Italia.

Et sic explicit nota eorum, qui loqui postulaverunt circa prooemium et cap. I.

Post absolutas has orationes incipit disceptatio circa cap. II; et rogantur Patres ne, quod spectat linguam latinam, quae iam dixerunt, iterum repetant.

1

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Venerabiles Patres,

Postquam tot sermones audivimus, meditari potius quam loqui nunc oportere censeo. Verumtamen cum facultatem loquendi hoc in amplissimo coetu poposci, liceat mihi aliqua clariore in luce collocare, vel saltem insinuare:

1. Ad pag. 165, lin. 31, et ad pag. 166, lin. 10, ubi de aptatione iuxta locorum necessitates agitur: verbum « praesertim » tollendum esse videtur.

Ratio haec est: aptationes necessariae non sunt antiquis nationibus, quae quidem nationes a priscis aetatibus liturgice formatae sunt. Quod praecipue interest hoc est, ut peragantur sacra, cum quibus christiano

populo familiaritas vetus intercedit, sincera pietate, magno decore. Etenim sacra ita possunt disponi ut iis una simul sit magnificentia rituum, decora simplicitas et participatio actuosa populi. Pietas et decor christiano populo loquuntur eloquentissima voce eumque intime commovent. Quod tamen minime prohibet, quominus nonnullae mutationes introducantur quemadmodum ceterum recens iam effectum est. Ut autem Ecclesiae caeremoniis novi ritus addantur moribus et ingenio gentium respondentes, hoc utiliter evenire potest apud novas nationes et in regionibus missionalibus: tunc vigili cum prudentia sacris Ecclesiae ritibus inseri poterunt nativae pietatis illarum gentium formae et modi, dummodo errores ibi ne sint.

2. Conferentiis episcopalibus, si co-uniunt sicut decet *omnes* episcopos singularum nationum, studia et investigationes demandari oportet. Ad eas spectare videtur munus huiusmodi negotia summi momenti, adprobante Sancta Sede, apte et concorditer moderandi.

3. *De lingua aliquid, sed etiam aliquid novi*:[1] De lingua latina multi Patres iam locuti sunt. Quaestio valde difficilis est et solum coram Deo, animo sereno, perpendenda. Si vero in admittenda lingua nationali, limites qui in n. 24 descripti sunt, quoad Missae sacrificium, observabuntur, in bonum populi christiani hoc vertere poterit, hac tamen conditione ut etiam lingua latina adhibeatur si quis — praesertim privatim celebrans — ea uti voluerit. In administratione sacramentorum et in sacramentalibus abundantius fiat locus linguae vernaculae. Pro certo autem habeatur linguam, quam christianus populus potissimum intelligit, esse pietatem ac dignitatem, quam sacerdotes in litando demonstrant. Quod quidem ut sancte fiat, valde confert cum in caeremoniis cura exactissima servatur. Nulla lingua vulgaris potest in hunc locum substitui. Nihilominus ea quae Ecclesia ab antiquis aetatibus populo destinavit, nempe lectiones, orationes, cantus, ut in Sancta Missa lingua vulgari exprimantur, hoc decet et expedit. Pari ratione, rituale quoque continet thesauros quos a christiano populo participari rei congruens et salutare esse videtur.

Venerabiles Patres, omnes nos Ecclesiam tamquam Matrem sincere diligimus. Hoc amore moti, in opere reformationis liturgicae procedamus. De cetero haec pars schematis, si circa principia dogmatice melius explanetur, laudabilis esse videtur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

2

Exc.mus P. D. IOSEPH BATTAGLIA
Episcopus Faventinus

Venerabiles Patres,

Non addam encomia ad ea quae iam, iure meritoque, dicta sunt de schemate sacrae Liturgiae nobis proposito. Attamen velim facere solum tres animadversiones *et breves,*[1] ne taedio, venerabiles Patres, vos afficiam.

1) Mihi admirationi est quod in toto hoc schemate nulla mentio fiat Beatae Mariae Virginis quae quidem in Ecclesia gaudet cultu hyperduliae et tantam partem obtinet in oeconomia divinae salutis et in pietate fidelium. Hoc silentium mihi gravius videtur in tanto fervore studiorum theologicorum in honorem Beatae Mariae Virginis. Quare velim rogare humiliter commissionem ut parvus saltem locus vel in prooemio vel alibi, ubi opportunius videbitur, explicite detur cultui Beatae Mariae Virgini debito, ut evidentior appareat nexus inter mysterium Christi, quod repraesentatur et renovatur in Liturgia, et Beatam Mariam Virginem, quae est Mater Christi eiusque Socia *inseparabilis,*[2] utique subordinata, in opere nostrae redemptionis.

2) Circa periculum confusionis ingerendae mentibus fidelium in varietate novorum rituum *caute*[3] inducendorum et in aptatione Liturgiae ad ingenium et traditiones populorum, id quod dicitur de Conferentiis episcopalibus, praesertim in n. 24, puto *saltem*[4] opportunum ut consilium habeatur non solum inter Conferentias regionum finitimarum eiusdem linguae, sed etiam inter Conferentias nationum finitimarum diversae linguae — salva utique lingua propria — ad statuendam, approbante Sancta Sede, et quantum fieri potest, uniformitatem quamdam in ritibus, et caeremoniis secundariis, et catechesi, praesertim in administratione sacramentorum. Debemus abhorrere sicut ab individualismo ita a « regionalismo » et a « nationalismo »; memores simus nos catholicos esse. Hodie non solum fines regionum, sed etiam nationum paulatim abolentur et in nostra quoque Europa Statuum foederatio in actu est. Proinde innumeri emigrantes nostri, extra patriam, non debent se sentire extraneos, sed vere cives patriae communis, quae est Ecclesia catholica.

3) Circa usum linguae latinae (n. 24), optime dicitur: « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur »; sed velim *humiliter*[5] adiungatur « diligenter vel cum amore servetur ». Nihil addam ad ea

quae iam optime dicta sunt de huius linguae peculiari aptitudine ad exprimenda, maxima cum praecisione, dogmata fidei. Solum rogo vos humiliter, venerabiles Patres, ut legatis mirabilem epistolam *Officiorum omnium* Pii Papae XI fel. rec., *datam die* [6] 1 augusti anni 1922, qua *Summus Pontifex* [7] luculenter demonstrat intimum vinculum inter linguam latinam et Ecclesiam. Agitur enim de lingua in quam ab antiquis temporibus versa est Sacra Scriptura; ...[8] qua usi sunt Patres et Doctores Ecclesiae; de lingua quae viguit in populis civilibus totius Europae usque ad mediam aetatem et ultra; in qua scripta sunt *praeclarissima* [9] opera summorum theologorum et iurisperitorum, qua utuntur etiam nunc viri docti; de lingua quae non potest dici mortua, quia Ecclesia non moritur, quia est viva in tot nostris universitatibus, in omnibus scholis theologicis, sed potissimum est viva in Liturgia.

Vi huius linguae catholicus, totius orbis fit civis, et quocumque se conferat, cum gaudio audit in divino sacrificio, ut domi suae, eamdem vocem matris suae Ecclesiae. Iam audistis, *iam dictum est,*[10] de spectaculo ab hac sacrosancta Synodo oblato: cum plurimi simus ex omni lingua et tribu et *nationibus et populis,*[11] unum mirabile corpus efficimur, cuius stupendae unitatis signum sensibile et medium efficax est lingua latina qua omnes utimur, loquendo, orando, psallendo.

Quare adiuro vos, venerabiles Patres, praesertim occidentales, parcite, quaeso, audaciae meae, maximo *honore* [12] prosequamur usum linguae latinae in sacra Liturgia et praecaveamus ne, deprimendo linguam latinam, « crimen inferamus gloriae nostrae ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] de lingua. [9] insignia. [10] deest. [11] populis et nationibus. [12] amore.

3

Exc.mus P. D. FRIDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres et Fratres,

Proponitur additio sequens ad n. (art.) 6, pag. 161, *vel ad alium numerum aptiorem*:[1]

« Tum sacerdotes tum fideles certo intelligant et aestiment illud caput esse in participatione sacrificii Eucharistici, ut omnes, qui Missam audiunt, curent partem habere in victima Agni Immaculati per manducationem Corporis eius ».

Ratio prima: Sacrae Communionis pro individuo valor. Missa infinitum habet valorem; non ita Sacra Communio.

Attamen pro unoquoque fideli plus Communio valet quam Missa ab eo audita; utpote in Eucharistiae convivio fidelis Christum Ipsum sumit; eius mens gratia impletur et futurae gloriae pignus ei datur.

Inde consequitur versari in errore illum pastorem ovium, qui plenam satisfactionem sentiret, cum oves suae paroeciae viderit preces, cantus, caeremonias, ritum totum Sancti Sacrificii, tum externe, tum interne, perfecta ratione agere iuxta novam Liturgiam...[2]

Multum tamen esset dolendum si in praedicta communitaria Missa nullus, aut pauci christifidelium, Sacram Communionem sumpserint. Deesset enim illis praecipua participationis pars.

Altera ratio: Iesus omnes invitat dicens: « Hoc est Corpus meum, accipite et manducate ».

Permulti fideles, eius filii, vel ignorantia qua laborant, vel semisopitae fidei causa, vel ob tenuem dilectionem, qua erga Dominum sacramentaliter praesentem afficiuntur; factis, dulci Iesu Christi voci respondent: « Nolo ad Te accedere, carnem tuam manducare non sum dignus, etc. ».

Exemplo res illustratur: audivi sacerdotem narrantem: « iter egi, pertransivi hanc et illam nationem, conspexi in ecclesiis christianos communitariam Missam audientes. Quanta uniformitate sacerdoti respondebant! Quam bene preces recitabant, canebant, surgebant, sedebant, etc.; omnia iuxta novam Liturgiam ».

Multum placebat haec videre. Laudandus zelus pastorum, laudanda devotio illarum ovium! Sed, proh dolor!, quidam auditor quaesivit ab illo sacerdote: « Quot fideles in illis Missis Sacram Communionem suscipere conspexisti? ». Cui ille respondit: « In diversis ecclesiis nullus, in aliis valde pauci Communionem accipiebant ».

Itaque, quae supra dicta sunt rite perpensa, a venerabilibus Fratribus quaeritur an addenda sint in n. 6 illa vel similia verba:

« Tum sacerdotes tum fideles certo intelligant et aestiment illud caput esse in participatione Sacrificii Eucharistici ut omnes qui Missam audiunt curent partem habere in victima Agni Immaculati per manducationem Corporis eius ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Sane, Missae Sacrificium communitarium ita peractum laude quidem est dignissimum.

4

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Carissimi Fratres in Christo,

Ratio huius mei brevis interventus est exsistentia plus quam millenaria linguae paleoslavicae in Liturgia occidentali in quibusdam dioecesibus Croatiae meridionalis iuxta Mare Adriaticum positae, in hodierna Iugoslavia.

In art. 24 huius schematis, in cap. I, dicitur: « usus linguae latinae in Liturgia occidentali servetur ». Sed in *supranumeratis*[1] dioecesibus, quae procul dubio in Occidente inveniuntur, etsi in eius limitibus, Missae privatae et sollemnes totaliter lingua paleoslavica Deo Patri offeruntur, in vero et proprio ritu romano.

Verba ergo supra indicata art. 24 huius capitis possent a quopiam forte in damnum huius plusquam millenarii usus linguae paleoslavicae in Liturgia romana interpretari. Nam haec lingua in ritu romano habuit decursu saeculorum sat multos inimicos iam a temporibus nostrorum Apostolorum Slavicorum SS. Cyrilli et Methodii, potissime, ut humillime puto, ob rationes politicas, contra quos inimicos S. Romana Sedes semper protegebat et linguam paleoslavicam et sacerdotes qui hac lingua utebantur in ritu romano in Occidente, sicut Papa Hadrianus II, IX saeculo, protexit Ss. Apostolos Cyrillum et Methodium contra episcopos Germaniae, dando ipsis licentiam offerendi Sacrificium Missae et distribuendi Sacramenta in lingua slavonica. Idem fecerunt e. g. Papa Ioannes VIII et Innocentius IV qui, die 29 martii anno 1248, recognoscens titulum iuridicum consuetudinis immemorabilis linguae paleoslavicae in Liturgia romana, Philippo, episcopo Segniensi, scribebat: « Nos igitur attendentes quod sermo rei, et non res sermoni est subiecta, licentiam tibi ... auctoritate praesentium concedimus postulatam » (L. Jelić, *Fontes historiae Liturgiae glagolitae-Romanae XIV saeculi,* Veglae, 1906, pag. 9). Ut omittamus alia documenta ad rem paleoslavicam spectantia, dicimus tantum unum, scilicet anno 1929 missale paleoslavicum, approbante S. Congregatione Rituum, Romae in Vaticano impressum esse litteris non amplius glagoliticis, sed latinis, quia hae sunt faciliores lectu quam illae. Quae transcriptio fuit concessa in favorem linguae paleoslavicae.

In dioecesibus paleoslavicis seu glagolitis, quas supra indicavi, sacramenta per saecula in lingua vernacula, non exceptis formis, distri-

buebantur, qui usus ad omnes dioeceses Croatiae, per decretum S. Congregationis Rituum, anno 1925 elargitus est.

His ergo omnibus consideratis, humillime vehementerque rogo *Sacrosanctum* [2] Concilium, ut ad textum art. 24, cap. I, post lin. 11, addatur notula in qua dicatur, mens Concilii non esse per hoc supprimere linguam paleoslavicam in Liturgia occidentali, vel aliquid similiter.

Tali decisione consolationem daremus populo Croatico, qui tali consolatione dignus est ob suam fere proverbialem devotionem erga Vicarium Christi in terris, et ob suam invictam fidem catholicam, ob quam fidem non semel a Pontificibus Romanis « antemurale christianitatis » appellatus est. Non possum credere Concilium velle affligere, per illa citata verba articuli 24, populum qui hodie in maximis difficultatibus ad fidem suam servandam et profitendam versatur. Nonne potius hic populus fidelissimus Successoribus Petri, petita decisione refocillari debet?

Tali decisione insuper honorem exhiberemus Fratribus separatis Slavis-orthodoxis. Nam *hic* [3] eadem lingua Ss. Cyrilli et Methodii conservata est usque ad hodiernam diem in Liturgia byzantino-slava, et in Liturgia romana in Occidente, in pluribus dioecesibus Croatiae meridionalis, ut supra dixi. Proinde Slavi-orthodoxi separati intelligerent quanto honore Concilium Oecumenicum eorum linguam prosequatur, si ista lingua non solum in Liturgia orientali catholicorum unitorum inveniatur, sed etiam in Liturgia catholicorum occidentalium.

Nec oblivioni tradenda sunt verba S. Pontificis f. r. Ioannis XXIII, qui eadem die qua subscripserat constitutionem *Veterum sapientiae,* in hoc eodem templo, horis postmeridianis, in sermone ad clerum romanum, augustis verbis pulchritudinem linguae paleoslavicae extollebat.

Gratissimum quoque animum reverenter pando nomine meo et octo episcoporum in hac aula conciliari adstantium, qui ...[4] Liturgia romana lingua paleoslavica seu glagolitica utimur, em.mo card. Eugenio *scl.*[5] Tisserant, qui ante *aliquos* [6] dies, in hac discussione de art. 24 huius capitis, clarissimis argumentis, ex historia desumptis, probaverat, non solum linguam latinam, sed etiam linguam paleoslavicam propter eius legitimum usum, plus quam millenarium, esse linguam liturgicam ritus romani in Occidente.

Per modum appendicis breviter dico nos episcopos qui lingua paleoslavica in Liturgia utimur, nostrosque sacerdotes esse versatos quoque in lingua latina, cui in scholis multum studemus *secundum normas S. Sedis,*[7] et in qua breviarium oramus. Lingua latina, secundum nostram humilem opinionem, lingua officialis Ecclesiae remanere debet, pro Conciliis Oecumenicis, pro commercio ...[8] cum S. Sede, pro Missis in variis

conventibus internationalibus celebrandis, et etiam pro Missis privatis si celebrantur extra Patriam propriam, in itineribus...[9]

In fine humillime proponere audeo, si em.mae praesidentiae Concilii placet, libentissime unus ex nobis 8 episcopis hic praesentibus qui lingua paleoslavica in ritu romano utimur, unam Missam, initio alicuius sessionis, celebrare poterit ut ipsis Patribus occasio adsistendi S. Missae sacrificio ritu romano in lingua paleoslavica praebeatur. Dixi.

[*Plausus quorundam Patrum*].

In textu scripto tradito: [1] supramemoratis. [2] sacrum. [3] haec. [4] in. [5] deest. [6] aliquot. [7] deest. [8] epistolari. [9] Nam in decernenda lingua liturgica unice ad rationes pastorales attendendum est. Sicut linguae nationales, proh dolor, possunt esse instrumentum denationalizationis, similiter etiam potest esse lingua latina, saltem in quibusdam casibus, sicut e. g. nos edocet historia SS. Cyrilli et Methodii eorumque discipulorum. Forsan quispiam mirari poterit, sed ex historia linguae nostrorum apostolorum slavicorum clare patet S. Sedem, i. e. Summos Pontifices et S. Congregationes S. Rituum et S. Officii semper longanimiores fuisse erga linguam slavonicam quam multi episcopi. Quod factum, sincere dico, etiam in hoc Concilio bene notavi. Dum etenim S. Officium, hisce ultimis temporibus, variis nationibus in oriente et in occidente sat magna privilegia quoad usum linguae vernaculae in Liturgia concesserat, quidam illustrissimi oratores tantam longanimitatem erga linguas vernaculas certe haud ostenderunt.

Vestigia ergo premens Apostolorum slavorum gentium, qui natione graeci erant, submisse puto non esse timendas linguas vernaculas, in Liturgia, naturaliter sub exclusiva potestate S. Sedis, introducendas, paulatim et moderate procedendo, quia populus qui accipit usum, saltem moderatum, propriae linguae in Liturgia, maiore amore afficitur erga S. Sedem, qui amor est fortissimum vinculum unionis pro corpore Christi mystico.

Non paveamus ergo, fratres carissimi, linguas, sed paveamus conformismum exaggeratum cum variis speciebus hodierni materialismi, praesertim materialismi dialectici, qui inimicus acerrimus est nostrae unitatis. Materialistae dialectici sine magna difficultate nobis libertatem cultus seu liturgiae concedunt, etsi etiam haec libertas est controllata. Sed quod maxime eos offendit, est verbum Dei vivum, exiens ex mente et corde nostro. Propterea in eorum regionibus Verbum Dei multipliciter alligatum est. Discamus ergo ab adversariis. Praecipuum finem et ratio exsistentiae (raison d'être, ut dicunt Galli) huius Concilii esse debet, veritates evangelicas, nostro tempori necessarias, bene exprimere atque rite accommodare, ut nos ipsos reformemus et fratres nostros, materialistas variorum colorum, vincamus veritate, amore et mansuetudine Christi, sicut nobis optimum exemplum continuo Summus noster Pontifex Ioannes XXIII continuo praebet.

Animadversiones additae:

I. In art. 3, desideratur clara definitio Liturgiae.

II. Pars doctrinalis schematis est nimis longa et nimis brevis. Nimis longa est pro constitutione conciliari, in qua communis doctrina non est repetenda, sed tantummodo illa, quae in discrimine nostris temporibus posita sunt. Nam non debemus

in Concilio tractata theologica conficere ut demum Concilium speciem ferat cuiusdam encyclopediae. Nimis tamen brevis dici potest pars doctrinalis huius schematis, nam multa dicuntur tam concise, ut quadam ambiguitate laborant atque duplici interpretationi obnoxia sunt. Forsan melius Concilium incoepisset cum schemate de fide et moribus, quam de Liturgia. Nunc vero propono ut pars doctrinalis schematis commissioni theologorum examinanda tradatur.

III. In art. 11, dicitur quod Liturgia: « inter disciplinas principales est habenda » et in art. 12: « ... ita ut tota vitae ratio in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu informetur ».

Has duas affirmationes inter pias exaggerationes liturgistarum esse inserendas existimo. Sufficit etenim studium Liturgiae in nostris seminariis et facultatibus theologicis per tres vel maximum per quattuor horas in hebdomada duobus semestris protractum. Item clarum est ritus liturgicos sine pietate privata, praesertim sine meditatione, lectione spirituali et examine conscientiae posse fieri « inanes ritus » uti docet Pius XII in *Mediator Dei*.

IV. In art. 22, lin. 24 et 25, dicitur: « ... Sacrae Congregationi Rituum praesto sint viri simul in re missionali et liturgica periti... ».

Post verbum « periti » propono ut addatur: « ... et viri docti ex illa regione de qua agitur oriundi... ».

Ratio petitionis est, quia saepe saepius nostri « periti » europaei de rebus, quas tantum ex libris cognoscunt, iudicant nimis abstracte et, ut ita dicam, nimis intellectualistice ita, ut eorum iudicium facile possit esse nimis artificiale et demum falsum. Consulentur ergo etiam viri docti indigeni, etiamsi non sint forsan tam « periti » in re liturgica sicut nostri doctores europaei. Tunc etiam evitaretur obiectio indigenorum « de nobis sine nobis ».

In primam partem istius capitis I liceat mihi sequentia adnotare: 1) Scopus Concilii in re liturgica non est tractatum quemdam dogmaticum conficere nec iam nota fuse repetere, sed ex iam notis, paucis vero verbis clare in mentem revocatis, principia quaedam theorica, e quibus facile deduci possunt practica educere; quapropter in hac sectione brevitati consulatur, scilicet tantum definiatur quid sit Liturgia et quemnam scopum habeat, et quidem claris verbis ut fideles primo iam intuitu scire possint quid dicitur ac theologi tempus perdere non debeant in inquirenda mente Concilii Vaticani II.

2) Brevitati tantummodo tunc consuli potest, si in Concilio in mente habemus procedere methodice, scilicet, ut iam notavi in aliis animadversionibus secretariae Concilii transmissis, ut primum tractentur quae primum tractanda sunt, scilicet de Ecclesia, de fontibus revelationis etc. Quibus autem prae oculis non habitis evenit *a*) ut in hac sectione reportetur doctrina et quidem per longum et latum quae ad Dogmaticos pertinet. Quibus vero oblitis eveniet *b*) ut schema nostrum, discussio eiusdem ac renovatio ipsa liturgica magno opere a nobis expetita, peccato quoddam originali laboratura sint. Non potest enim dari locus verae renovationi liturgicae in sensu biblico, si de verbo Dei, proh dolor, exstant discussiones quaedam, et quidem non parvi momenti; non potest fieri sermo de parte episcoporum adaequatus in opere liturgico promovendo, si inter episcopos et sacerdotes limites quidam tolluntur a viris catholicis et si figura ipsa episcopi adhuc desideratur, ut in votis erat plurium Patrum in Concilio Vaticano I, scilicet ut plene describeretur tum in seipsa tum in sua relatione ad Summum Pontificem; christifidelibus et praesertim sacerdotibus nequit in hoc nostro schemate praeludi

omni parte in mutationibus liturgicis faciendis quousque prius dogmatice non stabiliatur munus eorum in Ecclesia: non potest loqui, ut contingit in toto passim schemate, de munere Ecclesiae, quousque non definiatur vel saltem ob oculos non ponatur iam nota definitio Ecclesiae, scilicet quae est corpus Christi mysticum. Qua vero definitione, et quidem consequenter, prae oculis habita, in omnibus locis nostri schematis et in aliis schematibus, ubi non agitur de opere totius Ecclesiae i. e. totius corporis mystici, verbo « Ecclesia », ex mea sententia, utendum non est, si theologos agere intendimus, nam quod facit e. g. Concilium, Hierarchia nondum id per se est opus totius corporis mystici et vicissim.

In sectione II inter alia dicitur quod Liturgia « inter disciplinas principales est habenda », sed hoc loco specificandum esse videtur, scilicet quaenam pars inter illas tribuenda sit ei, ne ob nostram exhortationem conciliarem Liturgiae studium detrimento sit studio fundamentalium disciplinarum, utpote dogmaticae, S. Scripturae, theologiae moralis ac spiritualis, iuris canonici et historiae ecclesiasticae, quibus ex scientiis materiam suam Liturgia carpit.

Quod vero attinet ad normas generales optime dictum est in Liturgia principiis claritatis et participationis fidelium esse ducendum, quia scopus Liturgiae, ut in schemate bene notatur, ut sacerdotalis Christi munus exerceatur et quidem quo magis magisque ex die in diem perfectius ac rationabilius, quod vero fiet si populus christianus et sacerdotes ritus liturgicos eorumque linguam complete intelligent ut indeque participare rationabilius possint. Optime quoque dictum est libros nempe liturgicos ex universo quidem orbe a viris peritis recognoscendos esse. Spiritu huius normae ductus in pag. 166, n. 2 addendum esse puto, quod Sacrae Congregationi Rituum praesto sint, quantum fieri potest, non tantum viri periti in re missionali verum etiam periti e terris missionum originem ducentes.

Ad articulum 24 de lingua liturgica humiliter exopto ut veritas de lingua liturgica in Liturgia occidentali integra dicatur, scilicet in hunc modum: Usus latinae linguae et in quibusdam regionibus paleoslavicae in liturgia occidentali servetur. Lingua enim paleoslavica in Liturgia occidentali non est quid novum nec filia spuria ac illegitima in Ecclesia catholica. Ipsa enim habet traditionem suam plusquam millenariam. Iam a. 885-892 Theodosius archiepiscopus Salonitanus (Spalatensis) confici mandavit Psalterium glagoliticum (paleoslavicum). Innocentius Papa IV recognoscens die 29 martii a. 1248 titulum iuridicum consuetudinis immemorabilis linguae glagoliticae seu paleoslavicae in Liturgia romana, Philippo episcopo Segniensi (hodie in Jugoslavia) qui, cum lingua latina ordinatus existeret, consuetudini terrae conformis effici postulasset, licentiam divina officia iuxta praedictam linguam celebrandi, concedit: « Porrecta nobis, scribit Pontifex, tua petitio, quod in Sclavonia (ita tunc vocabantur quaedam regiones hodiernae Jugoslaviae) est littera specialis, quam illius terrae (orig. " terre ") clerici se habere a beato Ieronimo (i. e. S. Hieronymo) asserentes, eam observant in divinis officiis celebrandis. Unde cum illis efficiaris conformis, in terrae (orig. " terre ") consuetudinem, in qua consistis episcopus imiteris, celebrandi divina officia secundum dictam litteram a nobis suppliciter licentiam postulasti. Nos igitur attendentes, quod *sermo rei,* et non *res* est *sermoni* subiecta, licentiam tibi ... auctoritate praesentium (orig. " presentium ") concedimus postulatam » (L. Jelić, *Fontes Historiae Liturgiae Glagolito-Romanae XIV saeculi,* Veglae 1906, pag. 9, cf. adhuc p. 5). Ut omittamus alia documenta ad alios populos ad rem paleoslavicam spectantia, breviter tantum tangimus Litteras Decretales S. Rituum Congregationis ad Ordi-

narios Goritiensem, Iadrensem et Zagrabiensem, die 5 augusti a. 1898 Romae emanatas, in quibus inter alia huiusmodi decernitur: « In ecclesiis quae ... gaudent privilegio, Sacrum facere et officium persolvere publica et solemni ratione permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate, quacumque seclusa alterius linguae immixtione », « In praefatis ecclesiis quae concessione linguae Palaeoslavicae ... utuntur, Rituale slavico idiomate impressum adhiberi poterit in sacramentorum et sacramentalium administratione, dummodo illud fuerit ab Ap.lica Sede recognitum et probatum », « Sedulo curent episcopi in suis seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique dioecesi necessarii sacerdotes sint ad ministerium in utroque idiomate », « Si quis sacerdos, addictus ecclesiae ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat ecclesiae inservire, quae palaeoslavicae fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare, Horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica, attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua. Ita vicissim dicatur de sacerdote, palaeoslavici idiomatis ecclesiae adscripto, cui forte ecclesiae deservire contigerit » (apud L. Jelić, *Fontes Liturgiae Glagolito-Romanae XIX saeculi,* Veglae 1906, pag. 92-93).

Lingua igitur palaeoslavica in Liturgia romana non est filia abortiva sed minima natu ideoque Sancta Sedes decursu saeculorum mirifice eam diligebat caramque inter alias sorores habebat. Eiusmodi amoris Sanctae Sedis erga linguam palaeoslavicam signum prodivit etiam tunc, cum paucos abhinc dies hoc loco ore em.mi Principis sui, Domini card. Eugenii Tisserant extolleretur ut lingua palaeoslavica in ambitu linguae latinae suum locum habere deberet, cui vero Principi ob nobilissima verba grati animi sensus non solum nomine meo meorumque fidelium verum etiam nomine omnium qui lingua palaeoslavica Deum colunt quorum vero voces absque dubio hoc momento mecum concordi concentu sonant — reverenter pandere debeo.

Experientia linguae palaeoslavicae ductus minime timendum esse puto usum linguae vernaculae, saltem pro momento, moderatum, in Liturgia ritus romani, scilicet ut in Rituali Romano introducatur complete lingua vernacula at in Liturgia Missae tantum in partibus didacticis et orationibus. Non paveamus, fratres, linguam vernaculam, quia ea, sicut in meo populo contingit, non est detrimento unitatis in fide et amoris erga Petri Sedem. Devotio populi Croati in Vicarium Christi in terris iam proverbialis est evasus, gens mea ob fidem catholicam decursu saeculorum large effuseque irrigatam non semel a Petri successoribus « antemurale Christianitatis » est appellata; quis negare auderet eiusmodi fructus fuisse etiam maternae comprehensionis S. Sedis erga idioma populi mei? Non paveamus linguam vernaculam, quia nec S. Sedes eam timebat, cum ore Innocentii IV principium fundamentale in lingua liturgica declararet, scilicet: « *Sermo rei,* et non res est *sermoni* subiecta », cum Concilium Lateranense IV a Pontifice Innocentio III celebratum praeciperet ita: « Quoniam in plerisque partibus infra eandem civitatem atque dioecesim permixti sunt populi *diversarum linguarum,* habentes sub una fide *varios ritus et mores,* distincte praecipimus, ut pontifices huiusmodi civitatum sive dioecesium provideant viros idoneos, qui secundum *diversitatem rituum et linguarum* divina illis *officia celebrent* et *ecclesiastica Sacramenta ministrent,* instruendo eos verbo pariter et exemplo », cum in decretalibus Gregorii IX, lib. I, tit. 31, cap. 14, praescriptum legimus: « Cum in civitate vel dioecesi sunt populi *diversarum linguarum,* Episcopus debet providere eis per *viros idoneos,* qui secundum *varietatem linguarum officia eis celebrent,* et *Sacramenta mi-*

nistrent. Et si urgens est necessitas, constituet sibi *vicarium Pontificem illius linguae* » (Textus sumpsi apud L. Jelić, *op. cit.*, pag. 5). Non paveamus, fratres, linguam, quia eam Deus creavit, ut sensus nostros debito ac connaturali modo erga eum relaxare possemus; aliquid aliud potius extimescendum est, populum scilicet olim christianum hodie nostras ecclesias etiam ob parvam intelligentiam linguae liturgicae deserentem, spiritum mundanum et materialisticum in seminaria nostra et in clerum impetum facientem, conformismum mundo pro quo Christus Dominus noluit rogare in populo christiano et proh dolor etiam in clero erumpentem, minimalismum in christianismo prosequentem et amorem Christi crucis, quod significat radicalismum utpote temporibus modernis non convenientem, sedulo derelinquentem, timorem in subditis veritatis praelatis dicendae et in praelatis timorem invenientem, dissidia nostra in agendo etc., haecce et similia pavendum est, fratres, non vero linguam vernaculam.

Propono emendationem sequentem in pag. 167, art. 24, lin. 10 sq. hoc modo: loco « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur », dicatur « Latinae vel in quibusdam regionibus palaeoslavicae linguae usus in Liturgia occidentali servetur ».

5

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO

Archiepiscopus Barensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Multa sapienter ac pastorali zelo ferventia dicta sunt in hoc venerabili coetu de S. Liturgiae principiis; et tamen ad consensionem nondum perventum est.

Nec ego audeo rationes exponere in persuasibilibus humanae sapientiae verbis fundatas, sed, argumentis hic inde prolatis ex animo obsequens, ad ipsum depositum Fidei, a Christo Domino nobis commissum, censeo esse recurrendum, si velimus principia certa in subiecta materia constabilire, ex quibus, divino afflante Spiritu, veritates elucescant populo christiano proponendae.

Principia igitur, quae, in ipsa divina revelatione fundata, vestro sapienti ac prudenti iudicio consideranda humillime submitto, ad quaestiones tam graves solvendas, haec tria sunt:

1. Finis S. Liturgiae, sicut totius creationis ac ipsius humanae Redemptionis, est in primis latreuticus, qui in gloria Dei consistit. Finis vero soteriologicus, qui in salute animarum residet, est fini latreutico subordinatus. Utrumque autem ex tota divina revelatione apertissime constat, ut bene nostis. Si quid igitur gloriae Dei e contrario opponitur, in sacram Liturgiam admitti prorsus nequit, quamvis sub specie salutis animarum proponatur. Dico « sub specie salutis animarum », quia non

datur salus animarum cum gloriae Dei detrimento, cum ipsa salus animarum in gloriam Dei redundet. Si quid autem animarum saluti convenire censetur, at periculum Fidei unitati ac integritati atque ideo nocumentum Dei gloriae afferre posset, id nonnisi magna cum cautela et sub necessaria Ecclesiae Magisterii vigilantia in sacram Liturgiam introducere fas erit: et hoc pariter *ex Ecclesiae catholicae historia constat.*[1]

2. Christus Dominus non omnibus fidelibus, sed tantum Apostolis eorumque successoribus concredidit depositum Fidei et depositum Gratiae ut utrumque dispensarent in magisterio et in ministerio. Et quando, in dispensando depositum Gratiae, depositum Fidei sit etiam dispensandum, non potest sufficere simplex ac nuda Sacri Textus lectio aut auditio, etsi formulae fuerint fidelium captui accommodatae, cum periculum non deesset in subiectivam ac minus rectam Sacrorum Textuum interpretationem prosiliendi, sed requiritur vivum Ecclesiae magisterium: « Euntes, docete... ».

3. Christus Dominus Petro eiusque successoribus mandatum dedit confirmandi fratres in Fide.

Nos utique, huc ex universo orbe a Petro et cum Petro congregati, suprema pollemus, cum Ipso et sub Ipso, in universam Ecclesiam potestate. Petrus tamen nos illuminat et dirigit.

Ideo in sententiarum nostrarum diversitate circa materiam tam arcte cum Fide connexam nobis succurrit — ad exaggerationes, sive in uno sive in altero sensu, vitandas et ad lineam aequilibrii assumendam — sollemne Pontificium Magisterium, quod non semel nec olim, sed pluries et etiam recentissime nobis locutum est de sacrae Liturgiae natura et principiis. In eo autem non solum Traditioni consulitur, sed summa sapientia ac caritate consulitur quoque exigentiis seu instantiis recentioribus circa aptationes sacrae Liturgiae, attentis forma mentis hominum nostrae aetatis et variis locorum circumstantiis.

Quibus positis principiis, ad exoptatam mentium, voluntatum ac cordium consentionem facile pervenire poterimus. Quod faxit Deus! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] constat ex Ecclesiae catholicae historia.

6

EXC.MUS P. D. OTTO SPUELBECK
Episcopus Misnensis

Venerabiles Patres,

Loquor ut episcopus ex Germania orientali et proin liceat mihi in favorem capitis disceptati quasdam rationes afferre, quae ex circumstantiis atheismi militantis emanant. Atheismus militans ideas suas omnibus modis diffundere conatur. Radio, Televisio, libri et acta diurna eum propagantur; sed adhuc maioris momenti sunt quidam ritus atheistici, qui veram Liturgiam pseudo-religiosam constituunt.

In locum Sacramenti Confirmationis ponitur sic dicta dedicatio iuventutis; in locum Baptismi denominatio atheistica infantium. Matrimonium sic dictum socialisticum non est tantum matrimonium mere civile, sed addit votum vitam propriam atheistice gerendi et nec Baptismum infantium nec Matrimonium ecclesiasticum admittendi.

Propter suam formam cultivatam et mentalitati hodierni hominis tam optime aptatam isti ritus etiam nostros fideles notabiliter attrahunt. Auxilia externa nostris fidelibus praestare non possumus. Quod ut remedium excellens remanet, est sacra Liturgia. In nostris — et ni fallor in omnibus regionibus similis condicionis — cultus sacer hucusque libertate relative magna gaudet. Quapropter s. Liturgia, quae semper manet opus in honorem Dei, apud nos speciali modo etiam ad instructionem religiosam puerorum et ad corroborationem fidei adultorum tendere debet.

Necesse est ut cultus divinus suaviter et immediate animas fidelium attrahat, mentalitati moderni hominis correspondeat, atque simplex et intelligibilis sit. Partes Liturgiae, quae immediate ad fideles spectant, sine ulla difficultate intelligi debent: quapropter in his partibus cura animarum exigit lingua vernacula. Idcirco commendamus paragraphum 24, sed cum emendatione ab em.mo card. Frings iam promota: « statuere actis a S. Sede recognitis ». Non sumus, ut id clare enuntiamus, contra linguam latinam, sed petimus, ut liceat Conferentiis episcopalibus in hac re id statuere, quod cura animarum *apud nos* [1] in favorem gregis exigit.

Omnia alia, de quibus in capite disceptato agitur, nostris necessitatibus feliciter correspondent, sed remanet difficultas fundamentalis: ambiguitas interpretationis. Propterea petimus humiliter ut illae declarationes schemati addantur, quae a commissione praeparatoria iam confectae sunt.

Aptatio Liturgiae et actuosa participatio fidelium apud nos est quaestio de vita vel morte! Caritas Christi urget nos et aequo modo — quia sumus Pastores — urget nos cura animarum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

7

Exc.mus P. D. PHILIPPUS J. BENITEZ AVALOS

Episcopus tit. Chersonesitanus in Europa, aux. St. Assumptionis

Venerabiles Patres,

Ea quae de natura rituum et de potestatibus Episcoporum, humili calamo exaravi, secretariae generali tradam.

Nunc pauca.[1]

Quoad structuram rituum notandum est non sufficere, praesertim nostris temporibus magni progressus technici *mutantis formam mentis hominum,*[2] quod structura rituum sit simplex, clara, brevis et fidelium captui accommodata. Nam, theologice loquendo, ipsa essentia Liturgiae in eo est quod sit *signum* rei sacrae...[3] Liquet revera totum schema Liturgiae, et fortasse alia quoque in hoc Concilio pertractanda, habere ut cardinem quaestionis venerandam traditionem servare cum appropriata aptatione nostris temporibus, ita ut lux eiusdem traditionis, sine substantiali *mutatione,*[4] sit captui modernae mentalitati accommodata. Nemini autem latet plurimos ritus nostros, ex eorum origine, esse signa intelligibilia aliis temporibus iam longe praeteritis, et requirere quamdam permanentem, ut ita non dicam laboriosam difficillimamque, initiationem et institutionem fidelium — etiam Seminarii alumnorum, sacerdotum et fortasse episcoporum — ut eorum participatio in functionibus liturgicis sit revera conscia et actuosa. Quapropter, mihi videtur, ut accommodatio structurae rituum sit captui fidelium propria et proficua, necesse est structuram rituum secumferre maximam significationem, et ita aperitionem quamdam trahere traditionis cum apportatione signorum hodie intelligibilium...[5]

Proinde in art. 23, *in pag. 167,*[6] loco « ritus modo simplici et claro extruantur » dicatur vel addatur « ritus modo simplici, claro et *significativo* extruantur ».

Additio haec vel verbi[7] « significativo » toto caelo et logice tantum exprimeret quod in art. 3, *pag. 160,*[8] lin. 30 et 31 iam statuitur, *scilicet: « merito igitur Liturgia habetur uti Iesu Christi sacerdotalis*

muneris exercitatio, in qua,[9] sub signis sensibilibus, ea quae significant *suo cuiusque modo efficientibus, homo sanctificatur etc.* ».[10]

Quoad canonem 15 in pag. 164.[11] Non videtur consentaneum ne quidem dignum quod sollemne magisterium Concilii loquatur de casibus moralibus. Abusus magni enim non sunt in promptu, saltem in America Latina. Proinde supprimatur hic canon 15.

In canone 34, *pag. 170. Ibi loquitur de auctoritate commissionis Conferentiae episcopalis. Mihi videtur addendum esse in lin. 14:* « *Constans sodalibus non exclusis, si res ita ferat, laicis in hac materia praestantibus* ». *Ipsius commissionis erit et actionem pastoralem liturgicam in universa natione moderari,*[12] addendum est ...[13] « in coordinatione cum commissionibus dioecesanis ». Nam *ut liquet,*[14] in praxi, pro ipsa moderatione in universa natione *saepe saepius*[15] graves difficultates dantur.

Tandem,[16] votum: Ad suffragia facilitanda, expedit confici non modo ordinationem analyticam *rerum,*[17] verum etiam et praecipue synthesim theologicam omnium argumentorum multifariam multisque modis expositorum. Nam litteris totius schematis subsunt principia dogmatica et moralia, quorum intelligentiam adaequatam compotes non sumus nunc adipiscendi...[18] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Primum: *De natura sacrae Liturgiae.*

Oportet praenotare, tum in prooemio et in capite primo quam in tenore totius schematis, nullam esse, certe non definitionem proprie dictam — siquidem eam omittere propositum est — verum enucleationem quodammodo comprehensivam sacrae Liturgiae. Hic defectus eo maior apparet quo maior est materia de qua agitur, id est, de actione pastorali centrali et fundamentali Ecclesiae. Ea quae inveniuntur tantummodo descriptivam notionem, quidem maxime generalem, praebent. Passim de vita liturgica et de natura Liturgiae exponitur quod nonnisi confusionem gigneret. Quamvis circa rem tanti momenti disputationes inter theologos adhuc existere possunt, Concilium, mihi videtur, aliquid minimum, scilicet, saltem aliquam comprehensivam explicationem de natura sacrae Liturgiae statuere debet. Magisterium ordinarium Summorum Pontificum adhiberi potest vel confirmari solemniter.

Melius videtur quod art. 5 compleatur cum definitione tradita a Pio XII, s. m., in *Mediator Dei,* hoc pacto: « Sacra Liturgia constituit integer cultus publicus corporis mystici Iesu Christi, capitis nempe membrorumque eius, et licet non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae, est tamen in suo centro... ».

Secundum: *De structura rituum.*

[2] deest. [3] i. e. sacramentum vel mysterium tam in sensu lato quam arctiore sumptum. [4] immutatione. [5] prouti iam artes sculpturae, picturae, musicae etc. nunc videntur illud exigere. [6] deest. [7] Demum, additio huius verbi. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] — in lin. 14 — [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] Tertium: *De animadversione circa verba « actis a Sancta Sede recognitis » et « Sanctae Sedi proponere »:*

Prout caput primum iacet, videtur eius mentem vel intentum esse Conferentiis episcopalibus nationalibus et episcopis maiorem facultatem ordinandi divinum cultum tribuere (cf. art. 21, 22, 24 et 34; 28, 32 et 33). Quamvis autem de rebus disciplinaribus agatur, nemini latet remanere quaestionem circa fundamenta doctrinalia potestatum, iurium et officiorum episcoporum. Minime profeticum est asserere aliud Concilium Oecumenicum ex ipsa exigentia rerum quam primum postulatum iri. Exempli causa: problema inter iam exortum his diebus circa textus « actis a Sancta Sede recognitis » et « Sanctae Sedi proponere », quando de actuatione Conferentiarum episcopalium nationalium agebatur (cf. art. 21, 22, 24), adaequatam vel saltem sufficientem solutionem non obtinebit sine aliqua acclaratione facultatum supra dictarum. Itaque, in posterum, loco diminutionis problematum, cumulus eorumdem augmentabitur, experientia teste historiae ecclesiasticae post Concilium Oecumenicum Vaticanum Primum. Proinde propono anteponantur articulis pertinentibus principia generalia. Hoc etiam prae oculis habendum est cum in aliis schematibus opportune de Conferentiis episcopalibus et episcopis erit quaestio, ut nostris temporibus Ecclesia Catholica revera conspiciatur ut « signum levatum in nationes » et exemplum aliis societatibus terrenis.

8

EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Circa prooemium et caput I schematis constitutionis de sacra Liturgia, sequentes observationes seu emendationes, quae mihi maioris momenti videntur, eo quod materiam doctrinalem aliquo modo tangant, quam brevissime Sacro Concilio subicere *velim;*[1] alia minoris momenti, brevitatis causa, secretariatui Concilii tradam.

Sic 1. Pag. 157, linn. 25-26, verba « quare Sacrosanctum Concilium, dum declarat se in praesenti constitutione nihil velle dogmatice definire », omnino retinenda puto.

Ratio: ut aperte constet de constitutione disciplinari agi, non de constitutione dogmatica. Verum est in ipso schemate principia vel dogmatica vel certa in theologia, ut fundamentum decretorum expresse proponi, ut accidit in omni fere re disciplinari Ecclesiae, cuius ultima ratio seu radix est Fides; sed ea principia doctrinalia Liturgia sumit ex theologia, prout in hac ipsa *theologia*[2] constant, quin quidquam dogmatice definire intendat quod ab Ecclesia definitum nondum sit...[3]

2. In eadem pag. 157, linn. 31 et 32, verba « ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare intelligenda sunt », supprimantur.

Ratio: haec enim principia generalia valida dicenda sunt pro omnibus ritibus, nisi de ritu romano agi specialiter constet.

3. Pag. 160, lin. 20: inter verba « ipse est » et « qui loquitur » haec alia inserantur: « etsi diversis modis ».

Ratio: ut aperte constet distinctionem esse inter diversos modos praesentiae Christi in variis actionibus hac ipsa paragrapho contentis.

4 et ultimo. Pag. 159, n. 2. Integra paragraphus vel reformetur vel simpliciter supprimatur.

Ratio: ne hic *quaestiones inter theologos disputatas,*[4] solvere velle videamur.

Cetera, brevitatis causa, secretariatui Concilii tradam.[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] vellem. [2] deest. [3] Alias, studiosa et accurata distinctio esset facienda inter ea quae Constitutio dogmatice, ac proinde immutabilia, definire intenderet, et ea quae ut disciplinaria, ac proinde per se mutabilia, statuere vult. [4] quaestionem inter theologos disputatam. [5] 5. Pag. 167 n. 23, dicitur: « Ritus modo simplici et claro exstruantur, sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles evitent, sint fidelium captui accommodati... ».

Huic decreto, vere laudando, aliquid addi posse videtur, tum ad ipsius meliorem practicam intelligentiam, tum ut appareat Concilium non generalia tantummodo et suo tempore — forsan post plures annos — ad praxim reducenda, decernere, sed populo christiano magna exspectatione anhelanti, aliqua iam offerre immediate perfecta et ad praxim applicata; huic decreto, inquam, via exempli, haec aut similia addi posse videntur:

a) in celebratione Missae, ritu romano, verba *Dominus vobiscum* bis tantum dicantur, initio nempe Missae, post *Kyrie eleison* vel *Gloria,* et in fine ante benedictionem;

b) omnia signa crucis supra Sacras Species consecratas omittantur, ne videatur sacerdos Christum iam praesentem benedicere velle;

c) loco quinque signorum crucis cum Hostia consecrata supra calicem elevetur simpliciter Calix cum Hostia, dicendo: « Per Ipsum et cum Ipso et in Ipso, sit Tibi... »;

d) item ut amictus et manipulus, quorum pro populo christiano nulla iam manet nec utilitas nec significatio, universim supprimantur.

9

EXC.MUS P. D. ALEXANDER SCANDAR
Episcopus Lycopolitanus

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Liceat mihi aliquid addere eis quae iam dicta sunt circa ritus orientales eorumque linguis in sacris Liturgiis orientalibus adhibitis.

Mea quidem sententia, in quantum sum ex ritu alexandrino-coptorum, Ecclesiae orientales habent ut fundamentum suae propriae ut ita

dicam, physionomiae et entitatis, praecise linguam propriam uniuscuiusque Ecclesiae. Loquor de illis Ecclesiis Orientalibus quae in sacra Liturgia lingua arabica, saltem partim, utuntur.

Planum est quod maior pars fidelium harum Ecclesiarum de linguis antiquis (coptica, syriaca, armena, etc.) fere nihil nostris diebus intelligunt, sicut fideles latini ritus quoad linguam latinam.

Attamen differentia magna est orientales inter et occidentales. Orientales enim, non tantum clerus sed etiam simplices fideles, linguas illas in magno honore habent, tam in Missa quam in sollemni sacramentorum administratione. Nostri enim fideles existimant et considerant linguam illam antiquam thesaurum nationale gelositer servandum.

Ecclesia coptica, e. g., utitur utique una cum lingua antiqua coptica, quae iam fere inde a saeculo X non intelligitur a fidelibus, dico utitur etiam lingua arabica simul cum coptica. Libri nostri liturgici sunt in duabus, ut ita dicam, columnis exarati, id quod Ecclesia latina imitare posset.

Addere vellem quod certae orationes et responsiones apud nos in lingua coptica dici vel cantari debent, praesertim verba Christi in celebratione Missae, id est consecratio in lingua coptica dici debet. Valde commendatur ad favendam unitatem atque extensionem religionis, tam a nostris catholicis quam ab Orthodoxis, studium linguae copticae in scholis copticis.

Convenit ergo ut lingua liturgica uniuscuiusque ritus maxima cum cura servetur ut patrimonium sacrum et etiam ut cultus publicus quadam circumdatus aureola Mysterii, quae multum iuvat ad reverentiam debitam rebus sacris exhibendam. Dixi.

10

Exc.mus P. D. SALOMON FERRAZ
Episcopus tit. Eleuthernensis, aux. S. Pauli

Em.mi et exc.mi Patres,

Ad obtinendum quod in schemate dicitur de maiore comprehensione et efficacia sacrae Liturgiae, videtur omnino necessarium quod usus linguae vernaculae magis in Liturgia introducatur, maxima autem cum prudentia. Quapropter iudico opportunas has reflexiones:

1. Cultus in vernaculo debet esse facultativus et nemini implacabiliter impositus. Sunt enim sectores in Ecclesia, in quibus, in praesenti, nulla modificatio liturgica facienda est. Esset *importuna* [1] et praeiudicialis.

2. ...[2] Maioribus liturgicis sollemnitatibus, maxime in illis quae sunt ambitus universalis, evidenter, lingua latina adhibenda est; quae sic manebit semper lingua officialis Ecclesiae nostrae; agnita legitimitate rituum occidentalium quibus, summo gaudio spirituali, potuimus hic adsistere.

3. Liturgia in lingua vulgari non potest esse constituta ex improviso, et a quolibet rerum liturgicarum curioso; sed debet ordinari a viris vere selectis in doctrina dogmatica et peritis in lingua vulgari, et semper debet a Romano Pontifice, per organa legitima, adprobari.

4. Liturgia in lingua vulgari, maxime in ritu occidentali, debet oboedire ipsissimo rythmo cultus catholici romani, quoad omnia essentialia et etiam quoad apparatum exteriorem, ut sunt paramenta, caeremoniae *etc.*;[3] sine ulla solutione continuitatis cum traditione vel usu generali. Tantum sic potest servari unitas quae est nota Ecclesiae Christi.

5. Relative ad sacramenta, usus linguae vulgaris debet esse integralis, propter maiorem et magis immediatam participationem fidelium qui, sic, melius ad fructus eorum recipiendos disponuntur. In omni casu, vitanda est mixtio duplicis linguae, latinae et vulgaris, vel usum linguae vernaculae concedere quibusdam sacramentis et caeremoniis, aliis autem negare.

6. Extirpandae videntur e ritualibus formulae obsoletae, maxime in baptismate parvulorum, ubi nimii exorcismi repetuntur. Illi utiles sunt et forsitan idonei in baptizandis paganis adultis et peccatorum plenis, sed minus apti pro pueris e familiis christianis oriundis. Eaedem ideae exprimi possunt formulis positivis, quae adultos adstantes aedificent.

7. Ad sanctam Missam quod attinet, etiam laudandi sunt nisus, ab episcopis facti, ut fideles actionem liturgicam magis intelligant, attamen non obtinetur scopus ipsius Liturgiae, qui est christianorum in cultu participatio. Nam dialogus cum persona saeculari quae cultum dirigit, ut nunc permittitur, manet veluti « a margine » actionis sacrae; dum, e contrario, dialogus cum ipso sacerdote celebrante est plenior participatio Missae. Hoc autem non potest fieri perfecte, nisi per usum linguae etiam humilioribus notae, quae est vernacula.

8. Ad functionem socialem Liturgiae, valde iuvabit introducere Missas novas, quae varios status civiles sanctificent, uti e. g. Missa pro familia, Missa pro labore redimendo et modo speciali Missa nationalis, pro Patria, in qua, ex Sacra Scriptura, loci et orationes conficiantur, quae sanctificent sensus legitimos amoris erga Patriam, et sic consacrentur per Ecclesiam et in Ecclesia nationes novae, surgentes in Oriente et in Africa, et confirmentur in Ecclesia quae ab Ecclesia sunt efformatae.

9. Illud amplius ius liturgicum quod in schemate missionibus rite conceditur, videtur esse etiam concedendum dioecesibus Americae Latinae, quae propter maximam locorum distantiam et nimiam Cleri inopiam, missionibus fere sunt assimilandae...[4]

10. Non videntur excludi posse ab hoc iure ampliore apostolatus inter dissidentes, occidentales dico, qui maximum obstaculum in eorum ad Ecclesiam reditum inveniunt in usu linguae latinae in Liturgia, cum ipsi inde a pueris, ad cultum simpliciorem vel in lingua vernacula assueti sunt. Sic motus illi schismatici latino-americani, exitum in magna parte debent usui linguae vernaculae, qui, si universalius concedetur, illi sine dubio paulatim deficient.

11. In regionibus americanis ingens datur immigratio christianorum rituum orientalium. Nunc autem illis permittitur usus linguae vernaculae, sive propriae sive nationis ubi residentes sunt; et etiam romani ad ea libenter accedunt, quia melius rem intelligunt, neque sic possunt comprehendere prohibitionem quae ipsis fit utendi sua lingua in Missa, dum ad eandem Ecclesiam pertinent.

12 et ultimo. Tandem memorare oportet quod Liturgia non est finis in seipsa, sed tantum instrumentum nostrae Communionis cum Deo per Dominum Nostrum Iesum Christum, et per Ipsum cum omnibus sanctis et universali familia fidelium; necnon cum humanitate, quae adhuc in umbra mortis sedet; immo cum ipsa universitate creaturarum. In tempore, in aeternitate. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] inopportuna. [2] In. [3] deest. [4] Iisdem conditionibus idem ius respondeat oportet.

11

Exc.mus P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Domini,

...[1] Sive in prooemio sive in capite I nonnulla addenda essent quae non ad quascumque veritates dogmaticas ordinem dicant, sed ad illas potissimum quae ut principia immediata Liturgiae sumi debeant.

In Liturgia enim viget principium illud vel regula: « Lex orandi est lex credendi » et e converso. Nempe: sic orabis ut credas, et sic credes ut oraveris. Interactio fidei et orationis, seu mutuus influxus est omnino necessarius.

Liturgia fundamentum immediatum habet in determinatis veritatibus, circa quas, praeterea, homo determinatis et concretis dispositionibus debet sese habere. Certum est, enim, veritates, fundamentum Liturgiae, quoad substantiam vel essentiam nullam mutationem tractu temporis subiisse; sed absque dubio asserere debemus fere omnes christianos visione illa caruisse, qua deficiente, Liturgia, aut res clericorum, aut cultus mere externus dicendus est.

Solae illae veritates efficere possunt ut nostra Liturgia vere actuosa sit. Et ex alia parte, Liturgia ipsa expressiores reddet illas veritates.

Quid enim, in concreto scit communis catholicus de Christo Mediatore per Christum ad Patrem: de Ecclesia, opere Christi, non tantum nec principaliter externo et iuridico; de gratia, qua renovati, ordini divino incorporamur per Christum in Ecclesia. Hae veritates, si copulate in schema inserantur, nos necessario trahent ad illam participationem actuosam.

Ideo explicito modo hae veritates schema conformare debent. Idque triplici ratione *praesertim:*[2]

a) ratione originis: tamquam a Concilii Magisterio emanantes;

b) ratione transcendentiae: ad totam enim Ecclesiam sese referent;

c) ratione utilitatis immediatae: nam in posterum sacerdotes omnes hoc schema adhibere debebunt praedicationis causa et formationis liturgicae.

Brevissima, non dicta *ni fallor,*[3] de lingua in Liturgia.

Nitide patet redactores schematis viam mediam secutos esse. Quam rationem laudandam esse maxime *censeo a Patribus Concilii.*[4]

Omnes Patres Concilii, maxima libertate, quam donavit nobis Christus, locuti sunt. Quae libertas, purificans nostram mentem et aliquando, flagellans, dedit nihilominus elementa optima iudicii ad efformandum tandem ultimum iudicium.

Immo, cum in Concilio Oecumenico versemur, id est, in disceptatione, in deliberatione, in concordantia opinionum, humiliter iudico — et cum maxima reverentia id audeo dicere — nostra verba et controversiam ipsam Augusti Pontificis maxime interesse. Nihil mirum a fortiori, quod mens et doctrina pontificia nobis magni ponderis sit.

Quibus rationibus innixus, quaeram, non sine mentis et cordis haesitatione, num illa prudens progressio, quam viam mediam diximus, pugnet vel contradicat Litteris Romanorum Pontificum et magis in concreto, *recentissimae*[5] constitutioni Ioannis XXIII, *Veterum Sapientia?*

Iuxta meam ponderationem et peculiare iudicium, existimo nullam inesse contradictionem. Quia:

1) in illa constitutione ne verbum quidem dicitur de re pastorali et liturgica. Sed consulendo solidiori in dies clericorum institutioni, habet pro scopo studium et usum linguae latinae, ob periculum negligentiae.

2) Sancta Sedes quae linguae latinae semper custos fuit, simul nonnulla permisit in favorem linguae vernaculae et pro diversis populis, rationibus pastoralibus.

Et sic intelligitur quomodo oriri potuerit hoc schema.

Ex una parte, lingua latina monumentum Ecclesiae et instrumentum validissimum scientiae est, maxime loquendo de Liturgia, quae Fidem tangit. Sed ex altera parte, utpote pastores, necessitatibus omnium nos aptari debemus.

Ergo viam mediam debemus defendere, ita ut sedulo clerum a populo distinguamus, applicando in favorem sacerdotum totam illam constitutionem, et distinguendo pro populo et Missam et sacramenta et sacramentalia, diversa diversis applicantes, ut capitibus sequentibus dicetur, in schemate.

De auctoritate in Liturgia; de Sancta Sede, de Conferentiis episcopalibus et de episcopis seu de ordinatione huius materiae.

1) Agitur de Sancta Sede in pag. 168, n. 28. Legamus: « *Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet: quae quidem est apud Sanctam Sedem et, ad normam iuris, apud episcopos* ».[6] Etiam in initio paragraphi legitur: « Et hierarchica Liturgiae ». Iudico haec verba superflua esse. Maximum principium de hac re in n. 28 continetur, ideo separatim conscribendum, simul cum aliis ad auctoritatem relatis.

2) De Conferentiis episcopalibus agitur in nn. 21, 22, 24 ...[7] relate ad hoc caput: n. 21 est primus et sicuti principalis, immo adumbratur quoddam veluti principium generale in materia. Legitur *enim in lin. 5*: « *Facultas divinum cultum ordinandi, etc.* ».[8] Hic numerus, meo iudicio:

a) Debet reponi sub illo principio de Sancta Sede, iuxta ordinem logicum et ratione claritatis.

b) Hic n. 21 non forma optativa redigendus esset: contineat oportet dilucide facultates has vel illas.

c) Nulla facultas debet competere Conferentiis episcopalibus in rebus magni momenti, tota quanta uni Sanctae Sedi; nisi agatur de studiis, de concordia episcoporum etc.

Quibus omnibus perpensis, multum claritati prospiceretur si haec omnia ad auctoritatem referuntur, systematice in ordinem redigerentur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema affirmat in pag. 157, lin. 26, nihil velle dogmatice definire. — Haec verba fortasse superflua sint, ut iam ab aliquibus dictum fuit. Ea tantum dicam quae mihi videntur non satis explicita. [2] deest. [3] deest. [4] a Patribus Concilii censeo. [5] recenti. [6] deest. [7] et 25. [8] lin. 4.

12

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Veniam peto vestram, venerabiles Patres, quod breviter quaedam facta enumeranda putem ...[1] quorum mentio nondum facta est, quae tamen ad rem nostram valde pertinent.

Non repeto quae dicta *iam* [2] sunt sub ratione pastorali. Plures verbum fecerunt de necessitate linguae latinae et de fovenda unitate in Ecclesia per ipsam. Ad ea breviter respondeo per facta *de statu actuali usus linguae latinae, quia est quaestio eminenter practica, non theoretica.*[3]

1. Iam non est verum sacerdotes, paucissimis exceptis, lingua latina inter se communicare. Immo id evenit ut, realistice, in ipsis audientiis cum Summo Pontifice ii qui non pollent linguis italica vel gallica, ope interpretis cum Eo communicent. Plures episcopi hic praesentes, sicut et ego, nunc prima vice, a studiis sacerdotalibus absolutis, latine loquuntur, vel ex textu praeparato legunt.

2. Pro hac Sacra Synodo habenda, *latina lingua* [4] minime opus fuit. Iam Congressus Internationales modo meliore fiunt, mediis modernis, ope quarumdam linguarum maiorum modernarum, quarum una saltem ab omni homine culto, sacerdotibus non exceptis, cognoscitur.

3. A pluribus annis in ipso commercio cum Sancta Sede lingua latina iam frequentissime locum cedit linguis modernis ut italicae, gallicae, anglicae, hispanicae, aliis. Perplures episcopi nonnisi lingua moderna cum ea communicant. Hoc dico in laudem Curiae Romanae, sed hoc factum necessitati linguae latinae contradicit.

4. Maiora documenta Ecclesiae, sicut Litteras Encyclicas, atque scripta Patrum *latinorum,*[5] sacerdotes, paucis exceptis, non legunt nisi lingua vernacula.

5. Non lingua latina, sed iam linguis modernis, plura opera theologica et philosophica maioris momenti scripto eduntur. Immo linguis quibusdam minoribus, sicut v. g. *Neerlandica,*[6] plura eduntur maioris momenti quam in lingua latina. Ita iam factum est linguam latinam, si com-

paratur cum pluribus linguis modernis etiam pro sacerdotibus esse omnino minoris utilitatis.

Certo opus erit peritorum in lingua latina ut via aperta remaneat ad documenta latina antiquiora, sicut peritorum in linguis graeca, hebraica, aliis, opus est ad studium Sacrae Scripturae et scriptorum graecorum perficiendum. Sed hic labor est peritorum, non uniuscuiusque sacerdotis, qui ad laborem hunc nec tempus habet nec voluntatem vel aptitudinem.

6. Quae dicta sunt de civitatibus et regionibus mixtae linguae, ea ratione solvenda sunt, qua solvitur in iisdem circumstantiis difficultas habendae homiliae et catechesis. Regiones sunt in quibus huius difficultatis solutio iam a multis annis habetur... Omitto quae dici possunt de iter facientibus laicis qui per aliquot dies a lingua latina ignota ad aliam linguam ignotam transeunt, vel de sacerdotibus quibus, simul cum Breviario, Missale secumferendum erit.

7 et ultimo. Lingua latina, quin unitatem foveat, iam in contrarium operatur, et facta est ratio divisionis inter clerum et populum, inter Ecclesiam latinam et christianos non latinos, inter Ecclesiam sic dictam occidentalem et mundum non christianum, ad fidem adducendum. Ut christiani et catholici uniti sumus ...[7] non aliqua lingua, sed cultu unius Dei et Domini, *caritate, vita, S. Scriptura, doctrina, sacramentis et regimine.*[8] Ne *sequentes humanas traditiones*[9] imponamus ...[10] grave hoc onus sine vera necessitate, praesertim in terris missionum et culturae non occidentalis. Ideo propono ut pag. 167, linn. 10 et 11, loco « in Liturgia occidentali » ponatur « in Occidente » vel « in terris latinis » vel melius: « latinae linguae studium pro professoribus theologiae et philosophiae servetur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de statu actuali linguae latinae. [2] deest. [3] deest. [4] latinae linguae. [5] deest. [6] neerlandica-flandrica. [7] nos, venerabiles Patres, [8] uniti sumus charitate et vita, atque unitate S. Scripturae, doctrinae, sacramentorum et regiminis... [9] deest. [10] ergo.

13

Exc.mus P. D. IULIUS GEORGIUS KANDELA

Archiepiscopus tit. Seleuciensis pierius,
aux. patr. Antiochenus Syrorum

Em.mi ac rev.mi Patres,

Brevitatis amore ductus, sacrifico Patribus Conciliaribus initium ac verba finis.[1]

Mihi vero permissum sit insinuare sequentem observationem, quam-

quam illa materia *disputata* [2] principaliter attineat ad Liturgiam romanam, *ac latinam generaliter.* [3]

Venerandi ac exc.mi Patres et Fratres conati sunt, non inaniter, *concertare* [4] circa linguam latinam semper adhibendam, praesertim in celebratione sacrificii Missae; ex altera vero parte, et ut alacriter ac melius Liturgia participetur a populo, opportunum videtur adhibere linguam vernaculam, quantumlibet appareat difficilis ista iactura.

Ad quam difficultatem modeste respondeo dicendum: nonne erat difficilius apud Patres orientales commutare, et quidem quoad partem notabilem in ipsa Missae celebratione, linguam syriacam — quam locutus est Dominus Noster Iesus Christus cum Sanctissima Matre sua, et quam adhibuit in institutione Sanctissimi Sacramenti — in aliam linguam, scilicet illam quam loquuntur Arabi ac pagani, ignorantes aut negantes Filium Dei ac suum Evangelium?

Patribus enim nostris visum est potius sacrificanda esse lingua tam veneranda — quae evasit hodie incomprehensibilis a fidelibus Ecclesiae — quam sacrificare pulchritudinem ac divitias Liturgiae, quando coetus fidelium non capiunt sensum.

Quamobrem, mihi videtur, quod saepissime accidit inter contradictorias opiniones, « in medio esse virtutem et veritatem »: nec linguam latinam, quae est lingua Ecclesiae, theologiae ac iuris canonici, esse parvipendendam, neve instaurationem ac renovationem Liturgiae, istis temporibus summae necessitatis factas, retrocedendas esse, vel in earum progressu esse inhibendas ac frustrandas.

Lingua latina, quae est hodie regina linguarum, debet permanere lingua Ecclesiae, lingua theologiae, seminariorum, Universitatum... [5] Sed quid pro celebrante aut ministro sacramentorum, si ea quae dici debent secreto modo, dicantur lingua latina, quae vero elata voce *in Missa,* [6] vel per modum dialogi cum populo, dicantur lingua vernacula, ubique terrarum, sive in missionibus sive in civitatibus « mundi melioris »?

Fateor, nos inde ab uno saeculo — scilicet ex quo Romae primum nostrum Missale typis editum fuit — hunc incepisse usum. Sumus Syriaci Antiocheni catholici viventes in medio millia millium Mahomettanorum. Loquimur linguam vernaculam arabicam, sed in Liturgia utimur lingua syriaca. Quamobrem, in iis quae secreto dicuntur in Missa et Sacramentis adhibemus linguam syriacam, scilicet aramaicam; sed iis quae elata voce vel in modum dialogi dicuntur, adhibemus linguam arabicam. Populus assistens orat cum devotione, cantat cum animi ardore: et advena reverentia capitur cum videt et audit multitudinem plebis orantem coram Deo et altari in lingua a populo comprehensibili. Humiliter et tamquam ultimus insinuo hanc opinionem, quia materia non

attinet ad nos Orientales, sicut dictum est in prooemio; sed in Concilio Oecumenico, liberrime et confidenter propono ideam istam.

Ex Oriente Liturgia tamquam sol orta est.[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Multum ac multa dicta sunt de s. Liturgia instauranda, fovenda atque vivenda ad maiorem Dei gloriam et salutem animarum; nec ego volo addere quidquam de hac materia cui propter ingentem gravitatem et pondus, em.mi ac rev.mi praesides Concilii Vaticani II dederunt primum locum in sessionibus generalibus. [2] deest. [3] deest. [4] discutere de par. 24. [5] ac aliarum scientiarum. [6] deest. [7] in eo quod attinet ad cultum eucharisticum, et Liturgiam vivendam per Eucharistiam, addico vocem meam et mentem meam Patribus qui prius locuti sunt de « Exercitiis Eucharistici adorationis cultus », quae etiam ex parte mea commendantur.

In pag. 159 n. 5 de actione pastorali liturgica, sic legitur: « S. Liturgiae fovendae atque instaurandae studium merito habetur veluti transitus Spiritus Sancti in sua Ecclesia ». Attamen, novimus a S. Scriptura quod Sp. S. per suum transitum in sua Ecclesia nascente in forma linguarum ignis, didicit Apostolos omnes linguas gentium ut irent et praedicarent in diversis linguis frangentes etiam panem eucharisticum, ac ut diversae gentes possent comprehendere verba praedicationis simul ac verba orationis et verba Sacrificii Missae.

14

Exc.mus P. D. BLASIUS D'AGOSTINO

Episcopus Vallensis in Lucania

Em.me Praeses ac venerabiles Fratres in Christo,

In tam nobili et erudita disceptatione quae iam per multos dies in hac aula sancta Dei habetur, multa a multis Patribus circa schema de sacra Liturgia sapienter dicta sunt. Mihi venia concedatur ut pauca observationibus iam prolatis adiungantur.

1. In initio prooemii — quod mihi superfluum apparet — fines Concilii Oecumenici Vat. II declarantur. Sed tales fines valde particulares mihi videntur et non integre respondentes ad augustas declarationes quae a Summo Pontifice Ioanne XXIII, f. r., in Bulla *Humanae salutis* factae sunt. Ergo opportunum mihi videtur quod si a commissione prooemium manere existimatur, fines huius Sacrosancti Concilii declarentur quales memoratum documentum pontificium sancivit.

2. Quae de sacrae Liturgiae natura eiusque momento in vita Ecclesiae in cap. I asserta sunt, sicut iam dictum est, de praecisione theologica carent, ac de perspicuitate.

Postulo itaque quod prima novem articula reformentur funditus

et in nova editione clare et praecise, iuxta sensum Encyclicae *Mediator Dei* Pii XII v. r., dicatur quid Liturgia sit, quae actio *Liturgiae* [1] ex parte Christi ac ex parte Ecclesiae, in quantum haec Corpus Mysticum Christi est.

3. In pag. 162, in linn. 28 et 29 legitur: « nihil carius habet Mater Ecclesia quam ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem ducantur ». Et sic in aliis paginis *semper agitur de conscia et actuosa participatione.* [2] Valde opportunum est verbum « *pia* » [3] adiungere, quia non tantum de actuosa participatione sed praesertim de pietate fidelium praeoccupari debemus.

4. In pag. 164, ad art. 15 ubi de transmissionibus radiophonicis et televisificis agitur, in lin. 10, opinor quod verbum « discrete » elimінetur et in suo loco adiungatur: « transmissiones actionum *etc.*, [4] valde fovendae sunt et, si fiant, decore peragantur ».

5. Circa librorum liturgicorum recognitionem, humiliter postulo quod recognitio promissa quam primum fiat. Recognoscatur Pontificale Romanum necnon Rituale.

In hac recognitione Ritualis, quantum fieri potest, Benedictiones reservatae ac privilegia ... [5] imminuta sint, et novae Benedictiones, quae aliquas vitae modernae legitimas manifestationes respiciunt, addantur.

6. Cum agatur de aptatione *liturgica* [6] ad diversos coetus, regiones, populos, postulo quod facultas in hac re non tantum singulis Ordinariis sed praesertim Conferentiis episcopalibus regionalibus *vel nationalibus* [7] concedatur, firma semper Sanctae Sedis recognitione atque approbatione.

7. ... [8] Nunc *paucissima* [9] ad vexatam quaestionem... [10] Utique bene dictum est *in hac aula* [11] quod usus in Liturgia linguae latinae non in principio theologico fundatus est ita ut non sit de essentia fidei. Sic optime affirmatum est quod Liturgia pro nobis sit et non e converso... Sed Ecclesia una est, una fides, unum baptisma: Una ergo sit lingua officialis Ecclesiae, qua facilius unitas Ecclesiae *fulget* [12] et praecisa formulatio religiosae veritatis *ac rituum* [13] servatur.

Omnis fidelis *Ecclesiae* [14] dicere potest: *vir* [15] catholicus sum, civis romanus sum. *Ergo* [16] toto corde accepto ... [17] omnes rationes quae a venerabilibus Patribus optime in praecedentibus *interventibus* [18] pro conservatione linguae latinae in Liturgia allatae sunt. Ergo, magna cum reverentia erga omnes linguas vernaculas quarum largior usus in Liturgia a Sancta Sede, auditis episcopis particularium regionum, semper moderari debet, postulo quod in Liturgia occidentali usus linguae latinae servetur.

8. [19] In pag. 168, lin. 3, hanc emendationem propono: « *scilicet — dicitur — scilicet plebs sancta sub episcopo adunata et ordinata* »; *propono hanc emendationem:* [20] « scilicet plebs sancta sub episcopo vel sub eius in ministerio coadiutoribus adunata et ordinata ».

9 *et ultimum.* [21] In n. 35 commendantur commissiones liturgicae dioecesanae. Quoniam non in omnibus dioecesibus possibilitas adest has commissiones constituendi, opportunum est adiungere « in singulis dioecesibus, si possibile est ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] liturgica. [2] de conscia et actuosa participatione loquitur, sed. [3] « piam » (participationem). [4] sacrarum. [5] religiosis concessa. [6] liturgiae. [7] deest. [8] 7) In pag. 166 in art. 18 in lin. 19 loquitur « de conferentia episcopali ». Sed quaeritur utrum de conferentia episcopali regionali an nationali agatur. — 8) [9] deest. [10] venio, scil. ad art. 24, ubi de lingua latina in liturgia agitur. [11] deest. [12] fulgeat. [13] deest. [14] deest. [15] civis. [16] deest. [17] et approbo. [18] interventis. [19] 9) [20] deest. [21] 10).

15

Exc.mus P. D. TARCISIUS VINCENTIUS BENEDETTI
Episcopus Laudensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Brevitatis causa plura omittam ex iis quae mihi animadvertenda occurrerant, eaque scripto exarata remittam exc.mo secretario generali.

Ergo locuturus de critero pastorali adhibendo in devotionibus popularibus aestimandis riteque moderandis, haec tantum dicam.

Liturgicus noster cultus sit oportet socialis simul ac vitalis, secus solitaria evaderet exercitatio alicui tantum parti coetus ecclesiastici reservata; ad confinium christianae vitae se evolvere pergeret, immo contrarius quandoque et minime consonus deprehenderetur cum christiani populi vita ac pietate. [1]

Ad hoc practice illustrandum, liceat in exemplum proferre hos duos casus: in exemplum, dico, et ad rei illustrationem, repeto, *nolens omnino* [2] vel parum molestiae inferre illorum iudicio et sententiae, quorum ius est ac potestas decretandi.

1. Omnibus compertum est devotionem erga Beatissimam Virginem Mariam de Monte Carmelo eiusque sacrum Scapulare latissime patere notamque habere summe popularem per universam Ecclesiam, fructus ubique gentium afferentem perquam salutares, non minus ac

devotio in Sacratissimum Beatae Virginis Rosarium. Omnes pariter norunt devotionem illam fuisse pluries commendatam a Summis Pontificibus et ab Apostolica Sede, eamque praeterea solidioribus niti fundamentis, ob intimum suum nexum cum iis quae Ecclesia tenet ac docet sive in Novissimis (Inferno, Purgatorio, Paradiso) sive de praesentissimo Deiparae auxilio, eoque valido non solum in vita, verum etiam post mortem: quam Ecclesiae Fidem efficacissime urget, praedicat, nutrit ac promovet praefata devotio in Sacrum Scapulare. Et nihilominus maerenti animo videmus nunc festum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo in calendario liturgico fere ad nihilum redactum, ita ut percelebris ac salutifera illa christiani populi devotio minime obtineat, in disciplina liturgica vigente, adaequatam sui expressionem.

2. Simile quid reperimus de S. Ioseph, Beatae Mariae Virginis Sponso, universalis Ecclesiae Patrono, et amplissimi huius Oecumenici Concilii protectore. Eius devotio totum replet mundum, et sine mora crescit in dies: multo magis, sane, quam devotio Sanctorum Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Ioannis et Pauli, Cosmae et Damiani, *aliorumve*.[3] Et nihilominus de S. Ioseph nulla fit mentio in Canone Missae, immo nullibi invocatur eius patrocinium in toto schemate *Ordinarii*[4] Sacrificii Eucharistici.

Praeses: Rogo te, exc.me Pater, ad rem redire.

Orator: Utique... Ut *manifestum*[5] liquet ex utroque allato exemplo, gravis occurrit defectus proportionis atque commensurationis inter liturgica instituta et practicum christianae vitae cursum. Quae dispar ratio ideo contingit, meo iudicio, quia neglectum aut certe parvi pensum fuit criterium pastorale. Quod pastorale criterium deberet in hac re maximi valere, eo quod fundatur in ipsa sociali atque vitali indole sacrae Liturgiae, et liturgicas omnes ordinationes respondere facit nativo muneri et officio, vi cuius sacra Liturgia esse dignoscitur *publicus* cultus cuiusdam coetus viventis, quae est *Ecclesia* Christi.

Conclusio: Nefas est nobis animarum pastoribus negligere difficultates quibus generatim laborant hac nostra aetate christifideles; quinimmo audire et exaudire tenemur vocem populi Dei, eorumque legitimis exigentiis subvenire, omni conatu omnique ope adhibita.

Ergo, pastorali onere pressus, rogarem enixe commissionis liturgicae Patres et Peritos ut — in recognoscendo schemate de sacra Liturgia — in Calendario conficiendo, in idiomate definiendo, in festis Beatae Mariae Virginis et Sanctorum stabiliendis, in formulis ac ritibus revisendis, ceterisque apte disponendis, habeant potissimum prae oculis

id quod ratio ministerii pastoralis requirit et dictitat; eamque rationem firmiter et constanter praeferre non dubitent omnibus aliis criteriis, iisque tam aestheticis quam historicis alteriusve generis, quibus consulitur ad tuendam aliquam formam artis vel ad servandam venerabilem alicuius praescripti antiquitatem, sed non prospicitur, saltem directe et immediate, vitae christianae augmento et profectui...[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Sapienti vestro iudicio submitto humiliter ea, quae dicturus sum de criterio pastorali adhibendo praesertim in devotionibus popularibus aestimandis riteque moderandis.

Cum sacra Liturgia definiri soleat « cultus *publicus,* nomine *Ecclesiae,* Deo rite exhibitus », in quantum *publicum* est testimonium, debet: ex una parte, referre communem fidem, communem pietatem, communemque devotionem; et ex alia, conferre pro posse ad exprimendos ac fovendos totius Communitatis sensus, nedum unius vel alterius tantum membri. Hinc patet, primo, *socialis* character Liturgiae.

Communitas, quam sacra Liturgia respicit immediate, est *Ecclesia* Christi. Ecclesia autem est organismus vivens — vivus et vitalis — qui sine intermissione augmentum sui facit, per saeculorum decursum, sub interiori ductu Spiritus Sancti, necnon sub exteriori legitimorum pastorum zelo ac regimine. Teste Summo Pontifice nostro Ioanne XXIII, Ecclesia Dei nullatenus retineri debet tamquam archaeologicum quoddam musaeum, vita plane destitutum; sed habenda est veluti fons indeficiens aquae vivae, iugiter manantis et salientis in vitam. Hinc patet, secundo, *vitalis* character sacrae Liturgiae.

His itaque suppositis, haec auderem suggerere, utique servata debita reverentia.

Quantum ad *formam,* optarem, in principiis theoretice enunciandis, rerum expositionem minus prolixam minusque diffusam, prout ipsa rei natura postulat; et vellem, praeterea, rationem dicendi magis sobriam magisque castigatam, quae pressius accedat ad nitida atque concinna documenta Tridentini et Vaticani I.

Quoad *materiam,* commendarem potissimum ut in normis praescribendis, imprimis et ante omnia, attendatur *criterium pastorale,* ita ut ea tantum statuantur, quae indolem praeseferant vere *socialem* vereque *vitalem,* quaeque aptissime occurrant indigentiis, quibus nunc temporis angitur christianus populus.

Consequenter, si ad sacram Liturgiam renovandam et hodiernis necessitatibus accommodandam utile visum fuerit atque conveniens nonnulla mutare, demere vel addere, tunc — servato dogmate, et fidei doctrina in tuto posita — ne vereamur et vetera corrigere vel auferre, et nova generosius probare et assumere. Aliter cultus noster liturgicus solitaria permanebit exercitatio, soli clero solisque religiosis familiis reservata; sese evolvere perget ad confinium christianae vitae; immo contrarius quandoque et minime consonus deprehendetur cum christifidelium vita et pietate. Quod est omnino contra liturgiae naturam ac fundamentalia eius munera. [2] omnino nolens. [3] aliorumque. [4] ordinario. [5] manifesto. [6] Quam christianam vitam, pastores animarum cogimur continuo quaerere et operose promovere, prae omnibus quibuslibet negotiis, quia, in Ecclesia sancta Dei, suprema lex est salus animarum.

Praeses: Nunc ius est loquendi exc.mo D. Ioanni Baptistae Peruzzo, arch. Agrigentino in Italia, qui erit ultimus in disceptatione prooemii et capitis I schematis constitutionis *de sacra Liturgia.*

16

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PERUZZO

Archiepiscopus Agrigentinus

Em.mi Patres, venerabiles Fratres,

Ultimus sum sed senex sum, senior in medio vestri, et forsitan pauca intellexi; ideo parcite mihi si aliqua praecisatio vobis non placeret. Multas observationes et propositiones audivi contra Sanctam Traditionem circa usum linguae latinae in sacra Liturgia habendam, et varia verba causa mihi fuerunt anxietatis et timoris quod vobis breviter expono, non theologice loquendo, sed historice.

Motus antiliturgicus mihi non placet, ratione originis. Originibus familiarum, institutionum, rerum, doctrinarum, semper magni momenti est attendere: quis pater, quis mater, quis magister. Si fons ab initio sana fuit, sana facile erit decursu temporis. Si fons inquinata, difficiliter fiet pura. Istis principiis innixus, ante oculos habeo originem motus antiliturgici: qui patres, qui auctores.

Hic motus ortum habuit sub fine saeculi XV et initio saeculi XVI. Primi antiliturgici fuerunt humanistae, pagani in Italia, meliores in Gallia et in terris nordicis, duce Erasmo, sed omnes non securi in fide. Ipsos secuti sunt cursu magno multi Fratres nostri qui postea se ab Ecclesia catholica separaverunt. Inde Iansenistae, in Italia sectatores Conciliabuli Pistoiensis, et tandem modernistae: haec est societas cum qua multi eumdem loquendi modum habent.

E converso, in hoc motu promovendo, nullum invenio sanctum episcopum. Ipsi a S. Carolo Borromeo ad S. Claret, a S. Francisco Salesio ad S. Alfonsum, antiqui et novi, omnes latinae traditioni adhaeserunt. Hoc factum nos reddat cautos in novitatibus. Faciliter relinquitur via antiqua secura; at semitae qualem voraginem nobis praeparent et procedent!

Erasmus in praefatione Evangelii S. Matthaei ita scribebat: « Indecorum et ridiculum videtur, quod idiotae et mulierculae, psittaci exemplo, psalmos et precationem dominicam immurmurant, cum ipsi quod sonat non intelligunt ». Hanc propositionem quae simplex et iusta videtur, universitas parisiensis damnavit ut impiam, erroneam et viam aperientem erroribus; legite Duplessy.

Sententia nobis videtur exaggerata, sed fuit prophetica. Omnes qui saltem diminutionem linguae latinae in Liturgia petierunt, semper uti hodie, eamdem rationem dicunt: ad melius erudiendum populum et ipsum excitandum ad maiorem fidem et amorem Dei.

In Confessione Augustana (Augsburg), nihil aliud petitum fuit nisi cantus popularis in lingua vernacula, tempore Missae. Sed quid evenit? Substitutio linguae vulgaris in Missa, generatim, primus fuit actus separationis a Sancta Matre Ecclesia. Gravis haec affirmatio non est mea, sed domini abbatis Guéranger, qui vere pater est renovationis liturgicae. En sua verba: « Separatio a lingua liturgica per quamdam inexplicabilem rationem, a nobis non cognitam, fere semper, etiam habita dispensatione Summi Pontificis, adduxit ad schisma et ad plenam separationem ab Ecclesia catholica ». Quod affirmat ille probat, uti vos legere poteritis in volumine III eius *Institutions Liturgiques*. Haec dicta, haec facta nos reddere debent permultum cautos in hac re tanti momenti.

Tertiam rationem breviter adducam, ex fidelitate quam episcopi semper, super omnes, habere debent Summo Pontifici: evidens est. Fere a quinque saeculis Summi Pontifices firmiter restiterunt precibus, sollicitationibus et minis, ad defendendam linguam latinam in sacra Liturgia. Novissimis temporibus, a Leone XIII ad regnantem Summum Pontificem, una voce, necessitatem latinae linguae in sacra Liturgia commendaverunt variis Litteris Apostolicis.

Fratres dilecti, hae dispositiones suntne consilia tantum, an ex verbis praeceptum dant?

Discussiones contrariae liberae sunt; sed mihi videtur submissa voce et sub oboedientia Summi Pontificis.

Omnes petunt ut christiani hodie meliores efficiantur. Ad hoc omnes laboremus; historia vero nos docet sanctificationem animarum cum Liturgia uniri posse, sed exigere praecipue sanctitatem nostram, vigorem fidei nostrae, heroismum apostolatus, spiritum orationis, poenitentiae, et etiam externam illam magnam devotionem quae populum ad Deum adducit.

Parcite audaciae meae et etiam pro me orate!

Textus scripto traditus:

Senex sum et hac de causa forsitan non bene audivi omnia quae a doctis Patribus in hoc Sacro Oecumenico Concilio dicta sunt contra latinae linguae usum in S. Liturgia et etiam in sancto Sacrificio Missae: et aliquae propositiones auribus meis perventae multum periculosae visae sunt et Ecclesiae catholicae probatis documentis contrariae. Quod breviter et plane patientiae vestrae et vestris meditationibus subiicio.

1. Hodiernus motus antiliturgicus periculosus mihi videtur ratione suae originis; nam quae audivi nova non sunt sed vetera.

Origini personarum, institutionum et doctrinarum valde attendendum est, si vere intelligere volumus hodie quod aliis in temporibus factum est. Nam origo radix est, fons et semen. Si radix sancta est, dixit Iesus, sancti erunt et rami: sed si fontes et semina, in initio, venenata fuerint, haec erunt etiam sequentibus temporibus. Quid est quod futurum est? quaerit Spiritus Sanctus, et respondet: idem quod factum est.

Quod si ita est, videamus qui, sub fine saeculi XV et initio saeculi XVI, patres et auctores fuerunt motus contra linguam latinam in S. Liturgia. Facilis responsio: primi fuerunt humanistae, pagani in Italia, meliores in Gallia, et in nordicis regionibus, duce Erasmo: sed omnes securi in fide non erant, sicut probant eorum scripta.

Ipsos secuti sunt ampliori modo Bohemi, amplissimi protestantes et, saeculis posterioribus, Iansenistae, Conciliabulum Pistoriense et Modernistae.

Venerabiles Fratres, dignum ne vobis videtur istis hominibus, etiam si aliorum temporum, sociari et fere eodem modo loqui: Vos quos Paulus vocat Apostolos Ecclesiae et gloriam Christi? Melius non est et gloriosius in unum esse, etiam in amore latinae linguae, cum illis sanctis episcopis qui, istis in quatuor saeculis, post S. Carolum Borromaeum, vere resplendent in Ecclesia sicut stellae in perpetuas aeternitates?

2. Secunda ratio ob quam motus iste antiliturgicus mihi periculosus videtur, a periculo amittendi fidem desumitur.

Quid petebant innovatores initio saeculi XVI? tantum mitigationem linguae latinae, praecipue in sancto Sacrificio Missae. Quibus rationibus? ad melius erudiendum populum et magis excitandos fideles ad maiorem fidem et amorem Dei. Nihil aliud.

Erasmus in Praefatione Evangelii s. Matthaei haec scribebat: « indecorum et ridiculum est, quod idiotae et mulierculae, psittaci exemplo, psalmos et precationem dominicam immurmurant, cum ipsi, quod sonat, non intelligant ».

In Confessione Augustana nihil aliud petitum fuit nisi cantus popularis in lingua vernacula tempore Missae. Sed quid evenit? Substitutio linguae vulgaris in S. Liturgia et praesertim in Missa primus, generatim, fuit actus a S. Matre Ecclesia separationis.

Gravis vere est haec affirmatio, sed mea non est: scripta enim fuit ab abbate Guéranger, restauratore temporibus nostris S. Liturgiae. En eius verba: « Separatio a lingua liturgica fere semper, per quandam arcanam rationem et legem a nobis non cognitam, etiam habitis dispensationibus a Sede Apostolica, fere semper adducit ad plenam separationem ab Ecclesia Catholica ». Quod affirmat, ipse probat in III Volumine eius operis « Institutions Liturgiques », ubi per centum folia de hac re loquitur.

Idcirco vere prophetica fuerunt verba Universitatis Parisiensis, quando a. 1526 propositionem Erasmi superius recordatam declaravit « erroneam, impiam et viam aperientem erroribus ».

Haec omnia et multa alia omnes legere et meditari possunt in *Dictionnaire de Théologie Catholique,* Tome VIII, Langues Liturgiques.

3. Tertiam rationem adducam a veneratione et fidelitate quam particulari modo debent episcopi Ecclesiae Christi et Summis Pontificibus habere.

Omnes norunt quod semper Summi Pontifices, sed magis a quinque saeculis,

firmiter restiterunt precibus, sollicitationibus et etiam minis, ad defendendam linguam latinam in S. Liturgia et praesertim in sancto Sacrificio Missae. Documenta vero omnia a Leone XIII ad regnantem Summum Pontificem, constanter, una voce, latinitatis studium exigunt et S. Liturgiam in latina lingua volunt. Eorum verba sunt consilia aut praecepta? Si consilia essent, etiam tunc nobis adhaerendum esset desideriis Vicarii Christi. At consilia non sunt, sed praecepta quae Ecclesiae sensum declarant. Unde ergo tantae disputationes? Roma locuta est: causa finita est.

Nimis dixi: parcite audaciae meae et etiam pro me orate.

Secretarius generalis: Audiant omnes! De mandato consilii praesidentiae, communico omnibus Patribus responsionem quam Summus Pontifex dignatus est dare nostro nuntio: [*omnes Patres surgunt*]

« Venerabilibus Fratribus, ad celebrandum Oecumenicum Concilium Vaticanum II congregatis.

Admodum commoto animo, caritatis vestrae singulare pignus nuper excepimus per quod flagrantia omina Nobis exhibere cupiistis, illucescente die quo Amantissimi caelorum Patris voluntas ad universam regendam Ecclesiam, Vobis ex universo terrarum Orbe cum commisso grege christiano exsultantibus, quattuor abhinc annos Nos vocavit. Suave Nobis solacium comparastis de quo gratias plurimas agimus ex imo pectore valde laetantes, quod anniversariam huiusmodi memoriam, Deo providentissime disponente, fulgenti vestra corona circumdati hoc anno celebramus.

Vobis singulis, universis, vestroque cotidiano labori gliscentia Spiritus Sancti lumina et auxilia deposcimus; vestras quoque instantissimas preces, nostris coniungere velitis, ut Oecumenicum Concilium apud Petri sepulcrum collectum, humanae societati micantissimum unitatis sidus praeluceat, Evangelii veritatem virtutemque fortiter proponat, Ecclesiae sanctae thesauros pandat, ad Christi regnum diffundendum, regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, amoris et pacis.

Ac praesertim una simul Principem pacis enixe rogemus, ut eius pax quae exsuperat omnem sensum, hominum corda et intelligentias custodiat, atque omnia contra pacem pericula avertat, quae, nisi summa prudentia sedulo praecaveantur, inenarrabiles tantum lacrimas, ruinasque sint paritura.

Amantia vota Nostra, per Apostolicam Benedictionem confirmamus, quam Vobis omnibus vestrisque longinquis populis, tantopere Nobis dilectis, perlibenter dilargimur.

Ex Aedibus Vaticanis, die 28 mensis octobris, anno 1962.

Ioannes XXIII Papa »

[*Plausus*].

Nunc incipit disceptatio de cap. II constitutionis *de sacra Liturgia,* quod ita incipit, pag. 175: « Salvator noster, in Coena novissima qua nocte tradebatur, Apostolis paschale convivium in sui memoriam donec veniat iterandum praecepit, ita ut mortis eius victoria et triumphus repraesentaretur; et Ecclesiae dilectae Sponsae suae fieret magnum sacramentum pietatis, fons et exemplar unitatis, sacrificium laudis, pignus et figura caelestis convivii... » et reliqua.

Rogantur iterum atque iterum Patres omnes ne de lingua latina amplius loquantur, cum multa, iam multa dicta sint!

Rogantur praeterea iidem Patres ut velint, sicut praescriptum est, summam rerum dicendarum dare secretariae tempore opportuno et, si qui omnino eadem dicere velint, pareant invitationi secretarii vel subsecretarii ut unus tantum pro omnibus loquatur.

[*Plausus*].

Praeses: Transeamus igitur ad disceptationem de cap. II.

17

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

In cap. II, *de sacrosancto Eucharistiae mysterio,* enuntiatur supremus finis pastoralis in Liturgia assequendus, scilicet ut fideles huic mysterio fidei non velut inertes et muti spectatores intersint, sed ut ritibus et precibus conscie, actuose et pie participent (pag. 175, linn. 7-13).

Quaestio oritur solummodo de mediis ad finem aptissimis, nullo modo de ipso fine. Quare hac de re accurate recolendum quod dictum est in cap. I de vera utilitate pastorali tamquam norma suprema, de maxima prudentia et circumspectione in innovationibus introducendis, atque de « historicismo » exaggerato et rerum novarum studiositate evitandis.

In hac constitutione proponitur: « Ordo Missae ita recognoscatur... ut clarius percipiatur et actuosam fidelium participationem faciliorem reddat » (pag. 175, n. 37). Hoc qua principium controverti nequit, quaeritur autem quid sibi velit « Ordinem Missae recognoscere ». Non videtur admittendum tamquam unicum vel primarium principium ut renoventur ii ritus qui primum apparuerunt in Missali Romano saeculo XVI. Tale principium, si admitteretur et rigidius applicaretur, facile

duceret ad solos ritus iam obsoletos revivificandos. Saeculo sive quinto sive decimosexto sive vigesimo eadem semper Ecclesia cum missione divinitus sibi data, vivit et crescit, atque structuram liturgicam saltem ex parte omni saeculo conficit ex sua experientia de necessitatibus et utilitate fidelium.

Eodem art. 37 proponitur: « Ordo Missae ita recognoscatur... in singulis partibus ». Hoc viam latam aperire videtur omni generi innovationum. Sunt qui exoptent ut in Missa rarius fiant Crucis signationes, altaris oscula, genuflexiones, inclinationes, sed iterum quaeritur utrum huiusmodi innovationes essent ad veram fidelium utilitatem. Nonnumquam sermo fit de breviore formula distributionis Sanctae Communionis, v. g. « Corpus Christi, Amen », sed cavendum est ne minuatur reverentia erga Sanctissimum. Ex altera parte, abolere possent omnes restrictiones, quibus fideles prohibentur a Sancta Communione in quibusdam Missis recipienda. Haec ordinatio vere pastoralis esset.

Amplior lectio Sacrarum Scripturarum (pag. 175, n. 38) qua principium commendanda quidem est; in praxi autem caveatur ne Missa nimis protrahatur, neve tempus pro homilia utile nimis restringatur. Ubi fideles numerosi Missae adsistunt, si Missa nimis protrahitur, adsistentia multis onerosa erit vel ob necessarium laborem quotidianum fere impossibilis.

Communio sub utraque specie, ut dicitur in schemate, « sublato fidei periculo » (pag. 176, n. 42) quam adsint magna incommoda practica, verae Ecclesiae utilitati non congruit. Concessio, ut iterum habetur in schemate, « pro certis casibus a Sancta Sede bene determinatis » magnam confusionem et perturbationem fidelium induceret.

Quoad concelebrationem Missae extendendam (pag. 176, n. 44), quaeritur utrum adsit ratio sufficiens abrogandi legem vigentem (can. 803 C.I.C.) et utrum revera *conferat in* [1] fidelium utilitatem. *Quoties* [2] desideratur *a penuria* [3] sacerdotum in tot locis, ut extendatur facultas Ordinariorum locorum binationem vel trinationem permittendi. Eadem de causa optatur ut extendatur potestas Ordinariorum designandi loca apta pro Missae celebratione. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] conferret ad. [2] Potius. [3] ob penuriam.

18

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Plura in hoc cap. II digna sunt quae laudentur, attamen nonnulla mihi videntur vobiscum consideranda.

Pag. 175, lin. 14 et subseq. legimus: « Quapropter Sacrosanctum Concilium, ut Sacrificio Missae restituat, etiam in forma rituali, plenam pastoralem efficacitatem etc. ». Est sane rigidus et mirus modus dicendi! Verbum « restituat » (i. e.: Sacrificio Missae restituat) quamquam recto animo a redactore positum, fortius est quam oporteat; admitti enim nequit Sacrificium Missae, Ecclesia duce, quidquam amisisse quod ei restitui debeat.

Secundo, pag. 176 sub numero arabico 42: agitur de Communione sub utraque specie.

Communionem sub utraque specie, in ritu romano, ultra limites iamdudum ab Ecclesia statutos vix concederem. Etenim Concilium Constantiense — Summo Pontifice Martino V —, in sessione XIII (die 15 iunii 1415) hoc definivit: « Licet in primitiva Ecclesia huiusmodi Sacramentum (i. e. venerabile Eucharistiae Sacramentum) reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen consuetudo ad evitanda aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et laicis tantummodo sub specie panis *susciperetur* »[1] (Denz. 626).

Deinde inter errores Martini Lutheri damnatos in Bulla *Exsurge Domine* data a Leone X, die 15 iunii 1520, error XVI hic est: « Consultum videtur quod Ecclesia in communi Concilio statueret, laicos sub utraque specie communicandos » (Denz. 756)...[2]

Similiter Concilium Tridentinum, sess. XXI, cap. 2 — Summo Pontifice Pio IV —, die 16 iulii 1562, sanxit: « ... quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis *latissime* iam mutata illa consuetudine, gravibus et iustis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie (scilicet sub specie panis) approbavit, et pro lege habendam decrevit » (Denz. 931). Et subinde, in eadem sessione, canone 2, id definivit: « Si quis dixerit Sanctam Ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non

conficientes, ...[3] sub una panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit » (Denz. 935).

Venerandi Patres! Placeat vobis de hac re unum perpendere: ergo Concilia Constantiense et Tridentinum, Oecumenicum XVI et XIX, immutationem primitivae Ecclesiae consuetudinis, ex qua, in ritu latino, sacerdotes non celebrantes et laici communionem sub utraque specie recipere solebant, severo praecepto confirmarunt *ob pericula et scandala inde exorta,* vel ut verbis Concilii Tridentini utar, *propter graves et iustas causas*. Causae illae, tanta auctoritate deploratae, cessaruntne hodie? An potius validitate creverunt, maxime quia communicantium numerus nunc longe maior est?

Cum autem in Concilio Tridentino proposita sit quaestio an exceptio pro aliqua natione vel regno, ob peculiares rationes et sub certis conditionibus concedenda esset, Concilium noluit eam considerare, sed integrum negotium ad Summum Pontificem esse referendum decrevit. Iamvero usque ad hunc diem, per quattuor saecula, nulla exceptio, ni fallor, in ritu romano a ...[4] Pontificibus concessa est.

Puto insuper multos, propter hodiernas cautelas hygienicas, a communione sumenda ex eodem Calice abhorrere. Servetur tamen exceptio constanter recepta in consecratione episcopali.

Fortasse concedi posset *sub utraque specie communio*[5] in sacerdotum ordinatione et in aliqua extraordinaria occasione, praevia peculiari permissione Sanctae Sedis.

Pag. 176, sub numero romano II: de concelebratione sacramentali. Non minora incommoda consequerentur — ut opinor — in ritu nostro si usus concelebrationis amplificaretur.

Concelebratio remaneat — in ritu romano — nota singularis et insignis sacrae ordinationis sacerdotalis et consecrationis episcopalis.

Ceterum, quomodo e. g. in ipsa feria V in Coena Domini digne decoreque disponi posset concelebratio si plurimi adstent sacerdotes, sicut evenire solet illa die in nostris ecclesiis cathedralibus? Et si id non fieret ubique, deplorandum exoriretur discrimen inter varias dioeceses.

Profecto ad aliquot Sanctuaria et in coetibus ecclesiasticis saepe multi simul conveniunt presbyteri, qui, altaribus quae sufficiant deficientibus, vix omnes Missam singulatim celebrare possunt, sed — quaero — nonne in iis adiunctis remedium melius et aedificatione plenum pro fidelibus haberetur, si sacerdotes alternis diebus Missam celebrarent et diebus quibus nec mane nec vespere celebrare valent, summa cum pietate et magna cum humilitate ad communionem simpliciter accederent, quin Sanctissimam Eucharistiam ipsi confecerint? Utcumque S. Sedes,

cuius iudicio omnia in hac re subiicienda erunt, decernet num in casibus *omnino* [6] peculiaribus aliqua venia vel dispensatio concedenda sit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] suscipiatur. [2] nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici. [3] (Eucharistiam). [4] Summis. [5] deest. [6] deest.

19

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Fratres,

Breviter dico [1] quoad art. 44.

Mihi placet quod usus concelebrationis amplificetur; et opportune dantur in notula 12 rationes positivae talis amplificationis: nempe melior manifestatio unitatis Ecclesiae et stimulus ad pietatem sacerdotum et populi christiani.

Tamen notabo quod in textu ipsius articuli illae positivae rationes non *invocantur.*[2] E contrario, sub littera *b*), concelebratio videtur concedi invite: textus enim dicit: « si... aliter provideri non possit ». Propono ergo ut in ipso articulo potius dentur rationes positivae concelebrationis.

Praeterea propono ut extendatur, semper tamen (sicut praevidetur in art. 45) sub auctoritate Ordinarii loci et mature consideratis circumstantiis particularibus, (ut extendatur) ad alios casus possibilitas concelebrandi. Particulariter foverem — ubi *concelebratio* [3] singularis non requiritur ad utilitatem fidelium — ut concelebretur Missa conventualis et Missa solemnis in ecclesia cathedrali.

Consequenter sequentes additiones et modificationes propono:

Lin. 19, art. 44, post primam sententiam addatur: « Ex eo quod natura sua, concelebratio pietatem sacerdotum fovet et unitatem Ecclesiae opportune manifestat, Concilio facultatem *celebrandi* [4] » etc.

Linn. 22-23, eiusdem articuli, sub littera *b*), substituatur sequens formulatio: « Ad conventus sacerdotum, ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis, ubi plures sacerdotes adsunt quorum tamen singularis *concelebratio* [5] ad utilitatem fidelium non requiritur, salva semper cuiusque sacerdotis libertate individualiter celebrandi, non tamen in eadem ecclesia, eodem tempore ».

Ut cuique suum tribuatur, notabo quod illa ultima additio eumdem

textum refert ac ille qui commissioni centrali propositus erat quique a commissione de emendationibus adprobatus est.[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] *Quoad art. 41.* Art. 41 valde opportune proponit ut in Missis congruus locus tribuatur linguae vernaculae.

Tamen ille articulus mentionem solummodo facit lectionum, orationis communis et nonnullorum cantorum, dum art. 24, quo, linea sexta, sese refert, loquitur de « nonnullis orationibus », sine limitatione ad solam orationem communem.

Propono ut textus art. 41 sequenti modo modificetur. Dicatur, lin. 5-6: « Imprimis autem in lectionibus et in *nonnullis orationibus* et cantibus... ».

Etenim, mea opinione, non habetur ratio cur lingua vernacula excludatur a Collecta et Postcommunione. Ex illo quod illae sunt formulae praesidentiales minime concluditur quod lingua vernacula dici non possunt. *E contrario potius convenit* quod oratio praesidentis cui fideles assentire debent per acclamationem Amen, sit lingua fidelium ita ut illi intelligere et maiore fervore orare possint. Ipse Sanctus Paulus Apostolus, in sua Prima Epistola ad Corinthios (14, 15) exigit ut populus intellegat orationem cui per verbum Amen respondet. Apostolus enim in capitulo decimo quarto ubi effuse de linguis intelligibilibus utendis loquitur, interrogat: « Quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, *quoniam quid dicas* nescit? ». Praeterea usus linguae vernaculae in orationibus esset remedium prolixitati monitionum et commentariorum.

[2] evocantur. [3] celebratio. [4] concelebrandi. [5] celebratio.

[6] On m'informe qu'au Livre des procès-verbaux de la Sous-commission des amendements il apparaît que le paragraphe de l'article 44 (de concelebratione) proposé à la Commission Centrale et rappelé dans mon intervention du 29 octobre dernier avait été légitimement retranché lors d'une réunion de cette Sous-Commission.

Ce renseignement corrige l'erreur accidentelle qui, sur la foi d'autres documents, s'est introduite à la dernière ligne du texte que j'ai remis au Secrétariat général à la fin de la Congrégation générale du 29 octobre; cette dernière ligne se lisait comme suit: textus qui « a Commissione de emendationibus approbatus est ».

Je désire donc — sans toutefois retirer la proposition que j'ai faite d'intégrer à nouveau ce texte dans l'article 44 du chapitre II — transmettre cette information au Secrétariat Général et, par lui, à la Commission conciliaire qui recevra les amendements.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD PROOEMIUM ET CAP. I
SCHEMATIS DE SACRA LITURGIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD PROOEMIUM ET CAP. I SCHEMATIS DE SACRA LITURGIA *

1

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. D'ALTON
Archiepiscopus Armachanus

Em.mus card. arch. Armachanus, nomine archiepiscoporum et episcoporum Hiberniae, quae sequuntur emendationes schematis constitutionis *de sacra Liturgia* proponit:

1. Ad finem par. 14 addantur sequentia verba: « Attamen quae dicuntur a Sacrosancto Concilio de actuosa participatione fidelium, ita intelligenda sunt, praesertim quod attinet ad sacrosanctum Missae sacrificium, ut nullomodo excludantur, vel parvipendantur, pia meditatio mysteriorum Christi vel religiosa exercitia vel aliae preces ad mentem Litterarum Encyclicarum *Mediator Dei* ».

2

EM.MUS P. D. BENIAMINUS CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Art. 24, pag. 167: Forse opportunum esset aliquid huiusmodi addere, scilicet: Prae oculis tamen habeatur magnum problema « migrationis internae », si de nationibus agitur in quibus praeter linguam nationalem diversae linguae existunt in diversis regionibus. Tunc enim suadendus esset usus linguae latinae in maiore parte canticorum liturgicorum; quod si lingua vulgaris adhibeatur, non fiat modo exclusivo in lingua locali aut regionali.

Ratio est magnum momentum dictae participationis fidelium in sacra Liturgia. De facto, advenae qui tantum ignotam linguam audiunt sive in cantu, sive in orationibus, sive in praedicatione verbi Dei, ut saepe fit, ab Ecclesia recedunt. « Haec — dicunt — non sunt pro nobis... ». Quod experientia mihi testatur magno cum plurium animarum damno.

Utique dicet aliquis ipsum problema dari in migratione internationali.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt vel iuri loquendi renuntiaverunt.

Sed respondeo remedium inveniri posse in sacerdotibus missionariis emigrantium; quos tamen missionarios seu capellanos absonum esset exigere etiam pro singulis linguis et regionibus in eadem natione in qua lingua communis seu officialis viget.

3

EM.MUS P. D. RUFINUS CARD. SANTOS
Archiepiscopus Manilensis

De prooemio:

Desideratur conceptus magis praecisus ac completus « De Liturgia ». Fortasse amplior enucleatio fieri oporteret doctrinae « De Sacerdotio ministeriali »; et explicite sermonem facere de obiecto centrali cultus, quod est Mysterium Sanctissimae Trinitatis, et de operositate Spiritus Sancti.

Abest relatio ad pietatem subiectivam, specifice circa principia practica: *a*) meditationem; *b*) examen conscientiae; *c*) exercitia spiritualia; *d*) receptionem Sacramentorum; *e*) adorationem Ss.mi Sacramenti; *f*) pium exercitium Viae Crucis, Rosarium, varias devotiones erga Beatissimam Virginem Mariam, S. Ioseph, etc.

In pag. 157, lin. 5: Verbis schematis « quoquo modo » substituantur verba: « apto modo ».

De capite I:

In art. 1, linn. 8-9, pag. 159: Clausula: « Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit causa nostrae salutis », legatur hoc modo: « fuit causa instrumentalis nostrae salutis ».

In art. 5, lin. 11, pag. 161: Observandum est quod « culmen » sacrae Liturgiae, ad quod omnia tendere debent, non « est divinum Eucharistiae sacrificium », sed est Deus Ipse Solus.

In art. 11, linn. 15-16, pag. 163: Maximo momento institutionis liturgicae agnito, nimium videtur illam inter disciplinas principales in Seminariis et facultatibus theologicis considerare; neque enim ad futuros sacerdotes rite instituendos et efformandos aequale momentum habere potest ac S. Scriptura et theologia dogmatica et morum; quae, si rite, complete et competenter tradantur, alumnos bene disponent ut de facili ipsius Liturgiae vim et significationem plene capiant.

In art. 21, pag. 165-166: Solius Sanctae Sedis sit divinum cultum et sacram Liturgiam ordinare. « Episcoporum tamen Conferentiis datur facultas proponendi Sedi Apostolicae postulata ».

In art. 24, pag. 167: Lingua latina servari debet in Liturgia occidentali. Pro usu fidelium parari possunt versiones in lingua vulgari uniuscuiusque regionis, iuxta rerum adiuncta et necessitates regionis.

4

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Enmiendas al proemio y al capítulo primero del esquema de constitución sobre la sagrada Liturgia propuestas por la Conferencia de los obispos de Chile.

1) « Nota » pag. 155, omittatur. *Ratio* est quia in instauratione s. Liturgiae non tantum S. Sedes sed etiam Conferentiae episcoporum partes habebunt, ut in ipso schemate proponitur.

2) Pag. 157, lin. 25: auferatur oratio « dum declarat se in praesenti constitutione nihil velle dogmatice definire ». *Ratio* est clausulam necessariam non esse: definitiones etenim ex verborum tenore clare constare debent, quod in praesenti schemate minime accidit. Et insuper quia haec negativa declaratio posset interpretari veluti vim constitutionis nimis extenuans.

3) Pag. 157, lin. 29: Tota oratio sic mutanda proponitur: « Inter haec principia et normas nonnulla habentur quae ad omnes ritus, tum occidentales tum orientales, applicari possunt ac debent, licet ea quae practice a S. Synodo decernuntur solum ritum romanum spectare intelligenda sint, nisi aliud expresse caveatur ». *Ratio*: Concilium oecumenicum, maxime in primis congregationibus non debet seipsum ad negotia solius patriarchatus romani seu occidentis coarctare. Principia generalia quae Orientalium Ecclesiarum ius minime contradicunt, sunt pro omnibus maximi momenti.

4) Pag. 158, lin. 1: Pro verbo « vigentes » proponitur « agnitos vel agnoscendos ». *Ratio*: Decursu temporum possunt novi ritus confici, quorum dignitas non minor sit quam aliorum.

§ 1: Pag. 159, lin. 16: Post verba: « ex quo » additio proponitur « per Spiritum Sanctum ». *Ratio*: Quia in revelatione christiana Ss.mae Trinitatis maximum est mysterium, oportet ut tres divinae Personae dissertis verbis nominentur. In schemate autem Spiritus Sanctus plus minusve latet.

§ 2: 1) Pag. 160, lin. 10: Oratio sic compleatur: « *tum* legendo..., *tum* Sacramenta administrando, *tum* Eucharistiam celebrando ». *Ratio* est quia additione facta melius apparet relatio totius Liturgiae ad paschale mysterium.

2) Pag. 160, lin. 15: Addatur in fine « per virtutem Spiritus ». Cf. supra.

§ 3: 1) Pag. 160, lin. 21: Pro verbo « explicantur » proponitur « exponuntur ». *Ratio*: Quia expositio maiorem postulat Sacrae Scripturae fidelitatem quam eius explicatio.

2) Pag. 160, lin. 24: Ante verbum « offert » addatur « sacramentaliter ». *Ratio*: Sic melius indoles actionis liturgicae apparet.

3) Pag. 160, lin. 28: Proponitur nova additio: « Mediator etenim Dei et hominum homo Christus Iesus (*1 Tim.* 2, 5), Pontifex constitutus secun-

dum ordinem Melchisedech (*Hebr.* 5, 6), Caput corporis quod est Ecclesia (*Ef.* 5, 23; *Col.* 1, 24) suum sacerdotium ita vere in omnia membra effundere voluit ut merito ab Apostolo Petro domus spiritualis, sacerdotium sanctum (*1 Ptr.* 2, 5) nuncupentur. Populus etenim Israël, in quo futura temporum plenitudo Deus praesignari voluit, ab Ipso sibi regnum sacerdotale et gens sancta (*Ex.* 19, 6) vocatus est, immo messianica tempora non obscure innuens ait: " Vos autem sacerdotes Domini vocabimini; ministri Dei nostri dicetur vobis " (*Is.* 61, 6); quae vaticinia impleta fuisse Ioannes Apostolus testatur dicens Iesum Christum nos fecisse regnum et sacerdotes Deo et Patri suo (*Apoc.* 1, 6) ». *Ratio*: Cum doctrina de sacerdotio fidelium in Ss. Scripturis inveniatur necnon ab ipso S. Thoma et a Magisterio Romanorum Pontificum enucleatius exposita fuerit, cumque inter fundamenta actionis cultualis merito connumeretur, peropportunum videtur ut de ea fusius in hac constitutione loquatur.

4) Pag. 160, lin. 36: Post verbum « praecellenter » addatur « cuius efficacitas eodem titulo eodemque gradu nulli... ». *Ratio* est ut ex ipsis Concilii verbis clarius appareat specialissima efficacia actionis liturgicae.

§ 5: Pag. 161, lin. 8: Titulus et prima oratio sic mutari oportet: « (Liturgia in se non exhaurit totum ambitum actionis Ecclesiae). Suprema lex in Ecclesia est Christi caritas, quae in eius sacrificali morte maxime profertur. Liturgia autem, prout sacramentalis repraesentatio mysterii caritatis Christi est culmen ad quod omnia tendere debent et simul fons a quo caritas Christi effunditur in cordibus fidelium ac ipsos constanter urget. Cum ergo caritas Christi latius pateat quam actio sacramentalis, sacra Liturgia nequit in se exhaurire totum ambitum actionis Ecclesiae ». *Ratio*: In asserenda Liturgiae praecellentia oblivisci nequit ipsam Liturgiam ad caritatem ducere debere ab eaque informari. Caritas etenim vinculum est perfectionis et nunquam excidetur. Itaque necessarium videtur, ad exaggerationes tollendas nec non ad veram Liturgiam fovendam, caritatis primatum disserte asserere.

§ 6: Pag. 161, lin. 29: Post verbum « Baptismum » addatur « in aqua et in Spiritu Sancto ». *Ratio*: Ut mentio non semel fiat de tertia persona Ss.mae Trinitatis. Cf. supra.

§ 8: Pag. 161, lin. 10: Loco « amplectatur » proponitur « in se exhauriat ». *Ratio*: Liturgia revera amplectitur seu informare studet totam vitam christianam, quod sane ex sacramentalium usu valde elucet; attamen formae liturgicae minime exhauriunt vitam Ecclesiae: sunt etenim multae actiones, et quidem magni ponderis ac momenti, quae liturgicae dici nequeunt, ut e. gr. martyrium.

§ 13: Pag. 163, lin. 32: Loco verborum « sive dioecesani sive religiosi » proponitur « sive saeculares, sive religiosi ». *Ratio*: Quia etiam sacerdotes religiosi aliquo modo dioecesani sunt.

§ 15: Pag. 164, lin. 8 ss.: Supprimatur tota paragraphus. *Ratio*: videtur improprium Sacri Concilii de hac re legem ferre.

§ 18: Pag. 165, lin. 8: Post verbum « utilitas » addatur « pastora-

lis ». *Ratio*: Fidelium bonum postulat ut imprimis pastorales rationes in liturgica instauratione attendantur.

§ 19: Pag. 165, lin. 17: Ad verbum « significationem » addatur « salutarem ». *Ratio*: Quamvis quaedam signa aliunde desumpta sint, tamen vis significationis liturgicae quae ad historiam salutis respicit, nonnisi ex S. Scripturis depromitur.

§ 20: Pag. 165, lin. 31: Omittantur verba « praesertim in missionibus ». *Ratio*: Sunt regiones ubi aptationes tam urgentes sint ac in missionibus. Insuper notio ipsa « missionis » analogica est neque potest geographice tantum aut iuridice definiri.

§ 21: Pag. 165, lin. 34: Tota paragraphi conscriptio proponitur mutanda: « Statuta a S. Sede editione typica liturgicorum librorum, munus est uniuscuiusque Conferentiae episcoporum divinum cultum ordinare, imprimis autem quoad administrationem Sacramentorum et sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, actis tamen a Sancta Sede recognitis ». *Ratio*: Textus schematis desiderium tantum enuntiat, quin legem conciliarem statuat. Non videtur opportunum merum votum proponere: Concilii etenim est leges ferre. Verbo autem « munere » utitur ad vitandas disceptationes de natura et limite iuris liturgici episcoporum, quae potius ad schemata theologica pertinent.

§ 22: Pag. 166, lin. 10: Omittantur verba « praesertim autem in missionibus ». *Ratio*: Eadem est ac illa iam pro emendatione § 20 allata.

Ante § 23: Pag. 166, lin. 36: Ante verbum « Unde » inserenda proponitur sequens oratio: « Istorum autem signorum munus est salutis mysteria per mysticam repraesentationem patefacere, potius quam ipsa velamine contegere ». *Ratio*: Liturgica signa non sunt veluti media magica ad occultanda mysteria sed potius ad mysterii intelligentiam ducere debent illudque aliquo modo illustrare secundum maternam Ecclesiae paedagogiam.

§ 23: Pag. 167, lin. 7: Post verbum « Extruantur » addatur « etiam novis formis adhibitis ». *Ratio*: Possunt etenim novae formae multum ad ritus intelligibilitatem conferre.

§ 24: Pag. 167, lin. 10 ss.: Proponitur conscriptio sequens totius paragraphi: (Lingua liturgica). Linguae liturgicae usus vere operam conferat etiam ad paschalis Christi mysterii intelligentiam eamque fructuosissimam et ad fidem erga Deum adloquentem efficaciter in populo fideli excitandas.

Cum ergo « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum existere » possit, amplior locus ipsi in Liturgia occidentalı tribuatur, quin tamen usus latinae linguae ob diuturnam ac venerabilem Romanae Ecclesiae traditionem auferatur.

Sit proinde Conferentiae episcoporum in singulis regionibus, etiam si casus ferat, consilio habito cum episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis a S. Sede recognitis ».

Ratio: Emendatio vult, *a*) Suggerere argumentum positivum quoad usum

linguae liturgicae; *b*) commendare necessitatem pastoralem usus linguae vernaculae a quamplurimis episcopis in votis ad Concilium apparandum expressam; *c*) meminisse momentum alicuius conservationis latinae linguae; *d*) ostendere Conferentias episcoporum esse instrumenta magis apta, ob meliorem circumstantiarum cognitionem, ad statuendas normas immediate moderatrices.

§ 28: Pag. 168, lin. 21: Loco verborum « Sanctam Sedem et, ad normam iuris » proponitur « Romanum Pontificem et ad normam huius constitutionis... ». *Ratio*: Desideratur mentio personalis Summi Pontificis, qui, ut patet, suam auctoritatem delegare potest. Insuper ut fiat mentio huius constitutionis, ut fontis principalissimi futuri iuris liturgici. Denique, ut non praeiudicetur de natura, divina aut mere positiva, iuris liturgici episcoporum.

§ 33: Pag. 169, lin. 30: Addatur sequens oratio: « In scholis catholicis ita aestimatio erga celebrationem dominicam in paroecia foveatur, ut pueri inde a teneris annis magis magisque conscii fiant de mysterio sanctae plebis christianae coadunatae in celebratione sacrae synaxis ». *Ratio*: Est paedagogica ac patet.

5

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ABED
Archiepiscopus Tripolitanus Maronitarum

1) *In prooemium.* Concilium Oecumenicum, utpote pro tota Ecclesia et non tantum pro latinis, nequit seu non decet absque iniuria pro ceteris ritibus catholicis, de solo ritu romano singillatim sumpto principaliter tractare in quocumque decreto. Haec enim ut consona sint cum sensu ipsius « Oecumenicitatis » Conciliorum necesse est.

Ab omnibus enim Patribus satis cognitum est, quomodo de quibusdam Conciliis praeteritis, reprobantur quidam factum exclusionis non tamen positivae sed « de facto » ceterorum rituum ceterarumque Ecclesiarum quae romano-latinae non fuerunt.

Hoc, revera, non tantum quoad personas — scilicet quoad episcopos unius alteriusve Ecclesiae non latinae —, sed etiam quoad materias de quibus sermo in iisdem Conciliis habitus est. In illis nempe praeteritis Conciliis, maiori ex parte, circa profectum solius Ecclesiae latinae pertractatum est, quasi excludendo illam « sollicitudinem omnium Ecclesiarum » de qua loquebatur Apostolus ille Gentium omnium.

Ideoque, valde optandum esset, ut illa ipsa materia quae et generalis est in hoc schemate Decreti, et ad omnes Ecclesias sive in Oriente sive in Occidente valide applicari potest, in uno eodemque Decreto edatur pro orientalibus et occidentalibus, abstrahendo de iis particularibus que in hoc schemate tantum ad latinos spectant.

Et ita, non erit necesse ut longo ultra tempore Orientales Ecclesiae prin-

cipia de suis Liturgiis fovendis expectant, sed in hac eadem sessione et in hoc eodem Concilii Decreto pertractentur et includantur principia generalia de sacris Liturgiis orientalibus, ut cum omnibus Ecclesiis in Occidente de profectu et utilitate harum Normarum ipsi quoque orientales gaudere possint.

Nota enim « Oecumenicitatis » in hoc Concilio, perluceat oportet, etiam in hac materia liturgica, sive in oculis nostris, sive orthodoxorum vel etiam evangelicorum fratrum.

Ad rem proinde sufficeret, ab hoc schemate tantum minor illa pars quae latinos speciatim spectat, v. g. par. 40-47, et 68 et 75 omittere; aliqualia alia reformare (par. 20 de ritu romano; 22/3 de Sacra Rituum Congr.; 24 de linguis...).

Quae autem desunt tunc circa rem, ab ipso schemate pro liturgiis orientalibus hinc etiam adducere si tamen ad rem generalem de qua supra spectare videntur.

2) *Notanda* in pag. 159, lin. 19. Sequentia verba expurganda sunt a Decreto: « Ecclesia mirabile Sacramentum ».

Haec enim quae ex quodam textu liturgico latino pie desumpta sunt, favent confusioni theologicae, eo quod plurimi coaetanei latini, qui et theologi sunt aut sese dicunt, ita verbum hoc « sacramentum » proprio sensu accipiunt et interpretantur ac si ipsa Ecclesia « verum sacramentum » proprio sensu sit.

Quod et falsum et doctrinae Tridentini de septenario numero sacramentorum contradicere videtur.

Fallaciae dictionis aliunde omnino vitandae sunt in Concilio.

6

Exc.mus P. D. ARNULFUS ARCILLA
Episcopus Sorsogonensis

Art. 24, pag. 167: totus art., corrigendo hoc modo: « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur. Cum tamen vulgati sermonis usurpatio, non tantum utilis sed etiam necessaria videatur in fere omnibus regionibus, sit singulae Conferentiae episcopali usum linguae vernaculae in Liturgia statuere, actis a Sancta Sede recognitis. In hac re, si casus ferat, Conferentiae episcopales possunt consilium habere cum episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae ».

Ratio: Vulgati sermonis usus in Liturgia necessarius evadit, ex eo quod nostris temporibus lingua latina a fere omnibus populis ignoratur, etiam ab hominibus qui superiora studia percurrunt. Secus thesaurum spirituale sacrae Liturgiae oculis populi christiani ex magna parte velatum maneret. Insuper, verbum est medium communicationis humanae, et hac de causa, pastoralis experientia docet actuosam et conscientem participationem fidelium

in Liturgia eo faciliorem evadere quo magis intelliguntur verba quae a ministris proferuntur. Ex alia parte, notandum est Conferentias episcopales maiore facilitate ad statuendum usum vulgati sermonis gaudere, cum pleniorem cognitionem habeant de conditionibus populi fidelis suae propriae regionis. Hoc autem maximi momenti est, ut revera linguae vernaculae in Liturgia usurpatio necessitati fidelium in unaquaque regione respondeat.

7

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifatii

Duae tantum emendationes ad I caput hic faciendae mihi videntur.

Prima emendatio: Pag. 165, sub littera B, principium de aptatione ad ingenium et traditiones populorum, prout institutum est in Normis, optimum est. Eius tamen applicatio in numeris a 20 usque ad 22 extensive amplificanda mihi videtur.

Et proinde art. 20 ita modificetur, ut duas partes distinctas contineat, nempe *aptationem* et *instaurationem*.

I pars: *Rituum aptatio iuxta locorum necessitatem*. Videtur enim quod, pro populis latinae culturae, aptatio sufficere queat. Ea mente, numeri 20 ad 22 rite conserventur.

II pars: *Rituum instauratio iuxta ditionum aut regionum necessitates*. Pro multis enim gentibus, qui possident civilizationem antiquam, quam cultura graeco-latina non efformavit, non tantum aptatio sed proprie dicta rituum instauratio, secundum ingenium ipsum et traditiones eorum, omnino requiritur rationem habendo de pluralismo civilizationum et culturarum in mundo. Ita populi Iaponenses, Indi et Sinenses, et multi aliae gentes quae eorum tributariae sunt quoad culturam et religionem. Item propriam culturam evolverunt Africani, licet fuerint cultura graeco-latina gentes occidentales quae eos in colonias subegerunt.

Ne christianos fratres nostros separatos obliviscamur, qui liturgiam suam a ritu latino vere distinctam, iam a pluribus saeculis evolutione propria effecerunt.

Altera emendatio: Pag. 167, n. 24, de lingua liturgica.

Loco sententiae « latinae linguae usus in liturgia occidentali servetur », sequentem propono, scilicet: *Linguae latinae usus traditio latini ritus est*.

Prior enim sententia, ut nunc in schemate, discrepat ab eximio principio sub littera C, pag. 166 et sequenti enuntiato. Emendatio proposita mihi videtur tenenda ut principium generale respectu ad liturgiam pastoralem.

Alia habebam animadvertenda, sed de istis iam a pluribus Patribus sat tractatum est.

8

EXC.MUS P. D. IULIUS BIANCONI
Episcopus Tarquiniensis et Centumcellarum

Perpauca reapse dicam circam linguam liturgicam in celebratione S. Missae.

Multa audivi et optima quidem ad linguam latinam servandam, quia ipsa est signum unitatis fidei omnium populorum, variis linguis loquentium. Nos his argumentis moti linguam latinam servare velimus: patet enim per ipsam mirabilis catholicitas Ecclesiae Romanae.

Attamen multi venerabiles fratres, optimis argumentis, obiiciunt quod fideles, praesertim nostris temporibus, instituendi sunt, ut una cum sacerdote participes sint sacrificio Eucharistico et sacrum ritum cognoscant et intelligant: quapropter putant linguam latinam relinquendam esse et utendum lingua vulgari. Hae opiniones, mihi videntur — humillime dico et parcant mihi Patres, si tantum audeo — conciliari posse hoc modo:

1. In *diebus ferialibus* sacerdos celebret semper lingua latina, ut nunc. Et hoc sufficit forsitan ad linguam latinam servandam in universa Ecclesia.

2. In *diebus festivis* sacerdos celebret lingua vulgari totam Missam, exceptis verbis *Consecrationis,* omnia clara voce, immo, si fieri potest, amplificatione microfonii, ut fideles audiant et intelligant cuncta verba et mysterium Crucis.

Si hoc nimium videtur utamur lingua vulgari saltem usque ad *Praefationem* et ad intelligentiam canonis videant Patres quomodo providendum sit.

Circa quae dicuntur post *S. Communionem,* si alia non adiunguntur pro gratiarum actione, serventur saltem quae nunc statuta sunt, videlicet *Evangelium* S. Ioannis et orationes a Leone XIII praescripta, ne fideles et interdum etiam sacerdotes citius exeant ab Ecclesia.

9

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS CHARRIÈRE
Episcopus Lausannensis, Genevensis et Friburgensis

A) Quae potius redactionem quam contentum attinent, quae tamen sub aspectu terminologiae theologicae non videntur nullius momenti.

1) Ad § 1, pag. 159, 9: Christi humanitas vocatur « *causa* nostrae salutis ». Melius: « excellens *organon* — vel *instrumentum* — nostrae salutis ».

2) Ad § 3, pag. 160, 20-21: « Ipse (i. e. Christus) est qui loquitur dum verba Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur et *explicantur* ». Melius: « praesertim cum *Evangelium* proclamatur », cum non omnis homilia in Ecclesia, a quocumque prolata, cum voce Christi simpliciter identificari queat.

3) Ad § 5, pag. 161, 10-12: Eucharistia vocatur « culmen *ad quod omnia*

tendere debent, et simul fons *a quo omnia* procedunt ». Distinguendum hic esset inter Eucharistiae « rem » et « sacramentum ». De « re », at non de « sacramento », verba praedicta adaequate edici possunt. Vel si de « sacramento » Eucharistiae dicuntur, verba « ad quod omnia » et « a quo omnia » ad Ecclesiae actiones *instrumentales* (in contradistinctione ad Dei ipsius actiones gratiosas) specificanda essent.

B) Quae institutionem cleri in sacra Liturgia respiciunt.

Ad § 11, pag. 163, 15-17: « Scientia de sacra Liturgia in seminariis et facultatibus inter disciplinas *principales est habenda* ». Haec verba haud concordant cum terminologia Const. Ap. *Deus scientiarum Dominus,* Normae generales, art. 33: ubi distinguitur inter disciplinas « principales », « auxiliares » et « speciales ». Auxiliares ibi minime sunt de rebus minoris momenti, cum (in oppositione ad « speciales ») disciplinae obligatoriae (pro illis qui ad gradus academicos adspirant) esse statuuntur. « Principales » sunt quae per quattuor annos (« ad finem facultatis assequendum ») docendae.

10

Exc.mus P. D. IACOBUS CORBOY
Episcopus Monzensis

In primo capitulo schematis *de sacra Liturgia* sub numero undecimo, sequentia dicuntur de liturgica institutione cleri: « Scientia de sacra Liturgia in seminariis et facultatibus theologicis inter *disciplinas principales* est habenda, et sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali pastorali et iuridico tradenda. Curent *insuper* aliarum disciplinarum magistri, imprimis theologiae dogmaticae, sacrae Scripturae, theologiae spiritualis et pastoralis ita, ex intrinsecis exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti, mysterium Christi et historiam salutis excolere, ut exinde earum connexio cum Liturgia et unitas sacerdotalis institutionis aperte clarescant ».

Duo ergo in hoc textu proponuntur: *a*) nempe primo, ut disciplina scientifica quae in curriculo studiorum de sacra Liturgia agit, inter disciplinas principales sit habenda; *b*) et secundo, ut *insuper* in aliis disciplinis theologicis tradendis, variae doctrinae ita proponantur ut earum connexio cum sacra Liturgia aperte clarescat.

Iamvero, haud mihi placet quod disciplina scientifica de sacra Liturgia in posterum inter disciplinas principales computanda esset. Verum quidem est iuvenem clerum congruo modo de sacra Liturgia institui debere. Sed talis institutio, uti ceteroquin in altera parte nostri textus insinuatur, magna ex parte dari et potest et debet in disciplinis Sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae, spiritualis et pastoralis, puta, verbi causa, quando in ipsis de sancto Sacrificio Missae, de sacramentis, de cultu divino, de oratione et sic porro est sermo.

Sed ultra limites procedere videmur si *insuper* decernimus disciplinam scholasticam ex professo et diserte sacrae Liturgiae dedicatam in posterum habendam esse inter disciplinas principales. Secundum ius actu vigens, hoc est secundum Constitutionem *Deus scientiarum Dominus* (Tit. III, 3, I, § 27, *A.A.S.* 23 [1931], p. 271) inter disciplinas principales hucusque sequentes disciplinae adnumerantur: theologia fundamentalis, theologia dogmatica, theologia moralis, Sacra Scriptura, historia ecclesiastica, institutiones Iuris Canonici.

Iamage, haud credo institutiones sacrae Liturgiae tum quod ad earum momentum intrinsecum tum quod ad tempus scholasticum ipsis concedendum attinet, praefatis disciplinis theologicis aequiparari vel posse vel debere.

Quod vel ex sequenti consideratione eminenter practica statim elucet: unaquaeque ex praefatis disciplinis principalibus pro tempore saltem duorum annorum bis vel ter in hebdomada doceri debet, ut minimum quoddam dicamus. Si ergo, sicut in nostro schemate proponitur, disciplina liturgica evehetur in disciplinam principalem, numerus lectionum in seminariis et facultatibus theologicis tradendarum iterum et quidem valde notabiliter augebitur. Hoc autem, uti omnes periti norunt, haud desiderandum est, cum iam in praesentibus numerus lectionum ex obligatione habendarum ita elevatus sit, ut diminui potius quam augeri oporteat.

Si ergo disciplina liturgica nunc in disciplinam principalem evehetur et si per consequentiam numerus scholarum liturgicarum essentialiter augebitur, scholae aliarum disciplinarum aut simpliciter eliminandae erunt aut essentialiter diminuendae. Tale quid autem nequaquam convenit. Ab una etenim parte disciplinae principales, hoc est theologia fundamentalis, dogmatica et moralis necnon Sacra Scriptura, Ius canonicum et historia ecclesiastica sine dubio maioris ac magis fundamentalis momenti sunt quam scholae liturgicae. Non ergo convenit ut tales scholae in favorem Liturgiae essentialiter vel etiam accidentaliter diminuantur. Sed nec ab altera parte convenit ut aliae disciplinae auxiliariae vel speciales in favorem Liturgiae simpliciter eliminentur aut essentialiter reducantur. Etenim, ut vel unum exemplum adducam, quis auderet serio affirmare scholas theologiae spiritualis, asceticae et mysticae pro integrali formatione iuvenis cleri minoris momenti esse quam scholas liturgicas?

Et ut brevi totam rem amplectar: experientia teste, reformationes curriculi scholastici numquam adaequate fiunt nisi omnium et singularum disciplinarum insimul et ex panoramica visione, ut ita dicam, ratio habeatur. Si autem prorsus unilateraliter huiusmodi reformationes introducuntur, seriae disproportiones facilius oriuntur, unde in praxi aut naufragia aut saltem seria damna pro integritate formationis scientificae iuvenis cleri resultare solent.

Omnibus hisce bene perpensis propono ergo ut ex numero undecimo schematis *de sacra Liturgia* deleantur verba quae de disciplina liturgica in disciplinam principalem evehenda loquuntur et ut textus praefatus proinde

modo qui sequitur adaptetur: « Scientia de sacra Liturgia in seminariis et facultatibus theologicis magni fiat et omni qua par est serietate sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico tradatur; curent insuper » et sic porro secundum verba quae actu in schemate sub numero undecimo habentur.

11

Exc.mus P. D. AEMILIUS IOSEPH DE SMEDT

Episcopus Brugensis

Iuxta schematis propositiones, facultas maior divinum cultum ordinandi concredenda est « Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae episcopali nationali » (n. 21).

Ulterius autem praesertim quaestio est de *Conferentiis episcopalibus* in singulis regionibus, i. e. *nationalibus.* Iis concreditur limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae Sanctae Sedi proponere (art. 24); iisdem committitur instituere commissionem liturgicam nationalem (art. 34); iisdem item committitur Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus aptata, quam primum parare (art. 47); iisdem tribuitur facultas pro celebratione matrimonii exarandi proprium ritum, usibus locorum et populorum congruum (art. 48); iisdem quoque tribuitur facultas materiis in sacra supellectili ex lege et traditione Ecclesiae acceptis alias admiscendi aut sufficiendi (art. 87), atque relinquitur perpendere an in forma, usu et ornatu, sacrae supellectilis, aliquid sit immutandum vel tollendum (art. 88); iisdem demum conceditur facultas proponendi ut nonnulli cantus lingua vernacula peragi possint (art. 91).

Horum omnium definitio vel propositio statuuntur esse *de competentia Conferentiarum episcoporum nationalium,* ita tamen ut quandoque ipsis iniungatur consilium habere cum episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae.

Duplex animadversio de his facienda videtur.

1. Hucusque, scilicet in iure canonico vigente, episcopis locorum et Concilio provinciali, vel immo Concilio nationali, competit potestas statuendi ius particulare dioecesis, provinciae aut nationis proprium. Institutionis « Conferentiae episcoporum » natura iuridica atque competentia, cum nullo iuris statuto sint definitae, *ante omnia* requiritur ut haec earundem natura et competentia inde ab initio, saltem *per summa capita,* concipiantur ac definiantur.

2. Iure meritoque in schemate principium statuitur: « caveatur, in quantum fieri potest, ne notabiles differentiae rituum inter finitimas regiones habeantur » (art. 18, pag. 165). Iamvero, in determinandis particularibus legibus atque usibus in sacra Liturgia introducendis, magni momenti non sunt coetus fidelium nationales, seu nationes, quarum ceterum aliae magnae aliae parvae omnino sunt extensionis, sicut nec magni momenti sunt coetus fide-

lium eadem lingua utentes, quippe quae inter varias nationes haud raro sint distributae. Maximi autem momenti hodie sunt *regiones maioris extensionis,* quae, inspectis relationibus inter homines variarum nationum seu populorum hodie facilioribus atque frequentioribus, limites nationum transcendunt. Itaque proponitur ut instituantur, non Conferentiae episcoporum nationales, sed Conferentiae episcoporum supranationales quaedam, quae *regionales* dici possunt, in quibus coniunguntur et conveniunt episcopi plurium nationum seu regionum, illarum nempe quae naturali quodam commercio hodie inter se connectuntur.

Duplex itaque propositio ex his considerationibus sequitur facienda.

1. Proponitur ut « Conferentiarum episcoporum regionalium » natura canonica et competentia imprimis definiantur, *per summa saltem capita.* Una ex parte, non solis episcoporum Conferentiis regionalibus competere debet definire leges et approbare usus de sacrae Liturgiae particularibus formis aut etiam de ceteris disciplinis ius particulare statuere; quare partes tum illarum episcoporum Conferentiarum tum episcoporum in dioecesi atque Conciliorum provincialium in provincia ecclesiastica, in ordinationibus particularibus statuendis, definiendae sunt. Alia ex parte, Conferentiis episcoporum regionalium non tantummodo tribuenda est, nec in schemate tribuitur, potestas consultativa, sed *etiam legislativa* quaedam, relate ad omnes fideles qui sunt diversarum dioecesium alicuius regionis subditi, quique igitur praescriptis ab episcoporum Conferentiis statutis vere obligati haberi debent. Quare, Conferentiis episcoporum regionalium potestas tribuenda videtur, pro universis dioecesibus ab ipsis pendentibus, *principia communia legislationis particularis* statuendi, leges quidem quae dicuntur « lois de cadre », quibus nempe definiuntur *normae generales* pro disciplina particulari totius regionis quae vigebunt, quasque magis in particularibus determinandi conditionibusque locorum aptandi potestas erit penes Concilia provincialia atque dioecesium episcopos.

2. Proponitur ut loco locutionis « Conferentiae episcoporum nationales », admittatur locutio et institutio « *Conferentiae episcoporum regionales* », quarum scilicet limites nationum fines excedunt et quae varias nationes vicinas, eiusdem fere culturae, complectantur. Hac ratione facilius vitantur notabiles differentiae rituum, immo et disciplinae canonicae in genere, quae quidem non sine miratione populi christiani, immo non sine detrimento haud raro magno eiusdem populi admittuntur.

Conferentiae episcoporum regionales iam haberi possent sequentes: pro *Europa,* tres, scilicet 1) septentrionalis, complectens nempe omnes dioeceses Galliae, Angliae, Germaniae, Helvetiae, Belgii, Neerlandiae et Luxemburgi; 2) meridionalis, constans dioecesibus Italiae, Hispaniae, Lusitaniae et Graeciae; et 3) orientalis, aliarum nationum Europae complectens dioeceses; pro *America* tres quoque: videlicet: 1) septentrionalis, complectens omnes dioeceses Americae septemtrionalis (etiam ergo Canadensis); 2) centralis, constans omnibus dioecesibus ad nationes Americae centralis pertinentibus;

3) meridionalis, omnes nempe dioeceses continens nationum quae Americam meridionalem constituunt; pro *Asia,* una tantum; pro *Africa* una aut forsan duae, videlicet septentrionalis atque meridionalis (quarum fines determinandae sunt auditis episcopis illarum regionum); pro *Oceania,* tandem, una.

Quidquid sit, cum in schemate *de sacra Liturgia,* de qua in hisce prioris sessionis conventibus agitur, haud raro facultates tribuantur Conferentiis episcoporum, quarum natura et potestas non iam sunt definitae, ante omnia congruum videtur ut earundem institutio atque distributio seu delimitatio per summa saltem capita delineetur.

12

Exc.mus P. D. DOMINICUS EKANDEM
Episcopus tit. Hierapolitanus, aux. Calabarensis

De aptatione in Liturgia.

Quasdam animadversiones de aptatione in missionibus facere volo.

Multi, ut videtur, censent quod sine aptatione in lingua, in arte, in re musica, in tota Liturgia, fidei progressus impeditur. Et ideo nimia anxietate de hac quaestione laborant. Contra illos, sequentes rationes affero:

1. In pluribus regionibus, praesertim in Africa, fides nuper praedicata, nondum est assimilata. Oportet neoconversos per longum tempus religionem christianam exercere et fidem, contra impugnantes indigenas defendere, ea adhibentes media traditionalia quibus per saecula usi sunt antecessores nostri ad fundandam et defendendam Ecclesiam Christi. Si enim neoconversi non sunt in fide bene fundati et in praxi et traditione Ecclesiae bene edocti, difficile erit eis rationem de novis aptationibus reddere. Missionarii munus prae ceteris est fidem, ut ipse accepit, populo tradere; et aptationes, suo tempore faciendas, successoribus suis indigenis relinquere.

2. In Concilio Vaticano Primo, quot erant episcopi ex Africae regionibus? Ne unus quidem, ni fallor. Quot hodie in nostro Concilio Oecumenico? Plusquam sexaginta, inter quos sunt archiepiscopi etiam cardinalis. Et quaenam aptationes in Liturgiae lingua, in arte sacra, in re musica, necessariae fuerant ut nos ad fidem et ad sacerdotium traheremur? Timor eorum qui dicunt nos sine aptatione conversiones non obtinere, fundamento caret et argumentum eorum factis contradicitur; nam nos sacerdotes et episcopi indigenae pro magna parte neo-conversi sumus ex infidelitate vel ex protestantismo.

3. Meminisse iuvat, episcopos et sacerdotes perplures, in territoriis missionum laborantes, exteros esse. Et sicut natione et colore ab indigenis differunt, ita etiam indole mentis. Nunquam perfecte intelligunt ingenium mentis indigenae nec sensum cordis eius plane percipiunt. Ideo in aptationibus faciendis iudices non sunt. Aptationes quas ipsi nunc introducunt forte successoribus Africanis non placebunt, e. g. Madonnam nigro colore pictam. Et

illi qui credebant se auxilium praestare potius impedimentum progressui ponebant.

4. Ubi sacerdotes et episcopi indigenae iam exsistunt argumentum adhuc valet. Nam numerus eorum, comparatione facta cum clero advena, exiguus est, et in conventibus episcoporum vox exterorum, aetate et experientia praedita, contra persuasionem minoris numeri praevalebit.

Conclusio: In aptatione non solum lente et caute procedendum esse censeo, sed aptationem episcopis indigenis relinquendam esse, ne forte inconsultis aptationibus destruamus domum spiritualem antecessorum labore, sudore et sanguine aedificatam.

13

Exc.mus P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI
Archiepiscopus-episcopus Meerutensis

1) His omnibus quae dicta sunt, duas addere velim observationes. Pag. 164, circa finem, haec leguntur: « In libris liturgicis revisendis sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant ».

Hoc haud parvi momenti est ad devotionem inspirandam et fovendam. *Loquor speciatim de modo audiendi Missam quando haec coram communitate christiana celebratur. Ut, tali tempore, omnia cum aedificatione fiant, requiritur ut omnes uniformiter stent, sedeant, genua flectant, caput inclinent etc. Hoc nunc ubique non accidit eo quod, ni fallor, uniformes directivae non existunt.*

Enixe igitur hae normae directivae a Sancta Sede desiderantur, ut, in quantum fieri potest, cum in Missa lecta, tum in Missa solemni ubique terrarum haec tam pulchra uniformitas habeatur.

Num. 17, igitur, ita ampliari posset: « In libris liturgicis revisendis, sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant, *speciatim circa modum quo ipsi externe se habere debeant in Ecclesia durante sacrosancto Missae Sacrificio, quod est totius Liturgiae centrum* ».

2) Secunda autem observatio haec est: In nonnullis locis huius capitis primi, mentio fit de aliquibus quaestionibus, quae Conferentiis episcoporum solvendae relinquuntur. Circa hoc nullam habeo obiectionem; *sed hoc utique cavendum est ne dum ipsis Conferentiis aliqua potestas tribuitur, ordinaria potestas episcoporum in suis dioecesibus quoquo modo minuatur, vel in discrimen adducatur.*

14

EXC.MUS P. D. ANTONIUS FUSTELLA
Episcopus Tudertinus

Quoad cap. I, de n. 31 a verbis « nulla privatorum... » ad finem, quaeritur: his verbis insinuatur et praevidetur abolitio illarum multarum in exterioribus pompis, praesertim occasione matrimoniorum et funerum, distinctionum quae italice « di prima e seconda e terza classe » dicuntur?

Si ita sit, valde commendatur ut res explicitis et claris verbis dicatur; si non ita, humillime mihi praesens occasio revera bona videtur et venerabiles Concilii Patres eandem quaestionem considerare et christiano sensu resolvere velint.

Nam istae sic dictae « classi » fidelium, ratione pecuniae distinguunt: utique proh dolor, nostris etiam diebus nimis frequenter homines adhuc distinguuntur, atque magni aut parvi habentur, tantum ratione pecuniae quam possident: omnibus tamen patet hanc distinctionem christianam non esse atque omnium nostrum communis coram Deo et Ecclesia aequalitatis conscientiae valde repugnare.

Proinde humiliter ac profunde optarem ut haec Sancta Vaticana Synodus contra hanc distinctionem in pompis aliquid clare et distincte dicat.

Quod si, in his distinctionibus pugnandis, difficultates quae utique nec parvae nec paucae erunt, aliquibus in locis revera graviores fuerint, noster textus in ultimis verbis « salvis consuetudinibus... » iam parat effugium.

His in rebus nos sacerdotes exemplum demus, moderando nempe pompas exteriores in festis quae particulariter nostra sunt: uti sunt e. g. permagnae illae celebrationes vigesimi quinti et quinquagesimi anniversarii primae S. Missae. Reducamus pompas et luminaria, et multos fideles ad ecclesiam vocemus et pauperes, illis in diebus, adiuvemus.

De n. 23 ubi de structura rituum dicitur: « commendatur ut ritus simplices, perspicui, faciles intellectu et captui fidelium accommodati sint », adiungere auderem ut ritus etiam in exsequendo faciles sint et apte possibiles:

Unum exemplum do: duplex genuflexio fidelibus, praesertim mulieribus, et specialiter sacerdotibus vestibus sacris indutis, maxime si iam in gravi aetate constituti sint, non parvam difficultatem praebet. Ad quam difficultatem, ut ita dicam, obiectivam adiungere possumus, ex historia, duplicis genuflexionis relative recentem introductionem, eiusque absentiam aliis in ritibus; sic e. g. etiam omittendo ritus orientales, pervetustus ritus ambrosianus duplicem genuflexionem omnino ignorat.

Quae cum ita sint, auderem concludere ut haec sancta Synodus possibilitatem duplicis genuflexionis abolitionis, vel saltem non obligationis in caeremoniis considerare, et si licet, commendare velit.

15

EXC.MUS P. D. NICOLAUS GEISE
Episcopus Bogorensis

Agitur de art. 33, in pag. 169.

Quia in textu, uti adest, loquitur solummodo de liturgia in paroeciis territorialibus, proponitur: Addatur ad art. 33 in fine, nova alinea, qua agnoscitur necessitas adaptandi actiones liturgicas ad exigentias religiosas illorum coetuum fidelium, qui non determinato territorio complectuntur.

Ratio: Inventa scientiae sociologiae in genere, anthropologiae socialis in specie, clare demonstrant coadunationes sociales hodiernas frequenter constitui non amplius secundum principium territoriale, quod habetur in can. 216, par. 1, sed secundum aliquam aliam cohaesionem socialem. Iterum constat has unitates sociales, constitutas secundum categorias, de die in diem maioris momenti fieri in vita sociali.

Puto valde bonum esse si hoc Concilium, sanam adaptationem quaerens, uteretur his inventis dictarum scientiarum et concederet, immo applauderet, prudentem adaptationem actionum liturgicarum in paroeciis « categorialibus » pro illis coetibus, quorum homines fideles sese libere coadunant aut coadunantur quia habent idem munus, eumdem laborem aut quia vivunt in iisdem circumstantiis specialibus, uti sunt: studentes in Universitatibus, vagantes, captivi, navigantes, milites etc.

Tales paroeciae « categoriales » cum actionibus liturgicis prudenter adaptatis suis circumstantiis singularibus, exprimere poterunt, suo proprio modo, actualisationem et repraesentationem Ecclesiae visibilis, aeque ac paroeciae territoriales atque clarissime manifestabunt firmam voluntatem huius Concilii inserviendi exigentiis religiosis omnium fidelium in quibuscumque circumstantiis hodiernis.

Conclusio et emendatio textus:

Ut autem vita liturgica, in sensu unitatis et communitatis christianae fundata, revera florere possit inter omnes fideles, datur facultas Ordinariis loci, qua, circumstantiis urgentibus, ordinare possunt in paroecias categoriales illos coetus fidelium qui localiter non ordinari possunt. In his paroeciis categorialibus et non territorialibus actiones liturgicae possunt prudenter adaptari circumstantiis singularibus fidelium, ad normam art. 21, in fine.

16

Exc.mus P. D. VINCENTIUS A. GONZALEZ Y ROBLETO
Archiepiscopus Managuensis

Usque adhuc, tantum dictum est circa n. 24 (*Schemata,* cap. 1, pag. 167), quod mihi videtur, materiam hanc esse exhauritam. Attamen, ad favorabiles argumentationes allatas roborandas, peropportunas esse iudico considerationes quae sequuntur:

Supposita mutatione linguae latinae pro lingua vernacula:

1. Qua lingua Summus Pontifex, ut episcopus Ecclesiae universae, auditus erit a clericis cum si latina lingua pro vernacula substituatur, clerus practicam illius in oblivionem derelinquat?

2. Si decursu temporis III Vaticanum Concilium Oecumenicum forte celebratur, quomodo Patres Conciliares suas motiones patefacient, si sermo latinus ignoratur ab omnibus? Nunc, hoc in Concilio efformantes cor unum animamque unam, orationem *Angelus* consona voce recitamus, quod impossibile esset sine communi lingua.

3. Quomodo viator sacerdos poterit litare Sacrum in vernacula lingua uniuscuiusque nationis?

4. Unitas linguae coniunctioni animorum favet. « E contra, linguarum diversitas causa est tum aversionis, tum disiunctionis ». Sic commentatur illud quod in SS. Scripturis narratur: « Et omnis terra unius labii erat ac verborum unitatem habebat... Et Iaveh descendit et sibi dixit: Ecce populus *unus* qui *una* sola lingua pollet ».

Talem unitatem linguae — mirabile dictu! — Ecclesia Catholica servavit in saeculorum decursu. Fortasse desideramus nos novam Babel aedificare?

Versiones Missalium etc. populis sufficiunt.

17

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON
Episcopus Baionensis

Valde utile mihi videtur, ut Patres Concilii mentem suam dirigant ad peculiare momentum art. 31 illorum schematum et in hoc articulo modicam additionem proponere vellem, ut ille adhuc vim maiorem recipiat.

In par. 31, lin. 4, sic legitur: « In Liturgia ... nulla privatarum personarum aut condicionum, sive caeremoniis, sive in exterioribus pompis habeatur acceptio, salvis consuetudinibus ab Ordinario loci approbandis ».

Praescriptio illa mihi videtur esse maximi momenti, praesertim si sub luce psychologiae consideratur.

Fideles enim, et etiam magis illi qui praxim religionis reliquerunt vel

fidem numquam habuerunt, saepissime indignationem suam expresserunt, differentiam videntes in caeremoniis matrimonii vel exsequiarum inter illos qui nomen celeberrimum habent et illos qui sunt ignotae conditionis, vel inter illos qui cum divitiis huius mundi pompam exteriorem obtinere possunt, et illos qui, nihil habentes, etiam ab illa pompa omnino excluduntur.

Hoc est sane unum illorum obstaculorum, quae multos scandalizant et a fide catholica amplectenda impediunt.

Certum est preces Ecclesiae easdem esse pro omnibus. Sed quod primum oculis apparet, est forma externa caeremoniarum. Nunc autem, aiunt illi de quibus supra diximus, Christus Iesus in maxima paupertate natus est, ut pauper vixit et mortuus est. In hoc voluit ut cognoscatur regnum suum, quod evangelium pauperibus annuntietur. Difficile credi potest, aiunt semper illi homines, quod Ecclesia mater sit omnium et quod cum filiis suis modo tam differenti sese gerere soleat.

Praescriptio ergo ab hoc Concilio sumpta, magno cum plausu populorum recipitur.

Ut effectus eius adhuc efficacior evadat et opinio populi adhuc magis commoveatur, ut hominibus facies Ecclesiae vera sine macula nec ruga secundum mentem Summi Pontificis melius ostendatur, hanc propono modificationem: ut, post verba « in exterioribus pompis » addentur haec vocabula: « *praesertim quoad matrimonium et exsequias, quorum ritus unus et idem pro omnibus adhiberi debet* ».

18

REV.MUS P. D. BENNO GUT
Abbas primas O.S.B.

Animadversiones propositae a membris Concilii ex congregationibus monasticis.

Membra Concilii, quorum nomina ad calcem hic referuntur, schema *de sacra Liturgia* in genere optimae naturae existimant et exoptant ut a patribus recipiatur.

Sequentes tamen animadversiones ad quaedam singula puncta eiusdem schematis proponendas necessarium ducunt.

1) Ad n. 3. Placet iuxta modum: Ut scilicet in ultima sententia, pag. 160, lin. 36, loco verborum « titulo qui eodem » ponatur « cuius efficacitas eodem titulo eodemque... »; et in nota ponatur: cf. *Mediator Dei, A.A.S.* 39 (1947) 532. (Ibi habetur sequens textus: « Omnibus igitur exploratum esse debet... cultum..., quem Ecclesia una cum divino Capite suo coniuncta, Deo praestat, sanctitudinis adipiscendae habere efficacitatem quam maximam. Quae efficacitas, si de Eucharistico Sacrificio ac de Sacramentis agitur, ex opere operato potius ac primo loco oritur. Si vero vel actionem illam consideramus intaminatae Iesu Christi Sponsae, qua eadem precibus sacrisque caeremoniis Eucharisticum adornat Sacrificium et Sacramenta; vel si de sacra-

mentalibus ac de ceteris ritibus agitur, quae ab ecclesiastica instituta sunt Hierarchia, tunc efficacitas habetur potius ex opere operantis Ecclesiae, quatenus ea sancta est atque arctissime cum suo Capite coniuncta operatur »).

Ratio additionis propositae: in tota constitutione de prorsus singulari efficacitate Liturgiae nullus est sermo, quae tamen fundamentum est ipsius eminentis dignitatis relate ad alias orationes mere privatas (cf. *Mediator Dei, A.A.S.* 39 [1947] 537).

2) Ad n. 24, pag. 167, lin. 19. Placet iuxta modum: ut scilicet loco verborum « ... Sanctae Sedi proponere » dicatur: « ... statuere, actis a S. Sede recognitis ».

Ratio mutationis: Textus schematis de facto nullam novam facultatem episcopis hac in re tribuit.

3) Ad n. 44, pag. 176: Placet iuxta modum: ut scilicet:

1°) *post litteram a*) addatur nova paragraphus littera *b*) signata, et sequenti modo sonans:

b) Ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis ubi plures sacerdotes adsunt, quorum singularis celebratio ad utilitatem fidelium non requiritur, salva semper cuiusque sacerdotis libertate singulariter celebrandi, non tamen in eadem ecclesia, eodemque tempore.

Rationes sunt inter alias: 1. Res maxime interest coetuum ordinis monastici. Magnum incommodum facile habetur ex celebratione solum singulari Missarum in monasteriis et communitatibus ubi adsunt 20, 50, vel etiam 70 monachi sacerdotes. Hi omnes Missam lectam celebrant cotidie et insuper assistere tenentur Missae conventuali cantatae. Haec duplicatio quotidiana est onus nimis grave ratione temporis, pietatis, altarium et supellectilis. Pietas magis foveretur, si concelebratio conceditur.

2. Concelebratio tam in Ecclesia orientali quam occidentali in usu hucusque remansit. Hi ergo qui extensionem concelebrationis concedere nolunt vel ex non bene intellecta ratione honoris Dei, aut ex pietate vel etiam ex rationibus theologicis, iniuriam catholicis orientalibus et fratribus orientalibus separatis faciunt. Quin etiam dixerim concelebrationem ad unionem instaurandam maxime conferre.

2°) Ut in § *b*) lin. 22 loco verborum: « ... si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit et de iudicio ordinarii » ponatur: « ... ubi singulae Missae sine incommodo celebrari nequeunt ».

Ratio: Textus schematis rem nimis difficilem reddit.

3°) Ut addatur in fine alia § signata littera *d*) et hoc modo sonans:

d) Ad extraordinarias celebrationes festivas, e. gr. occasione synodi dioecesanae, vel visitationis pastoralis.

4) *Ad prooemium de Officio divino,* pag. 184, lin. 25: post verbum « sequuntur » addatur « de Officio Romano... ».

Ratio: Ut clarius appareat totum caput agere directe de solo Officio Romano.

5) Ad n. 68 littera *c*) pag. 186: Non placet.

Rationes sunt: Quia pars prior statuit indolem Officii nocturni servari debere in Matutino, altera vero pars statuit ipsum debere ita recognosci et mutari ut qualibet hora diei recitari valeat. Haec ultima clausula sensum non habet nisi istum: recognoscatur ut ea quae referuntur ad horam noctis tollantur. Hoc vero, primo: contradicit priori parti; secundo: modo essentiali mutat naturam Matutini sive Vigiliarum quae ex intimo sui sunt laus Dei in nocte.

Contradictio textus hodierni conciliaris intelligitur si prae oculis habetur ipsum nihil aliud esse nisi contractionem male factam sequentis textus qui habebatur in schemate praeconciliari de die 10 augusti 1961:

« Matutinum in choro indolem nocturnae laudis retinens, extra chorum a cursu horarum canonicarum ita eximatur, ut... qualibet diei hora recitari valeat; ac propterea, veritatis causa, alio nomine (verbi gratia: Officio Lectionum) ornetur ».

Loco textus schematis ponatur sequens paragraphus: « Matutinum indolem nocturnae laudis retineat et, si nocturnis horis non dicitur, in quantum fieri potest, etiam extra chorum, intra tempus a vespere diei praecedentis ad mane ipsius diei recitetur. Ex rationabili causa, extra chorum, qualibet hora diei recitari conceditur ».

6) Ad n. 69, pag. 186, lin. 17. Placet iuxta modum: ut scilicet post verbum « latinitatis » addatur « christianae ».

Ratio: Recognitio psalterii fieri debet ratione habita non de quacumque latinitate, sed de latinitate christiana Patrum Ecclesiae.

7) Ad n. 73: Placet iuxta modum: ut scilicet post litteram *c*) addatur nova paragraphus sequentibus terminis:

d) Ordinarii possunt dispensare in particularibus adiunctis ab obligatione recitandi totum Officium.

Ratio: Ad quietem conscientiae multorum qui obligationi recitandi Officii tenentur et scrupulis laborant.

Cui consentiunt ex ordine monastico: Gualterus A. Coggin O.S.B., abbas nullius Mary Help of Christians, Belmont, USA; Benedictus Reetz, praeses Congreg. Beuronensis O.S.B.; Martinus Michler O.S.B., abbas nullius Rio de Janeiro, Brasile; Suso Brechter O.S.B., abbas praeses Congreg. Ottiliensis; Jos. H. Cornelis, archiepiscopus Elisabethapolitanus; Herman E. Spiess, episc. abbas ord. de Peramiho; Christophorus Butler, abbas praeses Congreg. Angliae O.S.B.; Maurus Verzich, abbas praeses Congreg. S. Adalberti O.S.B.; Alphonsus Petrus Salvini, abbas gen. Vallisumbrosae; Ioannes van Engelen S. O. Cist., abbas praeses Congreg. Belgicae; Romualdus M. Zilianti, abbas gen. Congreg. Montis Oliveti; Anselmus Giabbani, Camaldulensis; Maurus Riha, praeses Congreg. Austriae; Carolus Braunstorfer, abbas praeses S. O. Cist.; Ioachim Ammann, episcopus tit.; Sighardus Kleiner, abbas gen. S. O. Cist.; Henricus Groner, abbas nullius de Wettingen-Mehrerau; M. Bernardus de Terris, abbas praeses de Senanq; Victor Haelg, abbas ord. Ndanda, episc. tit. Baia; Caelestinus Gusi, abbas gen. Congr. Sublacensis O.S.B.; Gre-

gorius Gomez, abbas nullius Novae Nursiae; Raimundus Tschudy, abbas nullius Einsiedlensis; Godefridus Dayez, superior gen. Congr. Belg. O.S.B.; Basilius Niederberger, abbas de Mariastein, p. t. abbas praeses Congreg. Helveticae; Ioannes M. Hoeck O.S.B., abbas Schyrensis, p. t. praeses Congreg. Bavaricae O.S.B.; Placidus Staeb O.S.B., abbas Bahiensis, praeses Congreg. Brasiliensis.

19

REV.MUS P. D. CORNELIUS HEILIGERS
Superior generalis S. M. M.

Caput I. Pag. 162, n. 9, lin. 20: post verbum « de mandato » addendum videretur: *vel approbante.*

In eodem n. 9: specialis mentio facienda videtur de piis exercitiis praescriptis in iure particulari legitimo Religionum, quippe quae speciale momentum habent pro fine specifico et cum speciali physionomia spirituali ipsarum Religionum.

Peculiaris commendatio addi posset ut in tuto ponatur spiritus liturgicus etiam apud religiosorum Institutorum sodales.

Pag. 163, n. 10, lin. 12: post « seminariis » addendum esset: *etiam religiosis.*

Pag. 163, n. 11, lin. 16: post « seminariis » addendum esset: « etiam religiosis ».

Pag. 163, n. 12, lin. 25: post « religiosis » addendum esset: *et praesertim in domibus formationis etiam Religiosarum.*

Pag. 163, n .13, lin. 32: loco « sive dioecesani » dicerem: *sive saeculares.*

Pag. 163, post n. 13: utilis videretur exhortatio pro vita liturgica Religiosorum laicorum sive virorum sive mulierum.

20

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Iam in primo Concilio Apostolorum problema aliquod adaptationis et unionis discussum est sicut in hoc concilio. Quomodo procedebant? Primo erat dissensus inter duas partes et quaerebant: « quid oporteat fieri »? Tunc facta est « magna conquisitio ». Petrus monuit, ne parti imponeretur iugum non iustum. Deinde audiebant Barnabam et Paulum narrantes, quanta fecerit Deus per eos.

Liceat mihi, nullo modo Paulo et Barnabae me comparanti, aliqua adducere, quae illustrent, quod Deus fecerit iam ante Concilium instauratione pietatis liturgicae.

1. In cura pastorali inter opifices experientia docet, quot homines hodierni ex Liturgia bene perspecta et personaliter participata religioni iterum reconcilientur. Hoc inter alia etiam demonstravit congressus Eucharisticus internationalis Monachii habitus.

2. Collaboratio vere fraterna cum non catholicis demonstrat, quantum ad meliorationem sensus erga Ecclesiam contulerit et adhuc confert instauratio liturgica. Accedit, quod hodie mediis televisionis in nostris regionibus illi percipere valeant formas nostrae Liturgiae.

3. Experientia in paroeciis et dioecesibus acquisita docet, quantum conferat, saltem in multis regionibus, vita liturgica pro augmento sensus Ecclesiae, receptionis sacramentorum et operum apostolicorum. Participatio actuosa fidelium fructus fecit non tantum in vita spirituali eorum, sed etiam in operibus apostolicis, et in oblationibus offertis pro propria paroecia et dioecesi non magis quam pro necessitatibus universalis Ecclesiae.

Ergo quaestio tractanda summi momenti est etiam pro apostolatu laicorum. Permulta vota laicorum patribus oblata hoc urgent. Sicut apostolatus Ecclesiae amplectitur et partem hierarchicam et partem laicorum, ita etiam cultus publicus praeter partem ministrorum sacrorum includit partem fidelium. Fideles activa participatione gaudeant in ipsa Liturgia.

His omnibus motus et grato animo affectus de schemate in substantia proponere audeo:

1. Commissio de apostolatu laicorum habeat ius, commissioni de Liturgia praesentare congrua vota. Fortasse dici potest, quod hic modus cooperationis inter commissiones valeat etiam pro casibus similibus.

2. Addatur pag. 168 ad titulum « normae ex natura communitaria Liturgiae » novus numerus, in quo dicitur hoc: Liturgia adaptetur condicionibus socialibus hodiernis, ut participantibus per ea, quae in actione fiunt, perfectius exhibeatur sensus socialis Ecclesiae.

Explicite in hac connexione approbo, quae ab aliquo oratore iam dicta sunt de simplicitate in Liturgia.

3. N. 18, pag. 165, in fine ita corrigatur, ut loco formulae « novae formae ex fontibus iam exsistentibus organice crescant » dicatur hoc: « novae formae, quae oriuntur, cum iam exsistentibus organice coniungantur ». Ratio iam allata est ab em.mo card. Bea: « Ne aliqua porta claudatur ».

21

Exc.mus P. D. IOSEPH HOEFFNER
Episcopus Monasteriensis

I. Ad pag. 167 haec animadvertere velim: ad numerum marginalem 24:

Primo: Argumenta, quae in quaestione de lingua liturgica hucusque a Patribus Concilii allata sunt, non ex revelatione, sed ex historia, ex sociologia vel ex psychologia hausta sunt. His argumentis auctoritatem theologicam

vel dogmaticam attribuere non licet. Sic e. g. argumentum, quod omnis societas necessario unam linguam habere deberet, non ex theologia, sed ex sociologia sumptum est, et factis reprobatur; nam in Helvetia quatuor linguae in usu sunt, quin concordia et unitas Helvetiae destruatur. Idem dicendum est de argumento, quod usus linguae vernaculae in regionibus duarum linguarum nationalismum provocaret; nam si hoc argumentum valeret, in illis regionibus etiam praedicatio, homilia et instructio catechetica puerorum latine fieri deberent.

Theologice et dogmatice plures linguae liturgicae in Ecclesia Christi esse possunt. Si quis obiicit unitatem Ecclesiae pendere ab unitate linguae latinae in Liturgia respondendum est, quod qui nimium probat, nihil probat. Nam fratres nostri orientales non tantum plures ritus, sed etiam plures linguas in suis ritibus habent, et tamen in eadem unitate cum Ecclesia et cum Papa vivunt ac nos. Quaestio de lingua liturgica non ad fidem, sed ad disciplinam pertinet.

Secundo: Quod schema de linguis vernaculis proponit, vere moderatum est et linguam latinam repellere non intendit. Hodie in multis regionibus ingens motus fidelium versus altare et versus actuosam participationem liturgicam observatur. Hic motus his ultimis annis multos Pastores Ecclesiarum ad petendum Summum Pontificem impulsit, ut linguis vernaculis ampliorem locum in Liturgia tribuere velit, praesertim in gentibus, quibus civilisatio romano-latina aliena est.

Tertio: De limitibus et de modo linguae vernaculae in Liturgiam admittendae Conferentiae episcopales in diversis regionibus optime iudicare possunt. Hac in re principium subsidiaritatis applicandum est, quod — ut docuit Pius P. XII — etiam in Ecclesia valet, salva eius hierarchica structura. Ideo propono, quod in n. 24 dicatur: « Sit vero Conferentiae episcopalis, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis a Sancta Sede recognitis ».

II. Denique hoc animadvertere velim: in pag. 162, lin. 28 dicitur: « Nihil carius habet Mater Ecclesia, quam ut fideles ad actuosam participationem ducantur ». Hoc exaggeratum est. Nam gloria Dei et salus animarum maioris momenti sunt quam actuosa participatio fidelium in Liturgia. Ideo propono, quod loco « Nihil carius » dicatur: « Valde optat Mater Ecclesia... ».

22

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

De lingua vernacula in sacra Liturgia liceat mihi duas observationes in memoriam revocare: passim quoad totum schema.

1. Visum est Patribus Tridentinis non expedire, ut vulgari passim lingua Missa celebraretur (sess. XXII, cap. 8).

Ratio desumpta erat ex illius temporis circumstantiis. Reformatores enim sacrificium Missae negantes totum fere cultum in verbi Dei praedicationem et auditum fidei mutare videbantur et quaestionem de lingua vulgari cum hac Coenae Domini interpretatione coniungebant. Quare Ecclesia docens Missam esse sacrificium visibile propitiatorium hac in controversia iudicabat non convenire, Missam lingua vernacula passim celebrari. Sed etiam in illis temporibus in regionibus, ubi haec controversia fideles perturbare non poterat, Ecclesia largo modo concessit usum linguae vernaculae, ut v. g. in quibusdam dioecesibus Iugoslaviae et in Sinis.

Praefata autem controversia hodie iam non agitatur, dum e contra ipsi protestantes melius intelligunt relationes inter Coenam Domini eiusque commemorationem eucharisticam et sacrificium crucis et plurimi magis ad catholicam sententiam accedunt. Novis hisce in circumstantiis, ubi hac in re periculum fidei penitus evanuit, potest usus linguae maternae in quibusdam partibus Missae sine dubio concedi, praesertim cum *ex Actis Concilii Tridentini constet, ipsos Patres Tridentinos nullatenus aliquem usum linguae vernaculae temporibus futuris prohibere voluisse.* Omnibus notum est ipsum Concilium in canone 9 sessionis XXII reiecisse solummodo opinionem dicentem « lingua *tantum* vulgari Missam celebrari debere », quod est praecise contra supra citatam sententiam protestanticam dictum.

2. Differenter iudicanda est quaestio de lingua vernacula in sacra Liturgia apud populos, qui graeco-romana cultura imbuti sunt vel quorum cultura graeco-romana traditione effloruit, ut populi Europae et Americae, differenter apud alios populos, quorum venerabilis cultura et civilisatio *nullam fere habet cohaerentiam cum graeco-romana haereditate.* His enim populis v. g. Iaponiae vel Sinarum vel Africae largior usus linguae vernaculae est concedendus, immo tota fere pro populo celebrata Liturgia in lingua vernacula quibusdam in regionibus adhiberi possit, ut v. g. iam a Sancta Sede in Sinis concessum est. Apud alios autem populos praesertim Canon Missae in lingua latina retineatur, et quidem ex rationibus, quae iam pluries expositae sunt. In administrandis sacramentis hisce in populis praecipue ipsa forma sacramentalis maneat latina. Quantum ad singularia provideant Conferentiae episcoporum regionales approbante Sancta Sede.

23

Exc.mus P. D. ANTONIUS JANNUCCI
Episcopus Pinnensis-Piscariensis

Propono humiliter sequentes numeros cap. I ita esse emendandos:

N. 20 (*Aptatio iuxta locorum necessitates*). Unitas substantialis ritus romani omnino servanda est. Haec postulat saltem totalem identitatem et ritus structurae et linguae latinae sive in Canone sacrosancti Sacrificii Missae, sive in partibus sacrarum Ordinationum fideles non respicientibus, sive in formis

Sacramentorum, sive in formulis sacramentalium, sive in toto Breviario romano a clericis in sacris adhibendo.

In substantiali hac unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in missionibus locus relinquatur; et hac in structura rituum et in rubricis instituendis opportune prae oculis habeatur.

N. 21: (*Limites aptationis in regionibus ordinaria hierarchia praeditis*).

Limites servandi in hac aptatione facienda in regionibus ordinaria hierarchia praeditis, ita a legislatione ecclesiastica statuantur, ut, intacta vi editionis editionis latinae typicae librorum liturgicorum a S. Sede editorum aut edendorum, Concilio plenario nationali concedatur facultas divinum cultum ordinandi ad linguam latinam quod attinet, iis exceptis partibus n. 20 consideratis et actis a S. Sede recognitis, addita, insuper, facultate S. Sedi proponere, si bono animarum sit consulendum, maiores aptationes vel varietates.

N. 22: (*Aptatio Liturgiae in missionibus*). Et quia in missionibus Liturgiae aptatio difficilior evadit... » (et reliqua sicut in schemate).

N. 24: (*Lingua liturgica*). Latinae linguae usus in Liturgia ritus romani servetur, prae oculis semper habitis in nn. 20, 21, 22 huius capitis recensitis.

24

Exc.mus P. D. IULIANUS LE COUËDIC
Episcopus Trecensis

Mihi liceat a vobisque permittatur, em.mi, exc.mi et rev.mi Patres Conciliares, illam brevissimam animadversionem addere audacterque insinuari quod schema de s. Liturgia quid novum afferat.

Agitur quidem de Congressibus eucharisticis sive nationalibus sive internationalibus, quorum vice, pro modulo meo, fungor.

Illi Congressus multis apparent — flens dico! — mere externus decor, ut ita dicunt, et indumentum Ecclesiae, nescio quid adhuc necessarium, quia S. Sedes illos celebrari desiderat, sed sine ulla relatione cum vita interna christianismi huius temporis neque cum actione catholica qua vivere debemus.

Quod sit perniciosus error, illas Summorum Pontificum, praesertim Ioannis XXIII in Luganensi Concilio eucharistico recente, laudationes magnificas memorari sufficit.

Mihi e contrario videtur quod in futurum illi Congressus conclusionem esse possent laborum, in decursu integri anni, omnis generis uniuscuiusque nationis aut totius orbis, scil. non externum superficialeque indumentum, sed potius e corde viventis Ecclesiae erui.

Tunc, quemadmodum de Ecclesia in generali nuper dictum fuerit, de Congressibus eucharisticis, instrumenta et organa illius Ecclesiae missionariae appellari potuerint.

Modo conclusionis humiliter peto quod ad n. 14, lin. 3, pag. 164, aut ad alium articulum, iudicio peritorum, addatur illud adminiculum post verba « internas et externas » « sicuti fit in Congressibus eucharisticis ».

25

Exc.mus P. D. MARCELLUS LEFEBVRE
Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia

De hoc primo capite nostri schematis de Liturgia liceat mihi pauca dicere:

1. Imprimis quod latet multa ambiguitate, quia nolendo « dogmatice definire » nihil definit clare et sic etiam in rebus disciplinaribus manet confusio.

Unde, ut aliqui Patres iam dixerunt, mihi videtur necessarium clare exponere principia modo dogmatico, ut sic clare appareat et legitimitas et possibilitas illarum adaptationum, vel e contrario difficultas et impossibilitas.

Et deinde proponere disciplinam modo iuridico.

2. In n. 22: de aptationibus in locis missionum loquitur. Caute procedendum est in his aptationibus quia sunt « liturgistae » saepe recenter degentes in missionibus, vel qui solum aliquam brevem visitationem fecerunt, qui plus adaptare volunt quam ipsi nativi sacerdotes et ipsi fideles.

Unitas cultus et cantuum liturgicorum et Liturgiae sacrificii Missae solemnis praesertim est magnum argumentum in favorem Ecclesiae Catholicae pro fidelibus et infidelibus.

3. In nn. 21, 22 et 34 quaestio maximi momenti et gravissima ponitur quando agitur de facultate moderandi cultum et omnem actionem pastoralem liturgicam in universa natione a Conferentiis episcopalibus nationalibus.

Est enim quaestio gravissima quae subiacet in toto capite I. Quaenam erit auctoritas quae de re liturgica erit moderatrix?

In n. 28 explicite dicitur: « S. Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet, quae quidem auctoritas est apud S. Sedem et, ad normam iuris, apud episcopos ». Nulla mentio fit de Conferentiis episcoporum.

Attamen, ex alia parte in numeris praecitatis explicite dicitur, ut in n. 34: « In singulis Conferentiis episcopalibus nationalibus instituatur Commissio... Ipsius Commissionis erit actionem pastoralem liturgicam in universa natione *moderari* ».

Unde ponitur quaestio: Unde veniet haec auctoritas Conferentiarum episcoporum?

Unde facile videtur quod nisi definiatur quid est Conferentia episcopalis et quamnam auctoritatem habebit, hoc cap. I remanet valde ambiguum et confusum.

Videtur quod nonnisi a Summo Pontifice qui vel delegat suam auctoritatem Conferentiis vel utitur sua auctoritate pro approbatione decretorum Conferentiarum.

Et iterum ponitur quaestio maximi momenti: Utrum Summus Pontifex potest delegare suam auctoritatem coetui vel conferentiae episcoporum qua tali? Auctoritas sive legislativa sive iudicialis sive iurisdictionis in Ecclesia usque adhuc semper datur et residet in personis et non in coetibus.

In hoc casu a priori Summus Pontifex approbaret et daret vim legis decretis qui maioritatem numericam haberent in Conferentiis episcoporum. Et hoc esset vera innovatio in Ecclesia et diminutio auctoritatis episcoporum qui votum negativum pro his decretis darent.

Si a posteriori, i. e. post sessiones Conferentiarum approbat decreta proposita, tunc Conferentiae episcopales fiunt quasi vera Concilia plenaria et tota auctoritas remanet in Summo Pontifice.

Consequenter, ne hoc caput fundetur in supposito hypothetico, posset forsan sic enuntiari n. 34: « Conferentia episcopalis nationalis cum sua commissione liturgica studeat propositiones episcoporum et eas transmittat Summo Pontifici, qui, si Ei placuerit, nominet apud S. Congregationem Rituum aliquam commissionem mixtam ex membris diversorum dicasteriorum et ex diversis nationibus provenientibus, quae proponeret assensui Summi Pontificis nova decreta et novam editionem librorum liturgicorum ut in n. 16 huius capitis dicitur ».

26

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

In connexione cum quaestione de participatione fidelium functionibus liturgicis liceat mihi venerabilium Patrum Conciliarium advertentiam ad n. 15, sectionis II in capite I de transmissionibus radiophonicis et televisificis actionum sacrarum dirigere. Si ad earum gravitatem et opportunitatem probandam exemplum necesse esset, institutiones technicae huius Basilicae simul et aulae conciliaris optimum nobis praeberent. Quibus deficientibus participatio actuosa huic Concilio pro nobis fere impossibilis aut nimis difficilis esset. Quare Sanctitati Suae gratias agentes sumus, pro his omnibus et etiam admirationem nostram pro opere exprimimus.

Quibus prae oculis habitis liceat mihi petere, ut verba de hac re in schemate iam prolata ab omnibus libenter accipiantur et insuper nonnullis aliis verbis adaugeantur, nempe:

1. Ut tales transmissiones actionum sacrarum ab omnibus competentibus foveantur, ut ita sermo Dei currat (sicut oramus) et ad omnes, sanos, aegrotos, senes et ad omnes alios perveniat.

2. Tamen simul declaretur, similiter ut in n. 43 (pag. 176) has transmissiones et earum receptiones realem praesentiam fidelium, in quantum talis pro functionibus liturgicis requiratur, non supplere.

3. Ut textus definitivus audita Commissione de prelo et spectaculis moderandis statueretur et etiam reliqua omnia in schemate VI in capite respectivo dicenda observentur.

27

EXC.MUS P. D. IOSEPH ALÍ LEBRUN MORATINOS
Episcopus Valentinus in Venetiola

Ad schema sacrae Liturgiae propositum Conferentiae episcopali Venezueliensi quod attinet haec humanissime proponere videntur. Scilicet:

Primo constitutio 24 ita reformetur: « Linguae latinae usus in Liturgia occidentali servetur. Cum tamen " in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum existere " possit, *linguae vernaculae etiam ut linguae liturgicae admittantur.* Sit vero Conferentiae episcopalis in singulis regionibus etiam si casus ferat, consilio habito cum episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae Sanctae Sedi proponere ».

Rationes quibus haec reformatio innititur sunt:

1) Corroborat vota plurimorum episcoporum ad Concilia proposita nempe de maiore parte tribuenda linguae vulgari in Liturgia.

2) Actuosam participationem fidelium faciliorem reddit, colere enim Deum lingua ab omnibus cognita magis consentaneum est rerum naturae, et quamvis non pauca media adsint (v. g. libri vertentes textum liturgicum, interpretes officiorum etc.) quae difficultatem ex ignorantia linguae latinae ortam removere conantur, tamen novas difficultates et pericula gignunt. Nam in Liturgia magna virtus alloquii directi, coniunctionis immediatae inter clerum et populum admittenda est; illa vero media hanc coniunctionem impediunt, actionem liturgicam sacerdotis perturbant.

Iamvero possibilia pericula huius concessionis praecaventur cum limites et modi eiusdem singulis Conferentiis episcopalibus quae ad Sanctam Sedem rem proponent, relinquantur.

28

EXC.MUS P. D. ANDREAS MAKARAKIZA
Episcopus Ngaziensis

1. Omnes Patres faciliter admittent ut pulchre dixit em.mus ac rev.mus card. Léger, quod reformationes liturgicae de quibus in n. 24 cap. I schematis principaliter fundamento pastorali niti debent. Hoc principium iam admittebatur a Concilio Tridentino, quod decisionem suam in cap. 8 sessionis XXII fundebat hisce verbis: « non tamen expedire ».

Ab illo Concilio, scilicet in decursu quatuor saeculorum quis non videt

circumstantias adeo mutasse ut quaestio de usu linguae sic dictae vulgaris denuo agitanda sit. Ad pastoralia fovenda, lingua est medium tantum, non est finis. Attendendum est ergo ad fidelium utilitatem.

2. Sacra Liturgia natura sua est celebratio qua communitas fidelium una cum sacerdote cultum Deo reddit imprimis Filium suum offerendo in Sacro Sacrificio Missae. Ut haec communitas seu unitas revera efficiatur, necessaria est communis loquela, qua omnia lucide in ipsa structura Missae apparent, nempe per dialogos inter sacerdotem et fideles.

3. Ne ultro obiiciatur linguam latinam indolem servare debere mysterii. In nostra aetate investigationum scientificarum praesertim iuventus intelligere vult ubi iacet mysterium, ut gratia Dei adiuvante, scienter et volenter credere possit. Circumstantiae mysteriosae eis non amplius satisfaciunt. Et recte! Et iuvenes etiam africani qui studiis adunantur hac mente imbuti sunt necnon et simplices huic menti iam participare incipiunt. Concilium autem non tantum necessitatibus temporis hodierni providere debet sed etiam futuris.

4. Ne iterum obiiciatur quod usus linguae latinae sit medium quasi necessarium ad servandam unitatem Ecclesiae. Unitas Ecclesiae non est in lingua sed in fide et caritate. Econtra, ut nobis videtur, nimia severitas in usu linguae latinae multos ab Ecclesia avertere posset.

5. Denique primarius finis liturgiae est Deo debitum cultum dare, alius autem finis eiusdem Liturgiae est instructio fidelium quapropter Liturgia kerygmatica oportet esse. Necessitas usus linguae vernaculae sub hoc aspectu tam evidenter patet ut de hac re alia non sint amplius dicenda. Si tamen in certis regionibus tanta est varietas linguarum ut usus unius linguae non expediat, non est ratio vi cuius prohibeatur aliis regionibus usus linguae vernaculae.

6. *Conclusio.* Quapropter proponimus quod, salvis editionibus typicis vaticanis, quae ut normae in vigore serventur, Missa lingua vernacula celebrari possit ad nutum conferentiarum episcoporum.

29

EXC.MUS P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ
Archiepiscopus Angelorum

Loqui nunc non intendo, eo quod tempus ad hoc iam transactum sit et quod perquamplures Patres locuti sint. Attamen, ad meae conscientiae tranquillitatem, enixe rogo Te ut conciliari commissioni de sacra Liturgia sequentes meas humiles animadversiones transmittere valeas:

1. Nota in pag. 155 mihi delenda videtur, ad confusiones vitandas.

2. *In prooemio,* in pag. 157, lin. 25 et sequenti, verba « dum declarat se in praesenti constitutione nihil velle dogmatice definire », innecessaria videntur, quia iam ex rei natura et contextu apparet non agi de dogmatica defini-

tione. Eo vel magis quod de principiis dicitur « esse revocanda » et sermo statim fit « de normis practicis ».

3. In cap. I, pag. 159, lin. 8 et seq., corrigendam esse sententiam, quia « *humanitas* Verbi Incarnati » non fuit causa nostrae salutis, stricte loquendo, nam actiones sunt suppositorum, non naturarum. Causa fuit ipsum Verbum Incarnatum, scl. Persona, utique mediante eius humanitate, Ei hypostatice unita.

4. In pag. 163, n. 11, lin. 16: Sacra Liturgia, quamvis magni momenti sit, non videtur « inter disciplinas principales » reponi debere, quia principalis locus pro theologia dogmatica, Sacra Scriptura et theologia morali semper habitus est. Unde mutanda verba censeo plus minusve hoc modo: « Scientia de sacra Liturgia ... debito cum honore est habenda... ».

5. In pag. 163, n. 12, lin. 30: Melius esset delere verbum « tota ».

6. In pag. 164, n. 16, lin. 29: Nimia videntur verba « ex universo orbe ». Sufficit dicere « ex variis nationibus », vel « peritis ex pluribus nationibus adhibitis ».

7. In pag. 166, n. 21, lin. 3 et seq.: Mihi videtur delenda esse verba: « Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam »; et relinquere prout iacent verba: « Conferentiae episcopali nationali ». Ratio est, quia si Ordinarii singularum provinciarum divinum cultum ordinant, magnum adest periculum confusionis aut mirandae diversitatis inter Provincias etiam finitimas. Unde melius est rem relinquere soli Conferentiae nationali.

8. In eadem pag. 166, in eodem n. 21, lin. 7 et seq.: Ultima verba concordare debent cum iis quae postea, in n. 24, lin. 19, proferuntur, scl., « Sanctae Sedi proponere ». Unde articulus posset hoc modo exprimi: « Limites servandis... Conferentiae episcopalis nationalis sit divinum cultum ordinare... actis a Sancta Sede recognitis et adprobatis ».

9. In pag. 167, n. 24: Post tot tantasque disceptationes circa linguae latinae usum, media via seligenda videtur. In medio virtus, praesertim cum de rebus valde agitatis agatur. Porro schema iam mediam viam offert, prout iacet. Admittendum est. Meminisse oportet problema participationis fidelium non tam in lingua latina adesse, sed in catechesi, instructione, eruditione fidelium. Sacra Liturgia in lingua vernacula de se et per se, non catechizat, saltem sufficienter, populos, sed requiritur verbum vivum et directum sacerdotis ad populum in praedicatione, instructione et catechesi.

10. In pag. 167, n. 23: Mihi videtur valde opportunum fore verba aliqua addere de vestibus liturgicis, praesertim pontificalibus, ita ut simpliciores seu leviores fiant.

Sic humillime coram Domino iudicavi.

30

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

1) « Nota » pag. 155, omittatur. *Ratio* est quia in instauratione S. Liturgiae non tantum S. Sedes sed etiam Conferentiae episcoporum partes habebunt, ut in ipso schemate proponitur.

2) Pag. 157, lin. 25: Auferatur oratio « dum declarat se in praesenti constitutione nihil velle dogmatice definire ». *Ratio* est clausulam necessariam non esse: definitiones etenim ex verborum tenore clare constare debent, quod in praesenti schemate minime accidit. Et insuper quia haec negativa declaratio posset interpretari veluti vim constitutionis nimis extenuans.

3) Pag. 157, lin. 29: Tota oratio sic mutanda proponitur: « Inter haec principia et normas nonnulla habentur quae ad omnes ritus, tum occidentales tum orientales, applicari possunt ac debent, licet ea quae *practice* a S. Synodo decernuntur solum ritum romanum spectare intelligenda sint, nisi aliud expresse caveatur ». *Ratio*: Concilium oecumenicum, maxime in primis congregationibus non debet seipsum ad negotia solius patriarchatus romani seu occidentis coarctare. Principia generalia quae Orientalium Ecclesiarum ius minime contradicunt, sunt pro omnibus maximi momenti.

4) Pag. 158, lin. 1: Pro verbo « vigentes » proponitur « agnitos vel agnoscendos ». *Ratio*: Decursu temporum possunt novi ritus confici, quorum dignitas non minor sit quam aliorum.

§ 1: pag. 159, lin. 16: Post verba: « ex quo » additio proponitur « per Spiritum Sanctum ». *Ratio*: Quia in revelatione christiana Ss.mae Trinitatis maximum est mysterium, oportet ut tres divinae Personae dissertis verbis nominentur. In schemate autem Spiritus Sanctus plus minusve latet.

§ 2: 1) Pag. 160, lin. 10: Oratio sic compleatur: « *tum* legendo..., *tum* Sacramenta administrando, *tum* Eucharistiam celebrando ». *Ratio* est quia additione facta melius apparet relationem totius Liturgiae ad paschale mysterium.

2) Pag. 160, lin. 15: Addatur in fine « per virtutem Spiritus ». Cf. supra.

§ 3: 1) Pag. 160, lin. 21: Verbum « explicantur » deleatur. *Ratio*: quia praedicationi non potest tribui idem valor quam Verbo Dei in Scriptura contento.

2) Pag. 160, lin. 24: Ante verbum offert addatur « sacramentaliter ». *Ratio*: Sic melius indoles actionis liturgicae appareat.

3) Pag. 160, lin. 28: Proponitur nova additio: « Mediator etenim Dei et hominum homo Christus Iesus (*1 Tim.* 2, 5), Pontifex constitutus secundum ordinem Melchisedech (*Hebr.* 5, 6), Caput corporis quod est Ecclesia (*Ef.* 5, 23; *Col.* 1, 24) suum sacerdotium ita vere in omnia membra effundere voluit ut merito ab Apostolo Petro domus spiritualis, sacerdotium sanctum (*1 Ptr.* 2, 5) nuncupentur. Populus etenim Israël, in quo futura tempo-

rum plenitudo Deus praesignari voluit, ab Ipso sibi regnum sacerdotale et gens sancta (*Ex.* 19, 6) vocatus est, immo messianica tempora non obscure innuens ait: « Vos autem sacerdotes Domini vocabimini; ministri Dei nostri dicetur vobis (*Is.* 61, 6); quae vaticinia impleta fuisse Ioannes Apostolus testatur dicens Iesum Christum nos fecisse regnum et sacerdotes Deo et Patri suo (*Apoc.* 1, 6) ». *Ratio*: Cum doctrina de sacerdotio fidelium in Ss. Scripturis inveniatur necnon ab ipso S. Thoma et a Magisterio Romanorum Pontificum enucleatius exposita fuerit, cumque inter fundamenta actionis cultualis merito connumeretur, peropportunum videtur ut de ea fusius in hac constitutione loquatur.

Pro art. 16 hanc novam redactionem propono (pag. 164, lin. 28 s.): « Libri liturgici recognoscantur ex integro, peritis ex universo orbe adhibitis, ea quidem ratione ut una cum textu latino versionem vernaculam a Conferentia episcopali approbatam et ab Apostolica Sede recognitam contineant, et intra paucos annos edantur ». *Rationes* sunt: 1. Quia quicumque limites in unaquaque regione linguae vernaculae assignentur, textus in promptu erit. 2. Quia sic communis et approbatus textus cuiuscumque linguae prae manibus, tam laicorum quam sacerdotum, habebitur. 3. Quia sic panditur via ad executionem n. 24.

Pag. 165, lin. 15, post verbum « explicantur », ex ea [illegible]almi et cantica pluries canuntur vel recitantur, « atque... ».

4) Pag. 160, lin. 36: Post verbum « praecellenter » addatur « cuius efficacitas eodem titulo eodemque gradu nulli... ». *Ratio* est ut ex ipsis Concilii verbis clarius appareat specialissima efficacia actionis liturgicae.

§ 5: pag. 161, lin. 8: Titulus et prima oratio sic mutari oportet: « (Liturgia in se non exhaurit totum ambitum actionis Ecclesiae). Suprema lex in Ecclesia est Christi caritas, quae in eius sacrificali morte maxime profertur. Liturgia autem, prout sacramentalis repraesentatio mysterii caritatis Christi est culmen ad quod omnia tendere debent et simul fons a quo caritas Christi effunditur in cordibus fidelium ac ipsos constanter urget. Cum ergo caritas Christi latius pateat quam actio sacramentalis, sacra Liturgia nequit in se exhaurire totum ambitum actionis Ecclesiae ». *Ratio*: In asserenda Liturgiae praecellentia oblivisci nequit ipsam Liturgiam ad caritatem ducere debere ab eaque informari. Caritas etenim vinculum est perfectionis et nunquam excidetur. Itaque necessarium videtur, ad exaggerationes tollendas nec non ad veram Liturgiam fovendam, caritatis primatum disserte asserere.

§ 6: pag. 161, lin. 29: Post verbum « Baptismum » addatur « in aqua et in Spiritu Sancto ». *Ratio*: Ut mentio non semel fiat de tertia persona Ss.mae Trinitatis. Cf. supra.

§ 8: pag. 161, lin. 10: Loco « amplectatur » proponitur « in se exhauriat ». *Ratio*: Liturgia revera amplectitur seu informare studet totam vitam christianam, quod sane ex sacramentalium usu valde elucet; attamen formae liturgicae minime exhauriunt vitam Ecclesiae: sunt etenim multae actio-

nes, et quidem magni ponderis ac momenti, quae liturgicae dici nequeunt, ut e. gr. martyrium.

§ 15: pag. 164, lin. 8 ss.: Supprimatur tota paragraphus. *Ratio*: videtur improprium Sacri Concilii de hac re legem ferre.

§ 18: pag. 165, lin. 8: Post verbum « utilitas » addatur « pastoralis ». *Ratio*: Fidelium bonum postulat ut imprimis pastorales rationes in liturgica instauratione attendantur.

§ 19: pag. 165, lin. 17: Ad verbum « significationem » addatur « salutarem ». *Ratio*: Quamvis quaedam signa aliunde desumpta sint, tamen vis significationis liturgicae quae ad historiam salutis respicit, nonnisi ex Ss. Scripturis depromitur.

§ 20: pag. 165, lin. 31: Omittantur verba « praesertim in missionibus ». *Ratio*: Sunt regiones ubi aptationes tam urgentes sint ac in missionibus. Insuper notio ipsa « missionis » analogica est neque potest geographice tantum aut iuridice definiri.

§ 21: pag. 165, lin. 34: Tota paragraphi conscriptio proponitur mutanda: « Statuta ab Apostolica Sede editione typica liturgicorum librorum, iuxta n. 16, munus est uniuscuiusque Conferentiae episcoporum divinum cultum ordinare, imprimis autem quoad administrationem Sacramentorum et sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, actis tamen a Sancta Sede recognitis ». *Ratio*: Textus schematis desiderium tantum enuntiat, quin legem conciliarem statuat. Non videtur opportunum merum votum proponere: Concilii etenim est leges ferre. Verbo autem « munere » utitur ad vitandas disceptationes de natura et limite iuris liturgici episcoporum, quae potius ad schemata theologica pertinent.

§ 22: pag. 166, lin. 10: Omittantur verba « praesertim autem in missionibus ». *Ratio*: Eadem est ac illa iam pro emendatione § 20 allata.

Ante § 23: pag. 166, lin. 36: Ante verbum « Unde » inserenda proponitur sequens oratio: « Istorum autem signorum munus est salutis mysteria per mysticam repraesentationem patefacere, potius quam ipsa velamine contegere ». *Ratio*: Liturgica signa non sunt veluti media magica ad occultanda mysteria sed potius ad mysterii intelligentiam ducere debent illudque aliquo modo illustrare secundum maternam Ecclesiae paedagogiam.

§ 23: pag. 167, lin. 7: Post verbum « Extruantur » addatur « etiam novis formis adhibitis ». *Ratio*: possunt etenim novae formae multum ad ritus intelligibilitatem conferre. Ib. 18: post « ... accommodati » et symbolismus tam energice exprimatur ut generatim non « indigeant... ».

§ 24: pag. 167, lin. 10 ss.: Proponitur conscriptio sequens totius paragraphi: (Lingua liturgica). Linguae liturgicae usus vere operam conferat etiam ad paschalis Christi mysterii intelligentiam eamque fructuosissimam et ad fidem erga Deum adloquentem efficaciter in populo fideli excitandas.

Cum ergo « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum existere » possit, amplior locus ipsi in Liturgia romana tribuatur, quin tamen usus latinae linguae ob diuturnam ac venerabilem Romanae

Ecclesiae traditionem auferatur. *Ratio*: Emendatio vult, *a*) suggerere argumentum positivum quoad usum linguae liturgicae; *b*) commendare necessitatem pastoralem usus linguae vernaculae a quamplurimis episcopis in votis ad Concilium apparandum expressam; *c*) meminisse momentum alicuius conservationis latinae linguae; *d*) ostendere Conferentias episcoporum esse instrumenta magis apta, ob meliorem circumstantiarum cognitionem, ad statuendas normas immediate moderatrices.

§ 28: pag. 168, lin. 21: Loco verborum « Sanctam Sedem et, ad normam iuris » proponitur « Romanum Pontificem et ad normam huius constitutionis... ». *Ratio*: Desideratur mentio personalis Summi Pontificis, qui, ut patet, suam auctoritatem delegare potest. Insuper ut fiat mentio huius constitutionis, ut fontis principalissimi futuri iuris liturgici. Denique, ut non praeiudicetur de natura, divina aut mere positiva, iuris liturgici episcoporum.

§ 33: pag. 169, lin. 30: Addatur sequens oratio: « In scholis catholicis ita aestimatio erga celebrationem dominicam in paroecia foveatur, ut pueri inde a teneris annis magis magisque conscii fiant de mysterio sanctae plebis christianae coadunatae in celebratione sacrae synaxis ». *Ratio*: Est paedagogica ac patet.

§ 36: pag. 170, linn. 21-27: Proponitur hic novus textus: (Commissionis liturgicae integratio). Commissio de sacra Liturgia, sive ab eius constitutione sive paulatim, in tres coetus distribuatur sub uno tantum communi Moderatore, sacrorum rituum nempe, musicae et artium sacrarum. *Ratio*: Ne cum detrimento germanae naturae Liturgiae quilibet huius coetus excrescentiam attingeret.

Loco tertiae paragraphi n. 24, pag. 167, linn. 16-19: Sit vero munus Conferentiae episcopalis in singulis regionibus, etiam si casus ferat, consilio habito cum episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, *fidelium fidem melius alere et activam communitatis participationem faciliorem reddere*, limites et modum linguae vernaculae usus in actionibus liturgicis statuendo, actis ab Apostolica Sede recognitis. *Ratio*: Additio, quam sublineo, motivationem pastoralem et theologicam declarat huius paragraphi.

31

EXC.MUS P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ
Episcopus Parentinus et Polensis

Honoris mihi est rev.mo secretariatui Concilii Oecumenici Vaticani II sequentes animadversiones ad textum schematis const. *de sacra Liturgia* transmittere.

1. Pag. 167, ad n. 24: Propono ut verbis « *Latinae linguae* usus in Liturgia occidentali servetur », addantur verba: « salva semper intacta voluntate Summorum Pontificum aliter decernendi in singulis casibus », vel similia verba.

2. Pag. 170, ad nn. 34 et 35: *Commissiones liturgicae* tam nationales quam dioecesanae, nulla iurisdictione propria polleant: sunt enim tantummodo organa consultiva.

3. Pag. 170, ad n. 36: Sicuti commissiones liturgicae ita neque hae de *musica sacra* ac de *arte sacra* ulla iurisdictione potiantur. Sicuti in n. 34 loquitur de commissionibus Liturgiae *nationalibus,* ita etiam hic sermo esse debeat de commissionibus etiam *nationalibus* de musica sacra necnon de arte sacra, sicuti revera in pag. 200 sub n. 102 numerantur.

32

EXC.MUS P. D. GREGORIUS ELIAS OLAZAR MURUAGA
Episcopus tit. Prusensis, vic. ap. Yurimaguaensis

Ad n. 33, in pag. 169, lin. 27. Dicit schema: « Quamobrem nonnisi ex *causa rationabili Baptismata, Confirmationes, primae Communiones...* extra propriam paroeciam fieri permittantur ».

a) Si confirmare est episcopi officium quod exerceri legitime valet intra totum dioecesis ambitum, difficilis captu est praescriptio quae hoc exercitium ordinarie restringat ad paroeciam et quidem ad paroeciam confirmandi propriam. Non supponit nimium motum circulatorium episcopi, praesertim in magnis civitatibus?

b) Forsan innecessariam sapit centralizationem in ecclesiae paroecialis favorem cum tacita ecclesiarum Religiosorum parvipensione.

c) Prima Communio hucusque non fuit habita ut actus proprie paroecialis. Premuntne rationes ut in posterum praescribatur ut talis? Si ita praescribitur, stimulo quodam humano carebunt tot Religiosi et Religiosae qui instructioni christianae parvulorum in collegiis operam navant.

Verba schematis magis suasionem redolent quidem quam iussionem; sed Concilii Oecumenici suasio aperta magnam habet vim.

Ideo, ne videamur alicuius operarii activitatem coartare in vinea Domini, aliam expressionem mallem quae dicat quod dicendum sit et taceat quod aliqualiter zelum apostolicum restringat. Homines enim sumus, etiam in hac materia valeat: « Illius sit fructus, cuius est labor ».

33

EXC.MUS P. D. NORBERTUS PERINI
Episcopus Firmanus

Factum est a quodam Patre Conciliari votum abolendi patrinos et matrinas in Confirmatione, eo quod hodie eorum praesentia facta sit mere materialis, immo aliquando manifeste indigna.

Duplici falsitate innititur hoc votum:

Falsum est patrinos et matrinas materialiter tantum, si non indigne, suo munere fungi. Testis sum et mecum innumeri episcopi testificari possunt multos patrinos nec non maximam partem matrinarum accedere ad munus suum magna cum reverentia et pietate et spirituali laetitia.

Falsum est unicum vel optimum remedium ad defectum tollendum esse abolitionem instituti in quo forte aliquid vitiosi irrepserit.

Si institutum est sanum in radice, si quid utile adhuc gignit, non ad extirpationem eveniendum est, sed ad curationem.

Hanc regulam innuit Christus Dominus, parabola ficulneae infructuosae. Atqui institutum patrini ab Ecclesia sapienter inductum, tot saeculis confirmatum, innumeris iuvenibus pretiosum adiutorium consilii, boni exempli et orationis pro perseverantia in sancta religionis observantia praestitit et praestat.

Non ergo supprimatur sed potius sanetur.

Quod duobus praecipue mediis fieri potest quae commissioni audeo subiicere:

1. *Sacrum Concilium* obligationem recipiendae Eucharistiae quae nunc viget pro Paschate (*C.I.C.* can. 859) et in periculo mortis (*C.I.C.* can. 864) extendat ad casum quo quis fungi intendat munere patrini sive in Baptismo sive in Confirmatione.

Huiusmodi Decretum quasi authomatice deflenda mala sanabit, sive arcendo a munere suscipiendo eos qui indigni sunt, sive venerationem augendo in iis qui sincera mente munus suscipient.

2. Episcopi decernant ut parochi saltem pro Confirmatione, habeant tres vel plures lectiones quibus patrinos instruant de sacramentorum momento et necessitate; de fortitudine adhibenda in religionis professione et de officiis patrini tum in actu administrationis Sacramenti, tum in futurum erga Confirmatum.

Qui praeparatorius cursus providentialis foret occasio pro parocho visendi plurimos ex iis adultis qui sensim sine sensu negligunt, amittunt et adversantur religionem eo quod, post iuveniles annos, opportunitates eis defuere accedendi ad sacerdotes.

34

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE
Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Pag. 159, n. 1, lin. 9: Causa sine adiuncto significat causam principalem. Quapropter Deus in Trinitate Personarum est, proprie loquendo, causa salutis, dum humanitas Christi est causa instrumentalis. Attamen, in textu schematis, melius est evitare expressionem « causa instrumentalis » utpote nimis scholasticam, atque adhibere vocabulum « instrumentum ». Hoc enim in traditione invenitur et latino sermone traducit verbum graecum « orga-

non » quo SS. Patres usi sunt ad exprimendam functionem humanitatis Christi in opere salutis.

Igitur in textu, loco « ... fuit causa nostrae salutis », propono: « ... *instrumentum vivum fuit nostrae salutis* ».

Pag. 161, n. 6: Tota Liturgia ipsumque Sacrificium eucharisticum ordinantur ac fideles conducunt ad unionem cum Deo per Christum.

Hoc autem melius declaretur in n. 6, postquam dictum est fideles perduci ad Coenam dominicam. Ideoque revocentur ibi verba Christi declarantis effectum illius manducationis, secundum Ioannem 6, 57.

Igitur, in n. 6, lin. 4, haec inserenda propono: « ... in medio Ecclesiae Deum laudent, *sacrosancto Missae Sacrificio intersint,* et Coenam dominicam manducent (vel aliter: et Corpus Domini sumant). *Quam* (*vel*: *quod*) *manducando, in Christo manent et Christus in eis, atque propter Christum vivunt sicut et ipse vivit propter Patrem.** (nota: * Ioann. 6, 57). *Deinde ipsa Liturgia...* ».

Pag. 162, n. 8: Melius in textu coniungi possent Liturgia et oratio personalis, ostendendo clarius hanc orationem sicut et mortificationem exigi a vita unionis cum Deo quae fidelibus per s. Liturgiam confertur.

Igitur haec propono: « Multum vero abest ut sacra Liturgia totam vitam spiritualem amplectetur. *Liturgia enim, maxime in Eucharistia, ad summam unionem cum Deo ordinatur atque efficit ut fideles mortui peccato vivant Deo in Christo Iesu Domino nostro* * (nota: * Rom. 6, 11). *Ideoque christianus, praeterquam ad cultum liturgicum, invitatur etiam* ad intrandum cubiculum suum ut Patrem... ».

Pag. 165, B) Normae ex principiis...: Ecclesia utique benevole materneque perpendit ac assumere potest quidquid in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur. Textus autem schematis nimis absolute dicit quod Ecclesia illud sartum tectumque servat.

Igitur propono ut retineatur modus Encyclicae *Summi Pontificatus* (*A.A.S.,* 31 [1939], pp. 428-429).

B) Normae ex principiis..., lin. 4: « ... colit ac provehit, et quidquid, in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, *benevole materneque perpendit ac, si potest, sartum tectumque servat* ».

Pag. 167, n. 24. *De Lingua liturgica*: Lingua latina servanda est in Liturgia

tanquam lingua maioris partis Ecclesiae ac signum externum unitatis;

ad vitandas vindicationes « nationalisticas » in regionibus ubi existunt diversae stirpes et vigent plures linguae;

propter semper frequentiores relationes inter homines diversarum gentium universi orbis;

ad conservandum thesaurum orationum liturgicarum et cantus Ecclesiae latinae.

Attamen, ut fideles verbum Dei in sacra Liturgia facilius ac fructuosius

audiant et intelligant, amplior usus linguae vernaculae concedatur in lectionibus Missae, in nonnullis orationibus et cantibus, atque in administratione Sacramentorum et Sacramentalium.

At propter rationes supra allatas in favorem linguae latinae, fideles addiscant saltem quasdam orationes et cantus in lingua latina, qui hucusque iam in usu quasi communi veniunt (uti v. g. cantus Ordinarii Missae).

Demum, si linguam latinam in Liturgia servare volumus, oportet omnino ut textus constitutionis determinet limites introductionis linguae vernaculae, praesertim in Missa.

Pag. 167, n. 24, 2). Secundum Declarationem ipsius commissionis praeparatoriae *de sacra Liturgia* (sch. const. *de s. Lit.,* Prooemium et Cap. I, p. 29), haec paragraphus minime significat praedicationem non posse versari de omnibus quaestionibus dogmaticis vel moralibus pro utilitate et necessitate fidelium. Sed hoc non apparet in ipso textu paragraphi.

Insuper, praedicatio non solum ex fonte Scripturae et Liturgiae hauriri debet, sed etiam ex Traditione atque secundum Magisterium Ecclesiae.

Quapropter, in n. 24, 2), lin. 4, sequentia inserenda propono: « ... praedicationis. *Universa autem doctrina christiana de fide moribusque pro necessitate ac utilitate fidelium in praedicatione tradenda est. Haec vero praedicatio cyclo liturgico aptetur, quo per annum annuntiantur mirabilia* Dei in historia salutis seu mysterio Christi... ».

Pag. 168, n. 26: Peto ut paragraphus n. 26 supprimatur, nam quae ibi dicuntur certo conducent ad despectum Missae sic dictae « privatae ».

Pag. 168, n. 27: Ad n. 27 haec addenda propono: « Attamen in actione liturgica sacrum silentium interdum quoque observetur ».

35

EXC.MUS P. D. BENEDICTUS PRINTESIS
Archiepiscopus Atheniensis

Huic Sacro Concilio Oecumenico mihi liceat humiliter tria sequentia documenta Pontificia praebere, quibus saeculis elapsis facultas in lingua graeca Sacrum, latino ritu, litandi et eodem idiomate Divinum Officium recitandi data fuerat.

A iure loquendi me abstineo ne Sacris Patribus Conciliaribus eadem audiendi iugum imponam.

Innocentius VII, die 19 februarii 1406:

Manueli Chrysoloras laico litterato Constantinopoli commoranti indulget, ut possit promoveri ad omnes sacros ordines iuxta ritum S. R. Ecclesiae, *nec non Officium divinum iuxta dictum ritum, et ab ipso de latino in grecum translatum celebrare vel facere celebrari per Sacerdotem idoneum et catholicum,* etc. ... dummodo verba mutata non mutent sensum etc.

Datum Viterbii XI Kal. Martii an. 2.

Il volume dei *Registra Lateranensia* che doveva contenere questa lettera è perso, però esiste ancora il suo indice-sommario (Archivum Vaticanum, N. 32A, fol. 26).

Bonifacius IX, die 25 februarii 1398:

Bonifacius etc. ... dilecto filio Maximo de Constantinopoli Ordinis fratrum Praedicatorum professori, salutem etc.

Tuae devotionis sinceritas promeretur ut petitiones tuas, illas praesertim quae ex fidei zelo prodire conspicimus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Sane exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu cupiens obviare abusui nonnullorum Catholicorum in partibus Graeciae commorantium, qui ad Graecorum Ecclesias confluunt et inibi Missas et alia officia audiunt, asserentes se epistolas et evangelia dum leguntur vel cantantur in lingua graeca, more partium earundem, melius intelligere quam si legantur vel dicantur in latino, propter quod Catholici ipsi passim in ipsorum prolabuntur errore, tuque etiam desiderans Missas et alia divina officia in praesentia populi alta voce in graeco sermone celebrare, dicere, legere vel cantare, ad id videlicet ut Catholici praefati in partibus praelibatis ad ipsarum Missarum et divinorum officiorum celebrationem pro tempore crebrius confluant et ferventius intersint eisdem. Quare pro parte tua fuit Nobis humiliter supplicatum. *Ad hoc ut huiusmodi tuum desiderium commodius consequatur effectum, tibi ut etiam celebrandi Missas et alia divina officia huiusmodi in praefata lingua, ut praefertur, legendi seu dicendi in partibus illis licentiam concedere dignaremur.* Nos itaque, qui cunctorum fidelium animarum salutem intensis desideriis affectamus, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, in eisdem partibus Graeciae in Ecclesiis tamen et locis Catholicorum, ad quae pro tempore te declinare contingerit, Missas et alia huiusmodi officia celebrandi in prefata lingua, alias tamen iuxta ritum et institutionem Ordinis fratrum Praedicatorum, cuius professor existis, nulla prorsus mutata sententia vel forma verborum, libere et licite valeas Constitutionibus Apostolicis ac statutis et consuetudinibus dicti Ordinis contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus, devotioni tuae auctoritate Apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostrae concessionis infringere etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum V Kal. Martii, Pontificatus nostri anno nono.

Textus publicatus fuit in Giovanni Mercati: *Nuove Minuzie* (*Studii Bizantini e neoellenici*), vol. 4, Roma 1935, pp. 307-316) a pag. 315. Originale nel *Registro Lateranense* 59, già Lib. 84, fol. 33.

Callistus III, die 2 octobris 1457:

Callistus etc. Dilecto filio Simoni de Candia O. P. professori ac priori provinciali provinciae graeciae eiusdem ordinis, salutem etc.

Cum ex impositione divina christifidelium animarum cura Nobis incumbat circa hanc pervigilem ac continuam tenere obligemur memoriam ne per inadvertentiam et incautam vigilantiam ovile Christi seductum et lacessitudinem lupinis hereticorum moribus valeat deperire et in extremo iudicii die

de manibus nostris sanguis ovium requiratur, hinc est, quod nos te, de cuius experientia, fide, zelo et aliis virtutibus specialem in Domino fiduciam obtinemus, in provincia predicta hereticae pravitatis inquisitorem auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus et etiam deputamus, tibique omnes et singulos de huiusmodi pravitate suspectos capiendi, incarcerandi et animadvertendi, mulctandi, corrigendi et puniendi, aliaque omnia et singula ad inquisitionis huiusmodi officium de iure vel de consuetudine quomodolibet expectantia et pertinentia faciendi, exercendi, et exequendi, contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia compellendi et compescendi, plenam et liberam auctoritate et tenore predictis concedimus facultatem.

Similem in regno Chypri, in quo, ut accepimus, multa hereticorum secta proh dolor vigent, tibi per praesentes potestatem concedentes.

Damus insuper et concedimus tibi licentiam Missam celebrandi in lingua graeca, modo tamen latino, iuxta tuam discretionem et praesertim a Te Igitur inclusive usque ad Pater Noster exclusive. Sic igitur, fili dilecte, officium tibi comissum fideliter et diligenter studeas exercere, quod exinde de devotionis et Fidey (sic) promptitudine apud Nos et Sedem Apostolicam valeas merito commendari.

Datum Romae apud S. Petrum, anno 1457, sexto nonas Octobris, Pontificatus n. a. III.

Archivum Vaticanum, Reg. Vat. 449, 163^{v}-164^{r}.

Indulta temporis recentioris:

In China. - S. S. C. S. Officii die 12 aprilis anni 1949 in Sinis permisit Missale in lingua Sinensi litteraria quoad omnes partes Missae, a principio usque ad initium Canonis et a Postcommunione usque ad finem Missae; dum Canon manet in lingua latina, tamen partes quae alta voce recitantur (Pater Noster, Pax Domini, et Agnus Dei) iterum sunt lingua Sinensi. Hoc concessum est in genere ad melius promovendam evangelisationem infidelium et in specie propter magnum defectum cognitionis linguae latinae apud Clerum Sinensem.

Permissio celebrandi Missam Latinam in lingua hebraica in territorio Israël (*Irenikon* 1960, pag. 233, I nota).

Permissio recitandi Officium Divinum pro aliquibus Religiosis in territorio Israel (*Proche Orient Chrétien* 1962, pag. 69).

36

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Facultatem in Concilii aula fandi petere nolo, cum mihi videatur sufficere commissioni conciliari de sacra Liturgia sequentes proponere suggestiones seu considerationes:

In schemate *de sacra Liturgia* pag. 163 nn. 10 et 11 de *seminariis* est sermo. Constat autem verbo seminarii non significari, immo non licere significare nisi *sedem dioecesanam cleri saecularis.* Cf. decisionem commissionis card. d. d. 14 nov. 1955 de qua in nota 17 ad art. 21 § 1, 1° Statutorum generalium de religiosa, clericali, apostolica institutione in statibus acquirendae perfectionis clericis impertienda adnexorum Constitutioni Apostolicae *Sedes Sapientiae* S. C. de Religiosis a. 1957.

At sedes studiorum saltem theologicorum statuum perfectionis excludere non expedit. Qua de causa loco « seminarii » in citatis numeris 10 et 11 termini adhibeantur similes eorum qui in nn. 93 vel 105 leguntur et sedes studiorum theologicorum tum dioecesani tum religiosi comprehenduntur cleri.

Deinde in schemate isto pag. 163 et 167 nn. 11 et 25 allegantur « mysterium Christi et historia salutis » (n. 11, linn. 21-22) et « historia salutis seu mysterium Christi » (pag. 167, n. 25, 2, linn. 29-30). Examini subiciatur, utrum id quod vocibus illis exprimatur, undequaque cohaereat cum iis quae in constitutionis dogmaticae schemate (pag. 36, n. 18) legantur. Oppositio quidem non haberi videtur, sed nescio, utrum terminologia sufficienter cauta sit.

37

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS RASTOUIL
Episcopus Lemovicensis

Hoc propositum est de fundamento naturae sacrae Liturgiae, quod est sacerdotium unicum Iesu Christi, derivatum in sacerdotibus et christifidelibus (circa cap. I de Liturgia, pag. 159 schematorum).

De principiis:

1. Liturgia, certe, est codex legum et regularum qui ordinant cultum circa Sacrificium Missae et circa sacramenta aliasque caeremonias.

2. Sed Liturgia in primis est exercitatio sacerdotii Christi in quantum sacerdotium Christi manifestatur in actione cultuale Ecclesiae, nempe in actione sacra presbyterorum et fidelium, qui per characteres sacramentales (Ordinis, Baptismi et Confirmationis) participant sacerdotium Christi e potestates characterum impressorum in animis a tribus his sacramentis.

S. Thomas dixit: « Character importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quae sunt divini cultus » (III, q. 63, a. 2); et « Totus autem ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi.

« Et ideo manifestum est quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae » (S. Th., III, q. 63, art. 3). Expletur citatio.

Character est permanens, durante vita; est indelebilis et remanet in anima, cum suis potestatibus, iuribus et etiam obligationibus, ita ut sacerdos vel laicus, versatus in peccato mortali, teneri potest ad agendum valide, virtute

characterum susceptorum, v. g. sacerdos absolvens, fidelis qui adest Missam dominicalem.

Character Baptismi ordinatur ad cultum divinum; et verum est fundamentum, potentia, potestas, ius ad cultum divinum, et ergo ad Liturgiam « vivendam ».

Quod character baptismi sit fundamentum Liturgiae in vita christiana, clare exposuit Pius Papa XII in Encyclica *Mediator Dei* (*A.A.S.*, 2 dec. 1947).

« Christifideles — ait Pius XII — etiam divinam offerre hostiam, diversa tamen ratione, dicendi sunt... Nec mirum est christifideles ad huiusmodi dignitatem elevari. Baptismi enim lavacro, generali titulo, christiani, in Mystico Corpore membra efficiuntur Christi Sacerdotis et " charactere ", qui eorum in anima quasi insculpitur, ad cultum divinum deputantur, atque adeo Christi Sacerdotium pro sua conditione participant » (*A.A.S.*, 2 dec. 1947, pag. 554-555). Expletur citatio.

De applicatione:

Etenim Sacrificium offertur a sacerdote qui, in hac oblatione, est sacerdotaliter alter Christus, Sacramentum Christi aut melius Alter-Ego Christi, ita ut solus consecret in persona Christi — sicut solus absolvit — et in hoc ponitur differentia essentialis, a Pio XII declarata, inter sacerdotium presbyterorum et sacerdotium fidelium.

Sed etiam sacrificium, in uno cum celebranti, offertur a fidelibus virtute characteris baptismalis, et haec potestas christifidelium, sicut proclamant S. Thomas et Traditio, est quaedam participatio ad unicum sacerdotium Iesu Christi.

Liturgia, essentialiter, ontologice si possim dicere, est actio sacerdotalis totius communitatis christianae (hierarchiae et fidelium), quisque in suo loco assignato secundum gradum participationis sacerdotii Christi, id est cum potentia, cum potestatibus in anima insculptis a characteribus baptismi, confirmationis, ordinis.

Actus liturgicus « excellentissimus » communitatis christianae, primus in Ecclesia, est Actio (cum littera grande A), seu Sacrificium Missae!

Conclusiones:

I. Proclamentur fundamenta potestatum in presbyteris et in fidelibus.

Mihi videtur necessarium ut a Concilio declaretur verum fundamentum unitatis et differentiarum quae existunt inter hierarchiam et fideles, quae sunt: characteres trium sacramentorum Baptismi, Confirmationis (pro fidelibus), Ordinis (pro hierarchia), derivati ab unico sacerdotio Iesu Christi, et fontes potestatum ad cultum Dei, ad Liturgiam (pro baptisatis); ad testimonium et apostolatum in mediis vitae (pro confirmatis); ad ministerium in persona Christi (pro presbyteris), quisquis in sua conditione.

II. Instituatur commissio conciliaris de sacerdotio.

Mihi videtur omnino necessarium ut instituatur commissio conciliaris de sacerdotio, quae missionem haberet quaestioni de sacerdotio studendi:

In Christo Iesu (unus Mediator, id est unus Sacerdos);

In hierarchia (Papa, episcopis, presbyteris);

In christifidelibus, baptisatis ad cultum et vitam christianam, confirmatis ad apostolatum;

In tota Ecclesia quae est tota sacerdotalis;

et etiam *in Maria Virgine,* quae certe non est sacerdos quia minueretur, sed Mater Christi sacerdotis et, pro sua parte quando dixit « Ecce Ancilla », *Mater Sacerdotii Unici.*

Conficiatur denique tractatus de sacerdotio!

Nonne quaestio *sacerdotii* in Ecclesia sit primaria, quamprimaria tantum quantum quaestiones de *incarnatione* et de *redemptione,* quia sacerdotium Christi fuit medium divinum utriusque effector? Etenim Christus nascitur sacerdos et prout sacerdos sacrificium Crucis offert. Est sacerdos et sacerdotium.

In ista linea dogmatica — et ad finem pastoralem erga infantes, iuvenes, militantes A. C. —, nonne esset instituendum et docendum tractatum de sacerdotio, in studiis, in seminariis, in facultatibus theologiae?

III. Instituatur festum sacerdotii Iesu Christi.

Mihi videtur normalis, et actuosa, et fecunda ad vocationes suscitandas, benefica omnibus, fidelibus, iuvenibus, *institutio festi sacerdotii Iesu Christi.*

Nempe in recente praefatione festi Iesu Christi Regis, iuste, titulus Christi Sacerdotis anteponitur titulo Universorum Regis.

Breviarii Officium de sacerdotio conficeretur, ordinaretur ad memoranda: unicum sacerdotium Salvatoris, et hoc sacerdotium in presbyteros derivatum, et etiam quod dans sacerdotium animis baptizatorum et confirmatorum communicatum et insuper pro sua parte gloriosissima maternitatem sacerdotalem Beatae Mariae Virginis.

IV. Recognoscatur ius fidelium ad linguam vernaculam.

Ad exercitationem sacerdotii Christi, tum ex parte presbyterorum, tum ex parte fidelium, mihi videtur necessarius usus linguae vernaculae ad instructionem et, praesertim, ad participationem liturgicam, veram, validam, christifidelium, qui, sine usu linguae vernaculae, prope nihil reciperent de divitiis, ad quarum beneficium spirituale ius habent, virtute characteris baptismalis.

Nonne esset possibile ut aliqui cantus vel orationes liturgici, attamen pauci, ubique interpretarentur in lingua latina?

In primis: Credo, Pater, Ave, Oremus pro Pontifice; forsitan quoque Kyrie, Gloria, Sanctus, Agnus, Salve Regina; ubi adhuc esset possibile: De Profundis, Angelus Domini (ut in Concilio), Libera.

Ita ut aliquoties v. g. in periculis actualibus, et in quibusdam locis seu circumstantiis (Roma, Lourdes, Congressibus), totus populus christianus clamaret unanimiter fidem suam, amorem spemque, erga Deum Omnipotentem, Christum Salvatorem, Mariam Matrem Iesu Christi ac nostram, Ecclesiam unam, et, in his diebus solemnibus Concilii erga Patrem Communem Iohan-

nem XXIII, Papam Concilii, et hoc, in unitate fidei, manifestata una anima, uno corde, quia in unico sacerdotio Iesu Christi, et igitur, saltem aliquoties, *una voce,* sicut in Concilio per aliquos cantus et orationes!

38

Exc.mus P. D. ROBERTUS RONCA
Archiepiscopus tit. Naupactensis

I. Cum Liturgia fidei veritates compendio contineat, unde orandi lex credendi lex dicitur, magnopere laudandum est votum ut ipsa tamquam pastoralis actionis ministrorum sacrorum obiectum habeatur eo praesertim quod ex illa fidelium populus ad observandam divinam legem et ad exercendas virtutes excitatur.

Attamen observandum est ipsius Liturgiae obiectum publicum Dei cultum esse honoremque Sanctorum.

Quam ob rem quo facilius publici huius cultus unitas externe quoque omnibus appareat latinae *linguae usus in ritu latino omnino servandus est, in Missa praesertim celebranda vel in ipsis quoque didacticis eiusdem partibus, et in Breviario Romano.*

Fidelium vero populus aut potest per se ipsum actionem sacram liturgicam comitari missalibus parvis, lingua vernacula scriptis, usus, aut lectorem, vernacula pariter lingua omnia explicantes, secutus.

II. De Communione vero sub utraque specie et de concelebratione nulla necessitas eminet ut in ritu latino instaurentur.

III. Ad Breviarium Romanum quod attinet omnino consentio iis quae em.mus card. Wyszyński in suo voto scribit.

IV. Conferentiae episcopales singularum nationum characterem, quem usque modo habuerunt — fratrum scilicet concursum — servent, nec iurisdictionis organa fiant, nisi forte ut concilia plenaria vel provincialia, servatis de iure servandis, coadunentur.

V. *Quoad ecclesias nascentes, S. Sedes ipsarum necessitatibus aptis mediis profecto consulet nec ulla necessitas est ut de hac re Sacrosanctum Concilium quidquam decernat.*

39

Exc.mus P. D. IOANNES B. SCAPINELLI DI LEGUIGNO
Archiepiscopus tit. Laodicensis ad Libanum

1) Quod ad proprietates rituum pertinet, in pag. 158, lin. 1, post verbum « vigentes », ad maiorem rei claritatem, addatur hoc incisum: « cum sint autonomi, exclusivi ceterorum, personales, aequo iure... ».

2) Proponitur, ut comma 2, n. 18, pag. 165, linn. 11-12 auferatur. Ratio,

quia propositio commatis 2, prout in schemate exstat: *a*) aequivoca est et *b*) consequenter, occasionem falsae interpretationi, praecipue in damnum Ecclesiae rituum orientalium, praebere potest.

3) N. 33, pag. 169, linn. 27-30: Quaeritur, utrum haec norma vere necessaria vel saltem utilis sit et in hodiernis rerum adiunctis an applicari possit. Imprimis, nonne ex hac legis dispositione lites faciliter oriturae praevideri possunt inter parochos et rectores ecclesiarum non paroecialium? Praeterea, quaenam sit illa « rationabilis causa », de qua hic agitur? Deinde, quare non praecipitur, ut fideles etiam confessiones in ecclesia propria peragant? De cetero, cum bonum animarum sit suprema lex, in hodiernis rerum adiunctis et diversis circumstantiis, quomodo prohiberi poterit, ne fideles in ecclesiis v. g. religiosorum vel in aliquo eximio Sanctuario mariano matrimonia contrahant, baptismum ceteraque sacramenta recipiant? Res conscientiae et prudentiae Ordinarii loci relinquatur.

40

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCHELL

Episcopus tit. Birthensis, coad. c.i.s. Clivi Zamoerensis

[Folia typis edita exhibuit, quae sua fecit et subsignavit]

1. *Quomodo Ecclesia penuria sacerdotum laboret.* Numerum sacerdotum omnino esse insufficientem nemo est qui ignoret. Idque in tot scriptis, libellis, libris, missionum, quas vocant, relationibus, sacrisque orationibus agitatur, ut eorum numerus iniri vix possit nec non in litteris pastoralibus post bellum ultimum editis. Pius papa undecimus opus condidit pontificium ad fovendas vocationes sacerdotales tamquam opus omnium maximum. Pius vero papa duodecimus ecclesiam nostrae ait memoriae nulla re laborare magis et premi, quam penuria sacerdotum.

2. *Quae remedia huic rei usque adhuc sint adhibita?* Remedia quae usque ad nostram aetatem adhibita sunt et proposita, proverbium plerumque in memoriam revocant: adiuva teipsum tum Deus te adiuvabit. Ea autem quae ad excitandas vocationes suscepta sunt sacerdotales, tot sunt et tali methodo utuntur, ut vocationem sacerdotalem opus praecipue esse Dei eiusque gratiae, cui sapientia humana haud multum conferre possit, interdum vix intelligatur. Mirum igitur non est si quamvis toto pectore laboretur laboris fructus plerumque desideratur. Certo certius quod Pius papa duodecimus dolet, pro nostra quoque haud secus ac sua valet aetate: Ecclesiam nulla re laborare magis et premi quam penuria sacerdotum.

3. Num qua certa sit ratio eam supplendi? Quod si quis quaerit, magna cum fiducia respondemus: Dominus noster Iesus Christus quid nobis opus sit factu ut sacerdotum numerus suppleatur sufficiens enuntiavit. Suam erga nos salvificam hac in re voluntatem non solum ostendit verum etiam monuit

ut adimpleretur idque iussit, petitionem suo nomine factam absque ulla controversia Deum esse auditurum pollicitus. Credimus igitur atque profitemur, hoc mandato rite perfecto, fieri non posse quin brevi tempore certam huic inopiae operam feramus. Ad quod efficiendum si qui sunt qui humanis mere rationibus nitantur, ii quoque negare nequeunt eos qui ad eundem finem assequendum voluntatem Christi agnoscunt eamque rite exsequuntur viam multo ingredi meliorem.

4. Nostris temporibus vocationes excitari debent modo plane inusitato.

Ecclesia sacerdotibus non carebat nisi temporibus recentioribus. Ante nostram quidem aetatem vocationes sacerdotales ex naturali quasi quodam bonae familiae seminario elici potuerunt, ut facile eorum numerus sufficeret. Accedit quod vita parochialis bene ordinata nec non ordines religiosi suo quisque modo vel sacerdotes ipsi suo denique exemplo multos inducebant ut sacerdotium amplecterentur. Nostra autem aetate cum plures sacerdotes desiderantur tam in sua cuiusque patria quam in terris paganorum, omnia quae sua ipsa natura ad colendas vocationes conferunt, magis atque magis videntur minui.

Christi autem voluntas, qua sua mediante ecclesia atque sacerdotibus animas vult salvas fieri, nec minuta est nostra aetate a Deo tam aliena nec debilitata.

Quo infirmiores nos esse sentimus quam ut difficultates superemus, eo magis sua ipse potestate utetur. Id unum requirit, ut Christi omnipotentia fisi et promissis a Deo datis, quibus tales se precationes esse auditurum pollicetur, suum mandatum exsequamur: rogate Dominum messis.

Si Dei est voluntas ut nostri quoque temporibus tam extraordinariis sufficiens sit sacerdotum numerus, quis expeditiorem ad vocationes excitandas invenit viam aut certiorem? Certa est ista quidem via Christi, eo quod sua ipse divina promissione se tali precationi esse satisfacturum spopondit; expedita autem, eo quod, cuiuscumque interest, ut regnum Dei floreat hanc viam semper sequi et ubique potest nec quidquam aliud requiritur. Nec gradus quidam gratiae altior nec fervens mysticorum precatio aut aliud quid huiusmodi postulatur nisi ut preces fundamus, quae ut efficaces esse possint moribus probari et vita debent.

Quodsi tot media ad sollicitandas vocationes adhibeantur mere naturalia eaque tali studio eo, quod studium orandi nos et fides deficiat, ut mandatum Domini: rogate Dominum messis nec cum tali fide accipiamus nec illa fiducia, quas Deus postulare potest ut suis promissionibus praestemus, immo debet, tum profecto in maximo discrimine ecclesia versetur et periculo. Hac in re Verbum Christi de montibus tollendis (Mt. 11, 22-24) apte commemoratur.

5. Comparatio.

Quid pro nostra humana natura possibile est et legibus adaptatum esse videtur quibus preces liturgicae subiciuntur? Huic quaestioni tam difficili si quam comparationem instituerimus, facile respondebimus:

Quid ecclesia orans pro animabus facit in purgatorio detentis? singula quaeque breviter percurramus quae et liturgia sacra et pietas popularis maxima cum concordia ad eas suscipit liberandas. Quomodo preces v. g. fidelium animae ... memento Domine famulorum ... requiem aeternam etc. ... iterum iterumque recitentur. (Pluries quam septies cotidie in breviario, in canone Missae, in variis Missis pro defunctis, diebus commemorationis omnium defunctorum, in devotionibus popularibus fere innumerabilibus).

Quodsi commemoratio defunctorum carorum cordi nobis esse et usui videtur, quanto magis preces pro vivis adhuc in terra versantibus, cum speciale exstet Christi mandatum quod obliget.

De animabus profecto defunctorum quater in anno recordari vel quovis mense vel iis solum Missis quae pro defunctis offeruntur, nobis, qui defunctos curemus, non sufficere persuasum est. Si igitur in canone unius cuiusque Missae « memento famulorum » invenimus pro defunctis, quanto magis, dico, « rogate Dominum messis » canoni adiciatur oportet idque precibus se fidelium cotidianis insinuet.

Voluntas Christi salvifica, quam ecclesia mediante vult et sacerdotibus exsequi, et desiderium quod in dies augetur, numeri ministrorum sacrorum pro salute mundi augendi, clamant atque flagitant ut Christi mandatum faciamus et eo quidem modo quo Christus ipse, qua res est gravitate, sperare debet atque revera postulat.

6. « Rogate Dominum messis » post canonem Missae.

Gregorius ille Magnus ut supra iam diximus orationem Dominicam canoni adiunxit. Est autem alterum quoque mandatum orandi i. e. « Rogate Dominum messis ». Quorum utrumque ad suum cuique finem impetrandum praecipitur. Haec autem cum ab ipso Domino sint edicta, gravia sunt admodum nec parvi umquam pendenda. Accedit quod sola haec in novo testamento Christi sunt orandi praecepta quae ad omnes spectant. Ob hanc quoque causam talis precatio post canonem locum sibi vindicat. Quodsi multae aliae preces fidelium ibi inveniuntur v. g. pro pace, pro unitate etc. certo certius intentionem pro qua Christus orare nos iubet minoris aestimari non licet.

7. Quae in contrariam partem afferuntur.

a) Forsitan aliquis dicat: Verba canonis sacrosancta eaque ab antiquis recepta mutari non licet.

Respondemus: Canonem mutari minime est in animo. Petimus autem ut « Rogate Dominum messis » in ipso Ordine Missae aliquem locum obtineat fixum idque in ea parte Ordinis, in qua nuper decreto Sacrae Rituum Congregationis 23 martii 1955 aliquae iam mutationes sunt factae. Num diutius moremur quominus hoc mandatum exsequamur. An forsitan ista penuria vel maxima sacerdotum ex eo pendeat, quod hoc Christi mandatum negleximus.

b) Forsitan alius quis dicat: Compositio Ordinis ita perfecta est et absoluta ut vix quidquam ei adici possit.

Respondemus: Qui benedictionem nuptialem post Ordinem inseri patitur aequo iure hoc ipso loco adiungi istud mandatum ne impediat.

Si ecclesia postquam pater noster recitat, pro novis orat familiis, pro sponsis eorumque fecunditate cur ipsa eadem ecclesia hoc loco inserere non potest preces aliquas pro sua ipsius fecunditate qua spirituales filios gignit et filias praesertim cum Christus caput sponsae ecclesiae ac matris nostrae hanc petitionem explicite praecipiat.

Ut depositum fidei in decursu saeculorum magis magisque intelligitur atque clarius exponitur, ita thesaurus precum sanctae ecclesiae augeri potest immo debet pro iis certe intentionibus pro quibus Christus preces nostras requirit.

c) Si quis dicat novas Missas votivas satis esse superque ad istud mandatum exsequendum.

Respondemus: Grato nos quidem animo animadvertimus in hisce Missis votivis ad petendas vocationes primo in historia Missarum huius mandati mentionem fieri explicitam. Istas autem Missas votivas quo qui sacerdos pluris eas aestimat aut minoris eo saepius eas aut rarius elegit. Mandatum autem Christi cum omnibus discipulis commissum sit et apostolis, his omnibus eorumque successoribus est adimplendum. Quod certius fieri non potest neque perfectius nisi inter Missarum solemnia. Donec « rogate Dominum messis » non invenitur in isto supremo Catholici sacerdotii actu quem quisque sacerdos singulis peragit diebus, mandatum quoquo modo potest, dici non potest esse adimpletum. Immo si populus Christianus huic mandato suis privatis pietatis exercitiis satisfaceret, ei ultima manus non esset imposita nisi in sacrificio Missae eius fieret mentio.

Ut « memento pro defunctis » locus est in canone assignatus, ita optimo iure « rogate Dominum messis » locum aliquem sibi vindicare potest idoneum.

41

Rev.mus P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Placet generatim loquendo, ratione habita animadversionum sequentium.

Ad pag. 157, lin. 5: deleatur « quoquo modo ».

Ad pag. 160, lin. 20: sic fiat interpunctio: « Ipse est qui loquitur, dum verba Sacrae Scripturae... ».

Ad pag. 160, lin. 28: deleatur verbum « semper ».

Ad pag. 162, linn. 25-26: clarius dicatur: « ad eam, utpote natura sua longe praecellentem, populum manuducant ».

Pag. 163, lin. 16: dicatur: « inter disciplinas *praestantiores* est habenda ».

Pag. 163, linn. 30-31: dicatur: « ita *ut vitae ratio* in seminariis... liturgico spiritu informetur ».

Pag. 165, linn. 25-26: sic interpunctio fiat: « quidquid, in populorum moribus, indissolubili vinculo... ».

Pag. 166, linn. 7-8: scribatur: « actis a Sancta Sede recognitis *et approbatis* ».

Pag. 166, linn. 16-17: corrigatur: « de ipsius consens*u* introducendae ».

Pag. 166, lin. 26: scribatur: « qui consulantur, quando huiusmodi leges parantur ».

Pag. 166, linn. 32-33: dicatur: « Immo, preces, quae a sacerdote ad Deum diriguntur, nomine totius plebis... dicuntur ».

Pag. 167, linn. 34-36: textus clarior reddatur.

Pag. 172, nota 34, linn. 4-5: corrigatur « sacerdotalium ».

Pag. 173, nota 54, lin. 1: compleatur parenthesis: (1956).

42

Exc.mus P. D. ANSGARIUS SEVRIN
Episcopus tit. Mossinensis

Velim proponere ut Sacrosanctum Concilium in sectione quarta, capitis primi, post numerum 33 aliquid addat pro regionibus ubi sacerdotes desunt. Velim nempe ut Concilium:

1. Determinet inter officia liturgica annumerandos esse conventus quos in missionibus, diebus de praecepto, habent fideles, sine assistentia sacerdotis qui haberi nequit, sed duce catechista vel alia persona probata. In quibusdam locis conventus illi magno cum fructu habentur, ritu ab Ordinario praescripto et, quantum fieri potest, sequuntur modum procedendi in Missa, inculcantes fines Sancti Sacrificii, cum lectionibus, orationibus, instructione catechetica, oblatione donorum pro pauperibus, communione spirituali. Fideles toto corde se uniunt cum Sacro Sacrificio in paroecia vel aliis in locis oblato.

Peto

2. Ut Concilium declarare velit praxim talium conventuum celebrandi, saltem diebus de praecepto, spargendam esse ubicumque sacerdotes desunt, qui celebrationi liturgicae praeesse possint.

Ratio est quod plura decies centena milia christifidelium nonnisi rarissime sacerdotem habere possunt et fere numquam ordinario cultus publici exercitio assistere valent. Per propositos conventus, etiam illi certo gradu vitam liturgicam Ecclesiae ac cultum publicum actuose participare possunt.

Cavendum tamen est, ob multas rationes missionibus proprias, ne assistentia illis conventibus sub peccato imponatur.

Novus articulus, post art. 33 ponendus, fere sic enuntiari possit:

33. a) (*Vita liturgica in locis ubi sacerdos non habetur*). In locis, praesertim missionum, ubi coetus christifidelium vel ob magnam distantiam a paroecia vel ob aliam causam, raro tantum Sacrificio Missae assistere possunt, episcopi curent ut, saltem diebus de praecepto, celebratio quaedam liturgica habeatur, duce persona probata, ab Ordinario vel ab eius delegato deputata.

Ritus sequendus ab Ordinario loci, vel in Conferentia episcoporum nationis vel regionis praescribatur, qui, quantum fieri potest, sequatur modum procedendi in Missa, cum fine praesertim eucharistico. Habeantur lectiones, orationes, instructio catechetica, oblatio pro pauperibus, communio spiritualis, et fideles adducantur ut toto corde se uniant cum Sacro Sacrificio in paroecia vel aliis in locis oblato.

43

Exc.mus P. D. ALFREDUS SILVA SANTIAGO
Archiepiscopus Ss. Conceptionis

Circa interventum exc.mi ac rev.mi Eladii Vicuña Aranguiz, episcopi Chillan (Chile) die 5 novembris 1962, ipsum nomine aliquorum episcoporum locutum esse certiorem facimus; sed, ad minus quoad omnes partes eius orationis non nomine omnium episcoporum Reipublicae Chilensis declaramus.

Ita nos subscribentes non sumus concordes cum eius opinionibus circa usum linguae latinae, *nam pretiosas utilitates perpendimus quas Ecclesiae obveniunt ex usu et conservatione linguae latinae sive in scholis, sive in Liturgia, non obstantibus privilegiis ab « Elencho Rituum » concessis* pro America Latina ad maiorem fidelium participationem obtinendam in sacris peragendis.

Denuo, proinde, Documentis Sanctae Sedis adhaeremus, praecipue Encyclicae « Veterum Sapientia ».

Hanc praelatam notationem in actis Concilii admittendam esse reverenter petimus, dum gratias ex toto animo peragimus.

44

Rev.mus P. D. GABRIEL SORTAIS
Abbas generalis O.C.R.

1. *Canon 3.* Placet iuxta modum. Ut scilicet, in ultima sententia, post verbum « titulo » addatur: « et efficacia ».

2. *Canon 5 et Canon 6.* Placet iuxta modum. Ut scilicet:

a) In prima sententia canonis 5 deleantur verba: « Est autem ... procedunt ».

b) Titulus canonis 6 mutetur hoc modo: « Est tamen in Eucharistiae Sacrificio culmen et fons vitae Ecclesiae ».

c) Ut prima sententia canonis 6 sit ista: « Liturgia tamen in suo centro, quod est divinum Eucharistiae Sacrificium, est in vita Ecclesiae culmen ad quod omnia tendere debent et simul fons a quo omnia procedunt. Labores enim apostolici... ».

3. *Canon 8.* Placet iuxta modum. Ut scilicet, in prima sententia, loco verbi « amplectatur » ponatur « in se exhauriat ».

45

Exc.mus P. D. ALFONSUS M. UNGARELLI

Episcopus tit. Azurensis, prael. null. Pinerensis

Animadversio in prooemium (pag. 157-158).

Totum schema de Liturgia videtur imperfecte positum in ipso prooemio, ubi dicitur: « Et licet inter haec principia et normas multa habeantur quae etiam ad alios ritus orientales et occidentales applicari debeant aut possint, tamen ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare intelligenda sunt, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.

Traditioni denique fideliter obsequens, Sacrosanctum Concilium declarat sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes aequo iure atque honore habere, in futurum servari, et omnimode foveri velle, atque optat ut, ubi hoc opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur, et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus donentur » (pag. 157-158).

Quae relata sunt in prooemio illico comparamus cum illo quod dicitur in cap. I, n. 24, de lingua liturgica (pag. 167, linn. 10-11): « Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur ».

Statim nobis videtur ex ipso prooemio vitium exurgere quod, ni fallimur, inde ab initio detrimentum afferre videtur toti quaestioni.

Etenim:

1) Non videtur oecumenicum, id est non videtur favere universo populo christiano, agi tantum de ritu romano, cum Concilium convocatum sit ad res agendas totius Ecclesiae. Si enim agimus tantum de ritu romano, ipsi ritui romano *revera* summum et fere unicum pondus attribuimus, quamvis dicatur Concilium in pari honore habere omnes alios ritus orientales et occidentales. *Saltem in prooemio perlucide explicandum esset cur non agatur de ritibus orientalibus.*

2) Attamen deterius est quaestionem ita proponere ut excludatur quaevis immutatio maioris momenti, ut v. gr., creatio novorum rituum, quos plures Patres forsan necessarios aut convenientes censeant.

Revera, pro certo ponitur, praeter orientales nullum alium ritum esse nisi romanum, vel ritum latinum seu occidentalem, si velimus verba « ritum romanum » maiori amplitudine excipere. Etenim, pag. 167, lin. 10, dicitur: « Latinae linguae usus *in Liturgia occidentali* servetur ».

Absque dubio, Liturgia occidentalis in schemate videtur omnes ritus amplecti, solis orientalibus iam existentibus exceptis: ita amplectitur Indiam, Sinam, Africam, etc., etsi nihil commune cum Occidente in illis regionibus reperiatur. Verum, etiam pro istis regionibus schema exigit linguam latinam in Liturgia, et insuper postulat talem Liturgiam conformari cum editione typica ritualis romani, exceptis parvis modificationibus localibus, quae adprobandae sunt a Sede Apostolica.

Haec autem postulata videntur reiici debere ex his rationibus:

a) Huiusmodi postulata videntur obstare unioni Ecclesiarum. Etsi in Concilio Vaticano I, ex definitione infallibilitatis, in tuto posita est unitas regiminis — Unus Pastor —, nunc consulendum est de universo populo christiano in unum colligendo, ut impleatur optatum D. N. I. Christi: « Pro eis (rogo) qui credituri sunt in Me, ut omnes unum sint, ut credat mundus quia Tu me misisti » (*Io.* 17, 20-21).

Iamvero, si servari debet usus linguae latinae in Liturgia occidentali (pag. 167, n. 24, linn. 10-11), et si insuper exigitur ut novationes liturgicae in lingua vernacula conformari debeant editioni typicae Ritualis romani, impedimentum retinetur non necessarium conciliationi cum fratribus separatis, ex. gr., cum protestantibus, qui lingua vernacula in Liturgia utuntur, et in Ecclesia catholica nolunt introire nisi retenta pro Liturgia ipsa lingua vernacula qua nunc utuntur.

Ex quo liquet valde opportunum esse protestantibus cautionem praestare quod in futurum in ipsa Liturgia occidentali ritus institui possent non necessario lingua latina obstricti.

b) Postulata quae diximus videntur plus etiam obstare evangelizationi infidelium, ad quam Christus Dominus nos omnes compellit: « Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere » (*Io.* 10, 16), « Euntes ergo, docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19).

Revera, valde conveniens videtur quod saltem discutiatur convenientia instituendi novas Liturgias, quae non sint Liturgia latina, vel saltem non sint Liturgiam latinam serviliter imitantes, pro gentibus ad Catholicismum vocatis, speciatim pro illis quae florent sua eruditione ac doctrina penitus alienis ab humanitate graeca et latina.

Non tantum locutio et dictio, sed et ipsa forma mentis et ratio vitae penitus coniungitur cum lingua cuiusque populi. Fieri non potest quin lingua latina secum trahat permultas institutiones humanas quae, etsi venerabiles sint, nullatenus debent aliis gentibus imponi. Gentes enim non obstringuntur nisi ad nuntium divinum accipiendum, minime ad humanitatem occidentalem accipiendam, sua posthabita humanitate.

Ita christiana religio linguae latinae, ideoque humanitati occidentali inserta, populis non latinis videbitur prorsus aliena, et habita erit pro religione extera, quae in discrimen dat mores et institutiones patrias. Catholica religio, igitur, fit religio invisa, non ex natura Verbi divini praedicati, sed ex apparatu humano quo Evangelium vestitur.

Hic videtur invenienda ultima ratio debilitatis actionis missionalis catholicae inter gentes altioris humanitatis, ut puta Chinam, Indiam, et Iaponiam; quae debilitas sane minor apparet in populis minus eruditis, ex eo quod eruditione et doctrina evoluta carentes minorem difficultatem experiantur in studiis et litteris occidentalibus excipiendis.

Quapropter, necessarium aestimamus Liturgiam occidentalem cum lingua latina reservandam esse gentibus vere occidentalibus, ita ut populis humani-

tate occidentali non imbutis novae liturgiae accommodentur in suis propriis linguis exaratae. Nisi hoc facimus, evangelizatio mundi languidiores et tardiores progressus faciet.

Immo, etiam in populis qui a mundo graeco-latino culturam traditam habuerunt, in locum linguae latinae substitui posset lingua vulgaris iustis de causis, nempe quia hic et nunc lingua latina nec intelligitur a populo, nec ita colitur a studiosis ut antea colebatur, vel quia pietas populi, ut active et fructuose agant in Liturgia, exigit nunc ut Liturgia litetur in lingua populo cognita, sicut cognita erat populo in prioribus saeculis christianae religionis, vel sicut cognita erat etiam in Media Aetate, cum lingua latina adhuc erat lingua erudita, etiam in privatis ac publicis negotiis adhibita. De hoc tamen, Sancta Sede annuente, iudicium ferre debent pastores illarum regionum, utpote qui probe norunt suarum gregum necessitates.

c) Nolumus hic praetermittere quin Liturgiae in lingua vulgari, si excipientur, faciliorem reddent institutionem eorum qui vocati sunt ad ministerium sacerdotale, quod res magni momenti esse potest ubi Ecclesia angustiatur propter penuriam sacerdotum.

3) Denique, ex dictis, prooemium nobis videtur aliquo modo discors:

a) Hinc dicitur « Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes aequo iure atque honore habere, in futuro servari, et omnimodo foveri velle » (prooemium, pag. 157, lin. 35 - pag. 158, linn. 1-2): ergo, varietas rituum nunc existentium pro magno bono habetur.

Illinc vero ne possibilitas quidem animadvertitur novos ritus instituendi, quasi fecunditas Ecclesiae exhausta esset prioribus saeculis. Sed, si antiquitus idoneum visum est instituere ritus diversos, et talis idoneitas immutata manet, cur hodie idoneum non erit institutio novorum rituum, si multis in locis res se habent plus minusve sicut antiquis temporibus? Et si magno in honore habentur illi veteres ritus tamquam monumenta venerabilia, nonne maioris momenti erit imitare praxim Ecclesiae priorum saeculorum, quae mire se accommodabat ad ingenium et mores omnium populorum ut omnes ad Christum perduceret?

b) Schema quam saepissime urget momentum Liturgiae ad pietatem populi christiani informandam, modo « fideles (in actione liturgica) conscie, actuose et fructuose participent » (Cap. I, n. 8, pag. 162, linn. 6-7; cf. pag. 160, lin. 32; pag. 162, linn. 2-3; pag. 162, linn. 28-29; pag. 164, linn. 23, 25; pag. 165, linn. 22, 25; pag. 175, linn. 7-9, etc.).

Sed quo pacto possent fideles, immo et ipsi sacerdotes — si qui sint (proh dolor!) linguam latinam non satis intelligentes — quo pacto possent actuosam et consciam participationem habere in actione liturgica?

Quaedam remedia, quae in schemate constitutionis proponuntur (ut puta, nonnullae orationes, cantus, exclamationes, etc., in lingua vernacula) nobis videntur non sufficientia pluribus in regionibus quas Liturgia occidentalis amplectitur.

Conclusio:

Ad normam igitur Art. 33 *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi* proponimus ut conclusio prooemii, inde a lin. 29 pagellae 157 ita emendetur:

« Et licet ea quae sequentur solum ritum romanum spectare intelligenda sunt, traditioni fideliter obsequens, Sacrosanctum Concilium declarat Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes aequo iure et honore habere, atque optat ut, ubi hoc opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur, et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donentur.

Fatetur denique haec Sancta Synodus, nihil obstare quin, vera necessitate urgente, spectatis conditionibus aliquarum regionum, examinetur convenientia instituendi, praeter ritus legitime iam existentes sive orientales sive occidentales, novos ritus melius respondentes ingenio et moribus quorumdam populorum ».

Accedunt [*subsignati*]: Henricus Golland Trindade O.F.M., arch. Botucatuensis; Benedictus Zorzi, ep. Caxiensis Australis; Ioseph, ep. Penedensis; Ioseph, ep. Stantianus; Candidus, ep. tit. Tloënsis; Albertus, arch. Belemensis; Ioachim de Lange, ep. Tefensis; Paulus, ep. Parnaibensis; Carlos, ep. Palmensis; Expeditus, ep. Patosensis; Iosephus Vincentius Tavora; Adelmus Cavalcanti de Machado, arch. coad. Macejensis; Aniger F. M. Melillo, ep. Piracicabensis; Herminio Malzone Hugo, Valadarensis ep.; Walmor Battù Wichrowski, VT Felbes; Augustus, ep. Caruaruensis; Mons. Iosephus Nicomedes Grossi, ep. el. Spoleopolitanus a Bono Iesu; Antonius Baptista Fragoso; Severinus, ep. Pesqueirensis; Iosephus Thurler, ep. tit. Capitoliensis; Ioannes de Sousa Lima, AR Manáus; Arista, VT Adriani; Eliseus Maria, ep. tit. Zamensis maior; Augustus Petrò, VR Vacariae; David, ep. S. Ioannis in Brasilia; Manuel Tavares de Araújo, bispo de Caicó; Epaminondas, ep. Ruibarbosensis; Franciscus, ep. Afogadensis; Emmanuel, ep. Campinensis grandis.

46

Exc.mus P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT

Episcopus Inongoensis

Ad prooemium:

Reg. 1 ad 8: An non melius ordo enumerationis rationum sequenti modo fiat?:

1) ... vitam christianam augere ...

2) quidquid ad unionem fratrum separatorum ...

3) et quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae ...

4) institutiones ecclesiasticas, prout mutationibus obnoxiae sunt, nostrae aetatis ...

Ratio: Ita melius apparet in tribus primis rationibus indicari scopos

principales qui intenduntur, et in quarta medium per quem illi scopi attinguntur.

Ad regulam 5: loco « fratrum separatorum » dicere « *quidquid ad unitatem christianorum* quoquo modo conferre potest ».

Ratio: Non-catholicis non placet formula: « fratrum separatorum », et etiam secretariatus appellatur « secr. ad unitatem christianorum ».

Ad caput I:

Ad 1, ad regulam 9: loco « fuit causa nostrae salutis » non melius diceretur « *est* causa nostrae salutis »?

Ratio: Christus semper est causa nostrae salutis et non tantum fuit.

Ad paragr. 2, ad lin. 25: dicatur: « Per baptismum enim et cetera *fidei* sacramenta ».

Ratio: Formula a S. Thoma melius indicat nos nullo modo docere aliquam efficaciam mechanicam sacramentorum.

Ad paragr. 3, ad regulam 23: dicatur: « ipse denique in sacrificio Missae se *sacramentaliter* offert... ».

Ratio: Ita doctrina catholica melius exprimitur.

Ad paragr. 6, ad regulam 29 sq.: Propono: « filii Dei fiant *per aquam et Spiritum Sanctum,* in unum conveniant, in medio Ecclesiae *Verbum Domini Salvificum audiant eique obediant,* Deum laudent... ».

Ratio: Melius actio Spiritus Sancti indicatur et nuntiatio Verbi Dei in Missa.

Ad paragr. 7, ad lin. 4: loco « cooperentur » propono « et supernae gratiae *respondeant* ».

Ratio: Ita melius natura illius cooperationis apparet.

47

Rev.mus P. D. VILLELMUS VAN HEES
Magister generalis O.S.Cr.

Tractatum de sacra Liturgia uti habetur in schemate esse maximi momenti tam propter sollicitudinem quam propter stylum seu modum loquendi pastoralem nemo est qui non videt. Expressiones nonnullae vero quasi adumbratae intelligentiae, ne dicam incertae videntur.

I - Cap. I, n. 8 sic incipit: « Multum vero abest ut sacra Liturgia totam vitam spiritualem amplectatur ». Verba haec sententiam introductoriam constituunt in eam partem tractatus qua pietas exercenda etiam praeter actus liturgicos commendatur. Attamen expressio « *Multum vero abest...* » nimia videtur gravitate pollere. Communiter enim distinguuntur ipsi actus liturgici (funzioni), uti habentur in Ss.mo Missae Sacrificio, in dispensatione Sacramentorum, in Divini Officii persolutione etc., quos *Liturgiam in sensu stricto* nuncupare possumus, ab aliis vitae christianae orationibus et actionibus, quae

etiam liturgicae vocari possunt, quia « ex Liturgia (ergo), praecipue ex Eucharistia, ceu ex primo fonte, gratia nobis derivatur et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam. uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera diriguntur » (in eodem schemate. n. 6). Haec omnia alia Ecclesiae opera *Liturgiam in sensu latiore* constituunt.

Si loquimur de S. Liturgia in sensu stricto tantum, expressioni « Multum abest... » (n. 8) nihil obesse videtur. Sed caput de quo nunc est sermo saepe saepius de S. Liturgia in sensu latiore loquitur. Praesertim ubi sacra Liturgia eschatologice consideratur, uti sub n. 4, sermo fit de plena revelatione totius vitae iustorum ac dicitur nos totamque vitam nostram esse « terrenam Liturgiam, in qua caelestem illam praelibamus, quae in sancta civitate Ierusalem, ad quam peregrinamur, celebratur... ».

Vita spiritualis est unio cum Deo, qua iusti his in terris sub velamine fidei per Christum et Spiritum Sanctum cum Patre intime coniunguntur. Ideo sacra Liturgia non tantum est « medium » vitae spiritualis, sed est ipsa coniunctio cum Deo, quae totam hominis vitam spiritualem complectitur.

Conclusio haec est: Sententia (n. 8): « Multum vero abest ut sacra Liturgia totam vitam spiritualem amplectatur » deleatur.

Nota: Sententia sub n. 5: « Licet sacra Liturgia non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae, est tamen in suo centro, etc. » magis succincte exprimit quod intenditur; heic nempe actio Ecclesiae recte dividitur a sacra Liturgia in sensu stricto sumpta. Qua de re hanc sententiam reprobare nollem.

Tandem relinquitur quaestio, num intima connexio inter sacram Liturgiam et vitam spiritualem sufficienter adstructa sit in hoc capite?

II - Cum ex hoc schemate constet Sacrosanctam Synodum cura affici pastorali circa Sacrae Liturgiae intimam a fidelibus ruminationem vitalemque experientiam, miror quod in nn. 10, 11, 12, 13 nulla mentio facta sit de cultu liturgico, ipsi clero ipsisque religiosis, tam canonicis regularibus quam monachis, proprio, immo quod eis, quae ad sacerdotum vitam liturgicam spectant, quam brevissime satisfiat (n. 13).

Sub n. 32 dicitur: « Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet », quae verba verissima esse ab omnibus prompte conceditur. Sed non praetermittendum videtur, quod aequaliter valent de spirituali et liturgica relatione episcopum inter et clerum. Ista inter clerum et fideles distinctio, necnon partes, quae clero in sacra Liturgia peragenda essentialiter et proprie conveniunt, vix in hac IV parte apparent nec ulla ibi Ecclesiae aestimatio vel postulatio, probanda quoad cleri in hac parte officia, prostat, quod huius tractatus integritati graviter nocere videtur. Cui incommodo propter intimam huius partis cohaerentiam vix provideri posse, nisi huius quartae partis e capite primo innovatio commissionis liturgicae studio committatur, evidenter patet.

48

EXC.MUS P. D. ALFREDUS VOZZI
Episcopus Cavensis et Sarnensis

Ad n. 31 in pag. 169: *De sacrae Liturgiae instauratione.*

Ad vitandam personarum et condicionum in funeribus caeremoniis acceptionem, et ad simpliciorem formam in exsequiis inducendam valde optabile est ut defuncti in Ecclesiam delati *in plano* deponantur, uno strato (tappeto) supposito, quattuor vel sex circumdato candelabris, sine ullo alio apparatu. Eviteretur sic: 1) scandalum quod habetur quando funus solemne celebratur pro illis qui vitam christianam non vixerunt et tamen in morte maxime honorantur quia divites fuerunt (non quia boni); 2) eviterentur expensa apparatus funebris quae quandoque magna sunt et — licet immerito — plerumque immoderato pecuniae desiderio sacerdotum tribuuntur; 3) eviterentur denique distinctiones inter divites et pauperes quae dignitatem filiorum Dei offendunt semperque odiosae sunt habitae in Ecclesia.

INDEX

DOCUMENTA

CONGREGATIO PRAESYNODALIS

PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

SESSIO PUBLICA I

(11 octobris 1962)

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis I

Congregatio Generalis II

Congregatio Generalis III

Congregatio Generalis IV

Congregatio Generalis V

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE S. LITURGIA IN GENERE

CONGREGATIO GENERALIS VI

Congregatio Generalis VII

Congregatio Generalis VIII

Congregatio Generalis IX

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD PROOEMIUM ET CAP. I SCHEMATIS DE S. LITURGIA